
14
33 Q
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21.6.26.
21 21
A A
26 25
13-4 D 11



LIBER STATVTORVM ARRETII.

Florentiæ, In Officina Georgii Mareſcoti.

M D L X X X.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

Procœmium Statutorum.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. AMEN.

VRBEM Arretium, eiuſq; Camparias, Cortynas, & Capitaneatum; Ciues, Incolas, Villicosq; earumdem ſanctis legibus, ac ſtatutis optimis iuſtè, optimèq; regi deſiderantes, cùm Legum dignitas, atque auctoritas humanas res ritè diſponat, Reſpublicas ſeruet, florentesq; ac fœlices reddat: tùm homines cunctos ad benè, beateq; viuendum impellat, atque inflammet: cùm etiam ſine Legibus nulla Ciuitas ſtare; ac ſuis partibus vti, nullaq; Reſpub. (ni ipſæ præualeant) eſſe, aut diù permanere poſsit. Vt igitur Arretina Ciuitas ex his dignitatem expetat; iuſtèq; ac ſanctè gubernari, & quietè agere valeat: Summi, æterniq; DEI Numine, ac auxilio freti, eiusq; Iudicia præ oculis ſemper habentes publico ſuper hoc decreto, auctoritatèq; à Generali Conſilio conceſſa priſca eiuſdem Statuta cum omnibus ſuis Addictionibus, diminutionibus, & correctionibus vſque hactenus ab habentibus auctoritatem factis (ſuis tamen locis ob maiorem commoditatem legentium inſertis) hoc in Codice, & quatuor libris diſtincta, vt infra, ſtatutum, decretum, atq; ſancitum eſt:
Denuò Typis exaranda committentes. Ad laudem Sanctiſsimæ, & Indiuiduæ Trinitatis: Fœlicitatemq; perpetuam, & exaltationem Sereniſsimi FRANCISCI Medices Magni Ducis Etruriæ Domini Domini Noſtri perpetui, & ad pacem, & tranquillitatem eiuſdem Arretinæ Vrbis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

STATVTORVM
Liber Primus.

DE SOLEMNITATE, AC FESTIVITATE BEATI DONATI. I.

QVONIAM Dominus in Sanctis eius laudatur, decet eos, quo maiori poſſumus honore venerari, præcipueq; beatum Donatum patronum, ac protectorem noſtrum in Cœlis, cuius meritis, ac interceſſionibus Deus omnipotens Populum Arretinum ab innumeris periculis ſæpius liberauit. Idcirco pro veneratione ranri Mattyris, & Prçſulis noſtri Donati ſtatuerunt; Quòd Mag. DD. Priores Populi Arretini cum eorum Spectabilibus Collegis pro tempore exiſtentes teneantur, & debeant quolibet anno infra decem dies incipiendos die prima Menſis Iulij proponere inter eos, & propoſitam obtinere in Conſilio generali Communis Arretij, quod Conſilium præfatum prouideat quomodo fieri debeat feſtum Sancti Donati Protectoris Ciuitatis, & Populi Arretini, & quid in eo expendi debeat per commune Arretij pro celebratione dictæ Feſtiuitatis & infra dictum tempus decem dierum facere congregare generale Conſilium Ciuitatis Arretij, & dictam propoſitam mittere ad Conſilium Ciuitatis Arretij, & quicquid per dictum Conſilium fuerit terminatum, ſancitum, aut declaratum illud debeat executioni mandari: debeat tamen omnino fieri proceſſio, & oblatio cum cera, & aliis neceſſariis, & refectio, ſumptibus tamen, & expenſis Communis Arretij. Et ad laudem, & gloriam tanti Martyris, & Prçſulis præſtantiſſimi decreuerunt, quòd die tantæ ſolemnitatis, ſi placuerit dicto Conſilio, fiat vnum pulchrum, & honorabile Brauium de Velluto in crimisì ad minus brachiorum viginti in duabus telis cum fregio de auro, & ſerico in medio, & foderato de pancis Varij cum banda de ſerico azzurro cum Inſignibus Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ de auro, & cum armis quinque conſuetis, v3. in ſcuto, & cum aliis ſuis neceſſariis ornamentis; quod tamen non excedat valorem florenorum centum, & curri debeat dictum Brauium per ſtratam Sancti Lazzari ad curſum conſuetum quolibet anno per quatuor Barbareſcos ad minus, & ad minus trium diuerſorum Dominorum tenendo Brauium prædictum iuxta Eccleſiam Plebis Sanctæ Mariæ de Arretio, incipiendo dictum curſum à loco, qui

dicitur la Moſſa, non obſtante aliquo Iure tàm ſcripto, quàm non ſcripto, ac ſi de illis ſpecialis eſſet facta mentio. Quod quidem Brauium dari debeat per Dominos Priores Ciuitatis Arretij illi equo, ſiue Curſerio, aut Barbareſco, qui primus deuenerit ad dictum Brauium veniendo per dictum curſum conſuetum retentis tamen lilio dicti Brauij,& lancea,& banda pro Commune Arretij. Quicumque vero habuerit dictum Brauium teneatur, & debeat dare Domicello Dominorum Priorum,qui tulerit dictũ Brauium per Ciuitatem Arretij groſſos octo: Et omnis differentiã, quæ oriretur ex cauſa dicti brauij cognoſcatur, & decidatur per Dominos Priores prædictos, quorum deciſioni omnino iterum omni ſolemnitate omiſſa, & appellatione, ac nullitate, ac recurſu remotis; & de cętero nullus alius, quàm vnus tantum ex Domicellis Dominorum Priorum poſſit, aut valeat deferre dictum Brauium, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus,quibus per pręſentem Sanctionem generaliter, & ſpecialiter derogatum ſit, ac ſi expreſsè ſpecialis mentio facta fuiſſet. Inſuper teneatur, & debeat qui dictum Brauium habuerit ſoluere Cancellario Communis Arretij groſſos quatuor argenteos: Tubicinibus Communis Arretij groſſos viginti: Operariis Epiſcopatus Arretij florenum vnum largum. Inſuper ſtatuerunt, quòd Homines Cortinarum Ciuitatis Arretij pro Brauio prædicto teneantur ſoluere tertiam partem expenſarum in dicto Brauio impendendarum. Decernentes inſuper, quòd ſi dictis Dominis Prioribus, & Collegis vnà cum Conſilio viſum fuerit aliter diſponere, & ordinare circa dictum Brauium, id, quod per eoſdem determinatum fuerit obſeruari, & adimpleri debeat. Item ſanxerunt, & decreuerunt circa Brauium prædictum, ad hoc ne Commune eludatur à Conductoribus equorum (vt euenire ſolet) quòd Priores exiſtentes de Menſe Iulij, & Auguſti tempore Feſtiuitatis Sancti Donati videre, intelligere, & examinare debeant, quot Equi Curſores aduenerint pro currendo, & quorum ſint dicti Equi; & ſi inuenerint, quòd aduenerint ad minus quatuor, aut plures diuerſorum Patronorum, vt ſupra; & ſint Barbareſchi dicti Domini Priores faciant currere dictum Brauium, vt ſupra diſpoſitum. Et ſi quatuor Equi Barbareſchi diuerſorum patronorum,vt ſupra ad minus Trium non aduenerint, dicti Domini Priores dictum Brauium curri facere non debeant vllo modo; ſed ipſum ſeruare debeant pro ſequenti anno currendum in dicta Ciuitate. Et ſimili modo, & forma, & dicto caſu præfati Domini Priores vnà cum eorum honorabilibus Collegis prouideant, ſi ſibi videbitur, de vno Brauio de Panno prout eis videbitur, & placebit per dictum curſum: incipiendo tamen à loco, qui dicitur la Maeſtà di Pallante, & illud faciant curri per equos ad minus quatuor, & quòd ille, qui vicerit dictum Brauium teneatur ſoluere expenſas, & alia congruentia ſecundum declarationem faciendam per præfatos Dominos Priores Ciuitatis Arretij. Et pro veneratione tantæ ſolemnitatis, & honore in oblationibus hoc ordine procedatur. Quòd in Vigilia dictæ Feſtiuitatis Sancti Donati Magnificus Dominus Capitaneus, Domini Priores, & eorum Collegæ ſimul cum Iudice Domini Capitanei, & Magiſtris Gabellarum Communis Arretij, & Camerario dictarum Gabellarum, & Notario contractuum eorumdem, ac Cancellario, & vtroq; Notario damnorum datorum Communis Arretij, & Præceptoribus ludi literarij, & Arithmetices, Maſſario, & Camerario Datiorum, Notarioq; extraordinario teneantur, & debeant ire ad oblationem faciendam, & ferendam ad Plebem Sanctę Mariæ de Arretio, videlicet in ſero, quando oſtenditur Caput Sancti Donati in dicta Plebe; & quilibet de prædictis teneatur portare vnum Torchium cęreum ad minus vnciarũ octo pro quolibet Torchio; quę cæræ oblatio remaneat,& remanere debeat tota,& integra pro Opera dictę Plebis. Itẽ quòd

præfati Dominus Capitaneus, & Priores cum dictis omnibus, & ſingulis nominatis, & etiam cum Rectoribus Fraternitatis Sanctæ Mariæ de Miſericordia de Arretio, & cum omnibus, & ſingulis Rectoribus, & hominibus quarumcumque Artium dictæ Ciuitatis Arretij, ſeu deſcriptis in aliqua Matricula dictarum Artium, & cum inſignibus earum teneantur; & debeant ire ad offerendum, & oblationem faciendum ad Epiſcopatum Arretij; videlicet in mane dictæ Feſtiuitatis Beati Donati, & dicti Dominus Capitaneus; & Priores vnà cum aliis ſupra nominatis offerre debentibus in ſero expenſis Communis Arretij teneantur, & debeant offerre vnum cæreum ponderis octo vnciarum ad minus pro quolibet ipſorum; cuius oblationis ſic vt ſupra factæ, & cæræ oblatæ duę partes eſſe debeant Operæ Epiſcopatus Arretij: reliqua verò pars tertia dictę cæræ oblatæ ſit, & eſſe debeat Operæ Plebis prædictæ pro fabrica dictarum Eccleſiarum ſingula ſingulis referendo congruè. Et, vt omnes Artifices, & matriculati in aliqua Arte dictam oblationem faciant, ſtatuerunt quòd quilibet Rector cuiuſcumque artis teneatur, & debeat per quinque dies ante feſtum Sancti Donati facere duas ſcriptas, in quibus, & qualibet earum deſcribere teneatur omnes, & ſingulos Homines ſuæ Artis, & matriculatos in dicta ſua Arte, quarum vna debeat dari Notario Capitanei Ciuitatis Arretij, & altera Camerario Epiſcopatus Arretij. Qui omnes, & ſinguli deſcripti, & relati in dictis cædulis teneantur, & debeant ire cum cæra, ſiue Torchio illius ponderis, prout fuerit deputatum per eorum Vniuerſitatem, & offerre in dicta Eccleſia Epiſcopatus. Quicumq; verò non iuerit, & non obtulerit vt ſupra incidat in pœnam ſolidorum viginti pro quolibet applicandorum Operæ Epiſcopatus Arretij. Inſuper teneantur etiam Phyſici, & Chirurgi ire ad dictam oblationem, videlicet Phyſici cum Collegio Artis Iudicum, & Notariorum; Chirurgi autem cum Aromatariis Ciuitatis prædictæ ſub dicta pœna. Debeat etiam Notarius Domini Capitanei Arretij deferre, & præſtari facere Iuramentum cuicumque, & per quemcumque Rectorem cuiuſlibet Artis; quando dictam ſcriptam tulerit continentem nomina hominum ſuę Artis dicto Notario, quòd talis Rector refert, & dat in ſcriptis omnes, & ſingulos homines ſuæ Artis, & matriculatos in dicta ſua Arte nullo omiſſo, quod ſimiliter dabit Camerario Operæ Epiſcopatus prædicti. Et teneatur dictus Notarius, & debeat vocare omnes Artes ſingulariter, & de per ſe quando fit dicta oblatio per ordinem ante Oſtium Clauſtri Eccleſiæ Sancti Auguſtini, & habere Rectores cuiuſlibet Artis, & dare ſibi Iuramentum ſub cuius vinculo teneantur eidem infra biduum dare omnes, & ſingulos homines ſuæ Artis; & qui non fuerint ad dictam oblationem faciendam, & non obtulerint. Et ſimiliter teneantur dare Camerario, ſiue Prouiſori Epiſcopatus Arretij omnes, & ſingulos homines dictarum Artium, quos apparebit ex prędictis non fuiſſe perſonaliter ad dictam oblationem, & non obtuliſſe. Et teneatur dictus Camerarius, ſiue Prouiſor deſcribere in libro Operæ pro debitore quemlibet in ſolidis viginti aliàs idem Camerarius, ſiue Prouiſor incidat in pœnam pro quolibet nomine, quod non deſcripſerit ſolidorum viginti, cuius medietas ſit Operæ prędictæ, & alia Rectoris illam, vt infra exigentis, & Notarius habeat, & habere debeat pro exactione prædictorum ſolidos duos pro quolibet non ſeruante prædicta, & oblationem non faciente. Si verò dicti Rectores fuerint negligentes, & non reportauerint dictas ſcriptas, & deficientes in dicta oblatione non notificauerint, quilibet ipſorum incidat in pœnam librarum quinque, quarum medietas ſit operæ Epiſcopatus, & alia medietas ſit Domini Capitanei facientis de prædictis executionem. Item quod libris dictorum Appunctatorum, qui non fuerit in huiuſ-

modi oblationibus, & fuerint deſcripti in libro dictæ operæ pro debitoribus pro cauſa prædicta, ſtatuerunt nullam dari debere fidem, nec ſuper eis modo aliquo poſſe per aliquem Rectorem procedi, nec aliquid fieri, niſi primò ſoluerit quantitatem pro qua fuerint deſcripti in dicto libro, vel niſi primò ſoluerint dicto Camerario Operæ Epiſcopatus dictos ſolidos viginti pro oblatione prædicta. Et quòd omnis actus, qui fieret in fauorem dictorum deſcriptorum in dicto libro Operæ vigore ſuorum librorum ſit ipſo Iure nullus, & nullius efficaciæ, roboris, vel momenti, & teneatur ad damna, expenſas, & intereſſe illi, contra quem talis actus factus eſſet vigore librorum talis deſcripti in dicto libro Operæ ex cauſa prædicta. Præterea ſtatuerunt, quòd Operarij Epiſcopatus prædicti habeant poteſtatem, & baliam tranſigendi, & reducendi dictos deſcriptos, & cum dictis deſcriptis in dicto libro ſi fuerint infirmi, aut abſentes, vel iuſtè impediti tempore dictę oblationis, prout eis videbitur, & placebit. Si verò contigerit, quòd aliquis ex Artificibus Ciuitatis prædictę, vel deſcriptus in aliqua Matricula Artium Ciuitatis Arretij, etiam eſſet deſcriptus in Matricula, ſeu Breui plurium Artium dictæ Ciuitatis, quòd liceat eidem offerre impunè, & oblationem facere cum vna ex dictis Artibus, quam voluerit, & tunc, & eo caſu ſit liber, & exemptus ab oblatione facienda cum alijs Artibus in dicta Feſtiuitate, in quibus eſſet matriculatus, & cum quibus non fecit oblationem pro illa vice, & illo Anno. Si verò plures eſſent ſocij in vna Arte, vel exercitio ſtatuerunt, quòd ad minus duo ex eis teneantur, & debeant ire ad dictam oblationem, & offerre, & omnes alij ſocij liberi, & exempti ſint. Si verò quiſpiam ex Artificibus Ciuitatis Arretij, ſeu mercatoribus eſſet de officio Dominorum Priorum, aut de Collegijs, aut Rectoribus Fraternitatis Sanctæ Mariæ, & omnium ſupradictorum officiorum, & membris, & Miniſtris offerentibus, vt ſupra cum eis tempore dictæ celebrandæ oblationis, decreuerunt quod talis iens ad oblationem præfatam cum aliquo ex dictis officiis, quo fungeretur cum ſuis ſociis, membris, & miniſtris, vt ſupra, non poſſit mulctari, aut aliquo modo deſcribi pro debitore in dicto libro operæ quàmuis non iuerit ad oblationem prædictam cum vniuerſitate ſuæ artis ſi per interpoſitam perſonam oblationem fecerit.

DE SOLEMNITATE CELEBRANDA IN FESTO SANCTORVM LAVRENTINI, ET PERGENTINI. II.

IN Die Feſtiuitatis glorioſorum Martyrum Laurentini, & Pergentini Ciuitas Arretina, de qua traxerunt originem, & in qua fuerunt coronam Martyrij conſecuti de guerrarum fluctibus reſpirauit ad pacem, quam Deus eorum meritis conſeruare dignetur. Vnde ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd die dictæ Feſtiuitatis, quę eſt tertia Menſis Iunij fiat, ac celebretur ſolemne Feſtum in Ciuitate Arretij, & in Porta Fori, & Angulo Crucis, vbi dictum Martyrium receperunt. Et dicta die, & loco Rectores Fraternitatis Sanctæ Marię Miſericordiæ, qui pro tēpore erunt, ad quam Fraternitatem infraſcriptæ ceræ oblatio deuenire debeat, teneantur, & debeant ſolemnia Miſſarum deuotè facere celebrare, & ornare, & cooperire contratam prædictā ad reuerentiam Martyrum prædictorum ad Miſſam maiorē, ad cuius feſtum de mane Domini Capitaneus, & Priores vnà cū Iudice dicti Capitanei proceſſionaliter cum clero, religioſis, Societatibus, & Populo, & pręfatis Rectoribus accedere, & offerre debeant ſecundū cōſuetudinē, & ordinamēta prædictæ Fraternitatis: Et quòd dicta die tantum

præfati Rectores vnà cum ſuis Miniſtris tàm in palatio, quàm extra præcedant Dominos Collegas. Item ſtatuerunt, quòd de cætero Dominis Rectoribus non liceat facere refectionem in dicta domo Fraternitatis, vel alibi, niſi in die Feſtiuitatis prædictę cum die præcedenti, & ſequenti, & moderatè, & honeſtè expendi debeat onerando eorum conſcientiam, & Brauium dicta die Feſtiuitatis, vel aliud feſtum fieri non poſſit, niſi de licentia Conſilij Generalis, & Camerarius Fraternitatis non teneatur, nec debeat aliquid ſoluere contra præſentis ſtatuti formam, & ſoluens de ſuo intelligatur ſoluiſſe.

DE ORDINARIIS OBLATIONIBVS. III.

OB Reuerentiam Magni Dei, & honorem, eiusq; Sanctorum, quorum meritis, & interceſſionibus Reſpublica Arretina pacem, quietem, tranquillitatem, & bonum ſtatum conſequatur, ſtatuerunt, quòd die Beati Gregorij Papæ, cuius Corpus requieſcit in Cathedrali Arretina, cuius meritis omnipotens Deus multa miracula in Populo Arretino fecit, & etiam aliis diebus, de quibus infra quolibet anno Magnifici D. Capitaneus, Domini Priores Populi Ciuitatis Arretij, eorumq; Collegæ, & Miniſtri, & Iudex Domini Capitanei, Magiſtri Doganæ, & dictæ Doganæ Officiales, & Miniſtri, & etiam Officiales damnorum datorum Communis Arretij, ac cæteri omnes dictæ Ciuitatis Officiales teneantur ire ad Cathedralem Arretinam, & ibidem offerre vnà cum eis Rectores omnes, & Conſiliarij quarumcumq; artium Ciuitatis Arretij, & oblationem facere hactenus conſuetam, & habere debeant à Commune Arretij, & de eius pecuniis ab eiuſdem Camerario pro cæra, & aliis conſuetis in totum libras duodecim, & ſolidos decem: Et etiam ob mirabilem doctrinam, & inſtructionem, quam fecit Populo Arretino circa Dei Dogmata Beatus Bernardinus; & aliis innumeris beneficiis eius meritis Populo Arretino à Deo collatis, & ad eius reuerentiam, & honorem ſtatutum eſt, quòd die vigeſima Maij quolibet anno pro celebratione Feſti dicti Sancti, quòd Magnifici Domini Priores, & alij omnes ſupradicti teneantur ire ad offerendum ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Gratiarum extra Ciuitatem Arretij, & pro dicta oblatione, vt ſupra dare teneantur D. Priores pręfati de pecuniis, vt ſupra Communis Arretij libras duodecim, & ſolidos decem. Et ſimili modo dicti Domini Capitaneus, & Priores vnà cum ſupradictis omnibus teneantur, & debeant quolibet anno die octaua Menſis Septembris ire, & offerre, vt ſupra ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Gratiarum extra dictam Ciuitatem, & pro tali oblatione habeant vt ſupra à dicto Communi libras duodecim, & ſolidos decem vt ſupra conſuetum eſt. Inſuper teneantur, & debeant præfati Domini Priores, & alij vt ſupra Die vigeſima quarta Menſis Iunij quolibet anno ire ad Eccleſiam Plebis Sanctæ Mariæ de Arretio, & in dicta offerre ad honorem Sancti Ioannis Baptiſtæ Chriſti Pręcurſoris prout ſupra in aliis oblationibus diſpoſitum eſt: In qua oblatione exponere debeant, vt ſupra in aliis, libras duodecim, & ſolidos decem, vt ſupra exigendas: Et quòd in qualibet ex prædictis oblationibus, vt ſupra, Rectores Fraternitatis Sanctæ Mariæ cum eorum Miniſtris, & Familia, & Rectores Artium, & eorum Conſiliarij omnes dictæ Ciuitatis teneantur aſſociare dictos Dominos Priores, & alios, vt ſupra cum cæreis competentibus, & expenſis dictæ Fraternitatis, & Artium congruè referendo. Et ſiquis de prædictis negligens fuerit in dictis oblationibus faciendis incidat in pœnam ſolidorum viginti pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, quæ pœna ſit, & eſſe debeat illius Eccleſiæ, & vbi, & in qua talis oblatio fieri debeat.

Item nouiſſimè ſtatuerunt, atque decreuerunt volentes, quantum poſſunt, Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis Arretinæ fauere, caſſantes, atque delentes ex ſtatuto de oblationibus oblationem, quæ fieri ſolebat in Eccleſia Sancti Petri paruuli dictæ Ciuitatis in die Apoſtolorum Petri & Pauli, quòd dicta oblatio fiat, & fieri debeat dicta die in Eccleſia Epiſcopatus prædicti pro ſubſidio dictæ Fabricæ, non obſtantibus in contrarium facientibus. Et Notarius Domini Capitanei, ſeu extraordinarius Officialis teneatur perſcrutari, & diligenter perquirere de prædictis inobedientibus, & habeat pro quolibet inobediente, contra quem fecerit executionem, ſolidos duos, & oblata ſint, & eſſe intelligantur dictæ Eccleſiæ, cui faciendæ erant dictæ oblationes, & quòd oẽs, & ſingulę denariorum quantitates, quæ expenderentur per dictas oblationes, & quamlibet earum, vt ſupra, declarandas Domini Priores prædicti, & eorum Collegæ ſimul, & duæ partes eorum habeant, & habere debeant omnimodam auctoritatẽ ſtantiandi. Pro honore demum, & reuerentia Sanctiſſimi Corporis Ieſu Chriſti, qui eſt lumen de lumine, ſtatutum eſt, quòd cærei groſſi, qui accenduntur, & ordinantur per Dominos Priores, Rectores Fraternitatis, & Conſeruatores Montis in proceſſionibus ſolemnitatis Corporis Chriſti, & Feſtiuitatis Sanctorum Laurentini, & Pergentini dentur, & concedantur Societati ipſius Sanctiſſimi Sacramenti pro vtendo in aſſociando illud, cum defertur ad infirmos, & in celebratione Officiorum; ad dictamq; ſocietatem ſpectent, & pertineant prout hactenus conſuetum fuit.

DE OFFICIO DOMINI CAPITANEI. IIII.

CAPITANEVS Arretinæ Vrbis merum, mixtumq; habeat Imperium, & gladij Poteſtatem. Iudex vero eius in ciuilibus omnibus ſolus Iuriſdictionem habeat: In criminalibus cognitionem dumtaxat debeat maturè fideliter deliberare, quo modo Capitaneus prædictus condemnet, vel abſoluat; poſſitq; idem Iudex, vbi fuerit opus, ſuam auctoritatem, & decretum interponere. Miles ſocius executionem tantum habeat perſonalem, atq; realem. Et tam Capitaneus, quàm prænominati omnes, quàm etiam Officiales omnes eiuſdem Capitanei poteſtatem habeant, & auctoritatem hiſce ſtatutis eis conceſſam, eamq; inuiolabiliter, & omnino obſeruent, ſeq; Deo, & hominibus rationem reddere obnoxios cognoſcant.

DE OFFICIO, POTESTATE, ET IMMVNITATE DOMINORVM PRIORVM. V.

ARRETINAE Ciuitati in ſuis Officiis ordinem imponere cupientes, vt ſint in ea, qui leges, ſtatuta, cæteraq; pro ipſius ſalute geſta, ac decreta ſeruare valeant, totumq; corpus Reipublicæ curare, atque tueri; hac præſenti ſanctione firmiſſimè ſtatuerunt, quòd in dicta Arretina Ciuitate ſit, creariq; debeat officium Prioratus Octouirorum, quorum primus Vexillifer Iuſtitiæ appelletur; cæteri verò Priores Populi; ſitq; dictum officium Prioratus in dicta Ciuitate prior Magiſtratus, ac ſuprema dignitas: dictisq; M.D.P. & eorum Collegis cætera dictæ Ciuitatis officia ſubiecta eſſe intelligantur, & illis tamquã membra capiti deſeruiant. Qui D.P. poſtquàm ad dictum officium extracti fuerint, non poſſint publicè quoquo modo per Ciuitatem ire antequàm eidem legitimè renuncient, aut eiſdem abſentia, ſeu impedimentum aliquod legitimè fuerit approbatum, pœna librarum ſeptuaginta, pro qua ſtatim in libro Speculi pro debitoribus deſcribi debeant per officialem ipſius. Aſſumpto autem

officio, ipſoq; durante continuam reſidentiam in Palatio Communis facere teneantur à die Introitus, vſque ad diem exitus, nec inde exire poſſint, niſi poſt ſolis occaſum, & de licentia Vexilliferi, & non aliter: De die autem minimè eis licere voluerunt è dicto Palatio exire, nec extra Ciuitatem ire, niſi collegialiter, & ad minus ſex de licentia tamen, & conſenſu Vexilliferi, ſi fuerit in Palatio; ſin autem de conſenſu Præpoſiti. Si verò eorum aliquis ex aliqua iuſta cauſa vellet extra Ciuitatem ire, poſſit, eiq; liceat; impetrata tamen licentia à Vexillifero, & non aliter, aut alio modo, quam licentiam dare non poſſit Dominus Vexillifer vna, & eadem die, niſi vni eorum, vel duobus dum taxàt; Debeant tamen dicti D.P. dum ſic extra Ciuitatem exeunt, aut redeunt honeſtius, atque ſecretius ire, quàm poſſunt, nec ad Palatium redire valeant, niſi ante ſolis ortum, vel poſt occaſum. Si verò alicui dictorum D.P. aliquà vrgenti & iuſta neceſſitate contingeret de die ex dicto Palatio exire, & ad propriam domum, vel aliquem alium honeſtum locum ire poſſit, ac ſibi liceat, obtenta tamen prius licentia à Vexillifero, dummodò honeſto, ac graui habitu incedat, ſociatusq; à Cancellario, vel Capitaneo familiæ, & duobus Famulis, vel Domicellis Palatij ad minus. Ipſe autem Vexillifer aſſiduè in Palatio manere; nec à Ciuitate diſcedere vllo modo poſſit: Et ſi quæ ſupra dicta ſunt dictus Vexillifer, & dicti D.P. vel eorum aliquis non ſeruauerit, contraq; hanc noſtram ſanctionem fecerit in pœnam periurij incurſum, ac periurum declaratum ſe noſcat; & vlterius librarum centum pro quolibet, & qualibet vice; pro qua pœna teneatur Vexillifer talem ſic contrafacientem, & prædicta non ſeruantè infra tres dies deſcribi facere per Syndicum, & prouiſorem Communis debitorem, & pro debitore dictarum librarum centum. Quod ſi dictus Vexillifer non fecerit in eamdem periurij pœnam, & librarum centum incurſus eſſe intelligatur, pro qua pœna per eumdem Syndicum deſcribi debeat. Et ſimiliter tenentur Priores deſcribi facere Vexilliferum prædicta non ſeruantem in libro Speculi etiam infra annum conſtito de veritate facti; pro qua pœna tales ſic deſcripti debeant dari ad grauandum Socio Militi, & dictus Miles contra tales ſic deſcriptos pro dicta; vel dictis pœnis executionem realem, vel perſonalem facere teneatur. Vt etiam commodius occurrentibus caſibus prouidere, ac vniuerſorum ſaluti intendere valeant, ſtatuerunt, quòd duo ad minùs dictorum Dominorum Priorum, v3. Præpoſitus, & alius, cui dictus Vexillifer præceperit, vnà cum duobus Domicellis dormire de nocte debeant in dicto Palatio eorum officio durante. Decet etiam eos, qui Reipublicæ præſunt, labores, ac vigilias interdiù, noctuq; in vniuerſorum vtilitatem impendere, nec variis occupari curis, aut exercitationibus, ne publica negocia neglecta remaneant. Qua de re ſtatuerunt, ac ſolemniter decreuerunt, quod dicti D.P. non poſſint modo aliquo ludere ad aliquem ludum, nec permittere quod Domicelli Famuli, aut dicti Palatij Miniſtri ludant, nec ſimiliter blaſphemare, aut aliquod turpe cõmittere, nec permittere, quòd aliquis alius in dicto Palatio ludat, blaſphemet, aut aliquod turpe committat, quòd ſi ex dictis Dominis Prioribus aliquis conterà prædicta fecerit, incidat in pœnam librarum quinquaginta, & ſi famulus, vel Miniſter, poſſit per dictos D.P. puniri, ac etiam caſſari: Si verò aliquis alius, poſſit per dictos D.P. eorumq; Collegas corrigi, atque puniri attenta qualitate delicti, & conditione perſonæ etiam vſque ad priuationem officiorum incluſiuè: liceat etiam dictis Dominis Prioribus famulos, ac Miniſtros prædictos, quando in eorum officio malè verſarentur, aut aliquid contrà eorum officium, & publicam dignitatem committerent, & ſic eis videretur, caſſare, & ab officio remouere: Qui ſic caſſi non poſſint infra annum modo aliquo directè, vel indirectè, nec ſub aliqua ſpecie ad dictum officiũ remitti ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet dictorum Dominorum Prio-

rum;

rum; & in loco talis ſic caſſi alium infra triduum eligere debeant. Statuerunt etiam quòd Vexillifer Iuſtitiæ more optimi Patrisfamilias poſſit quandocumque ei viſum fuerit conuocare in Palatio Magiſtros Doganæ, & cæteros Doganæ Miniſtros, & Officiales, omnesq; alios Communis Arretij Miniſtros, & Officiales, eoſq; ſimul, ac de per ſe interrogare, & diligenter inueſtigare quomodo eorum officia adminiſtrent, & in eis ſe gerant, & ſi inuenerit aliquos ex dictis Magiſtris, Miniſtris, vel Officialibus, eorum officiis malè vtentes, & contrà publicam vtilitatem, ſtatutaq; & Reformationes dicti Communis, teneatur illos monere, docere, ac reprehendere, & quatenus res expoſcat, illam Dominis Prioribus, & Collegis proponere. Qui D. P. & Collegæ cognita rei veritate, habitisq; ſummariis probationibus, ſuper hoc poſſint per eorum legitimum partitum declarare, illos incurriſſe pœnam, vel pœnas in dictis ſtatutis, & reformationibus contentas; & prout in eis diſpoſitum erit. Quòd ſi tàm dicti Magiſtri, quàm alij Miniſtri, & Officiales, vt ſupra vocati, & moniti comparere, vel aliter obtemperare neglexerint, poſſit, ac debeat dictus Vexillifer tales inobedientes condemnare pro quolibet, & qualibet vice in libris decem, & minus attenta qualitate cauſæ, & conditione perſonæ. Teneatur etiam dictus Vexillifer conuocare ſimiliter Viarios, Officiales Graſciæ, & Conſeruatores legum, prouidereq; quòd eorum officium, & quæ per illud eis commiſſa ſunt legitimè exerceant, ac exequi curent iuxtà, ac ſecundùm formam ſtatutorum, ac reformationum Arretinæ Ciuitatis: In quibus quidem officiis, ac etiam cum Conſeruatoribus legum interuenire poſſit, ſemperq; dictorum officiorum Præpoſitus eſſe intelligatur, & ſit; eorum tamen commoda, & emolumenta minimè conſequatur. Et quoniam in dies multa eueniunt, ac fieri contingunt, quæ per præſentia ſtatuta minimè prouideri poſſunt, quæ ſi omitterentur Arretina Ciuitas, & ipſius Cortinæ damna plurima, & diſcrimina interdum ſubirent: Statuerunt, quòd dictis Dominis Prioribus, eorumq; Collegis, vnà cùm Conſilio generali, & duabus partibus eorum liceat pro honore, & vtilitate Sereniſs. Magni Ducis Hetruriæ Domini Noſtri, aut Communis Arretij; & in eorum augumentum, & conſeruationem facere, componere, & ordinare inter Arretinos Ciues, & Homines Cortinarum, & Incolas dictæ Ciuitatis, & Cortinarum omnem, & quamcumque legem, prouiſionem, & reformationem cum impoſitione pœnę vſque ad libras quinquaginta, & non vltra: Quæ lex, prouiſio, & reformatio per prædictos ſeruari debeat, ac ſi eſſent approbatę per Sereniſs. Magnum Ducem Noſtrum, cum plerumq; eas fieri cõtingat pro rebus minimis, ac celeritatem expoſcentibus, non obſtantibus quibuſcumq; in contrarium diſponentibus; quibus per hanc pręſentem Sanctionem expreſsè derogatum eſſe intelligatur. Conuenit etiam ipſis Dominis Prioribus à quocumque ex Ciuibus, & Incolis dictæ Ciuitatis, & Cortinarum obedientiam præſtari, vt facilius, ac celerius, quæ ad Rempub. pertinent perficere, ac exequi valeant. Ipſis igitur liceat præcipere, & præcepta facere cuicumque de Ciuitate, & Cortinis, & earum Incolis, quòd coràm eis perſonaliter compareat tunc, & quando eis placebit, vel aliquid faciat pro honore, & vtilitate dicti Communis Arretij, aut Cortinarum; in dictiſq; præceptis pœnam apponere librarum decem, & minus attenta rei qualitate, & conditione perſonarum; quæ præcepta negligentes pœnam in eis contentam incurrant, pro qua incamerari debeant in Dogana Communis Arretij. Conſiderantes etiam maximè referre acta, & geſta dicti Palatij in ſcriptis redigi, cum hominum memoria labilis habeatur: ſtatuerunt, quòd dicti D.P. teneantur habere, & tenere librum, in quo per vnum ex eis deſcribi, & annotari debeant vulgari ſermone omnia, quæ per eos, Collegas, & Conſilium tàm ſimul, quàm de per ſe geruntur, & deliberantur. Et quoniam habitu di-

gnitas honoratur dicti D. P. eorumq; Cancellarius, & Capitaneus Familiæ durante eorum officio veſtire debeant pannos honeſtos, tàm dum moram trahunt in dicto Palatio, quàm etiam dum per Ciuitatem incedunt, ſitq; eorum habitus grauis, & modeſtus, & Veſtes pauonatiæ, nigræ, aut ſericæ, & vſque ab Talos; teneanturq; ferre in capite biretum de more Doctorum ciuile, & (vt vulgò dicitur) da vna piega, & Torquem nigram ſericiam, dum ſunt in publica audientia, Collegio, aut Conſilio, & quando collegialiter per ciuitatem incedunt, Vexillifero autem, Doctoribus, & Equitibus liceat ferre torquem velluti nigri, quæ omnia ſeruare, & inuiolabiliter cuſtodire debeant ſub pœna librarum decem: Minimè autem licere voluerunt dictis Dominis Prioribus ad aliquod funus alicuius defuncti accedere, niſi ad funus Patris, Matris, Aui, Fratrum, Filiorum, aut Vxoris; tuncq; in domo manere debeant, nec exinde exire, aut funus proſequi. Si verò ex dictis Dominis Prioribus aliquem mori contingeret, teneantur reliqui Priores mittere Cancellarium, & Capitaneum Familiæ cum Domicellis, & reliquis Famulis Palatij, qui funus ipſum proſequi, & ſociare debeant, & pro honore memoriæ ipſius defuncti expendere debeant de pecuniis dicti Communis in cæreis vſque in libras vigintiquinque, in quibus cæreis poni debeant inſignia Communis, & ferri ante funus ipſius defuncti: In cuius defuncti locum alius extrahi debeat, ſi ſaltem per alios quindecim, aut vltra eorum officium eſſet duraturum ſub pœna librarum decem pro quolibet eorum: Et quia tàm loci, quàm Magiſtratus dignitas expoſcit dictos D. P. durante eorum officio laute, ac honorate viuere: Idcircò ſtatuerunt, quòd dicti D. P. pro eorum Menſa quolibet bimeſtri habere debeant à Camerario Doganæ Ciuitatis Arretij vſque ad ſummam librarum mille, & non vltra, niſi aliter per Conſilium generale, & tres partes ipſius prouiſum fuerit attenta temporum qualitate, & conditione. Quam ſummam Camerarius prædictus ſoluere teneatur facto ſtantiamento per dictos D.P. & Collegas, & non aliter, aut alio modo: Quas quidem libras mille, & quod vltrà pro dicta Menſa eis daretur, aut aſſignaretur teneantur expendere, & expendi facere integraliter, & cum effectu per Syndicum Communis Arretij: Qui Prouiſor, & Syndicus teneatur illas conſignare Expenditori dicti Palatij, de quibus Expenditor, & Syndicus teneantur, & debeant diligentem computum tenere, & adminiſtrationis reddere rationem Rationeriis dicti Communis; Et ſi aliquid ex prædicta ſumma librarum mille, vel vltra ſupereſſet, quod non expenderetur id totum Communi Arretij remaneat. De omni verò fraude, culpa, aut dolo, quam Syndicus, aut expenditor circa prædicta cómitterent poſſint puniri per Conſeruatores legum dictæ Ciuitatis, vel per D.P. & Collegas etiam vſque in libras centum ad minus attenta qualitate doli, ac fraudis. Poſſint etiam dicti D. P. per partitum ipſorum, & Collegarum durante quolibet officio pro occurrentibus Communis Arretij neceſſitatibus expendere vſque in ſummã librarum quinquaginta, & non vltra; quam ſummam ſtantiare valeant vna, vel pluribus vicibus, prout eis congruum, aut opportunum viſum fuerit; dummodò eorum officio durante vltrà dictam ſummam non expendant, etiam ſi plura facerent Stantiamenta: Si autem ex aliqua vrgenti cauſa opus eſſet vltra prædictam ſummam expendere poſſint, eiſq; liceat vſque ad libras centum, & non vltra; dummodò per tres quartas partes ipſorum, & Collegarum obtineatur: Vltra verò prędictam ſummam librarum centum aliquid expendere non poſſint, niſi per Conſilium generale prouideatur: quod ſi ſecus fieret, ſit ipſo Iure irritum, & inane; Teneanturq; dicti D.P. & Collegę, qui contrà prędicta facerent, id totum Communi Arretij reſtituere ſub pœna vltra quantitatem prædictam librarum decem pro quolibet eorum, & qualibet vice; Camerariiq;

datiorum,

dationum, & Doganæ minimè cogi poſſint ad ſoluendum talia ſtantiamenta, nec ad ipſa ſoluenda modo aliquo teneantur. Vt verò præfati D. P. facilius, ac liberius curis publicis intendere valeant, æquum eſſe cenſuerunt ipſos aliquibus potiri priuilegiis, & immunitatibus decorari: Quocircà ſtatuerunt, quòd præfati D. P. à die eorum extractionis vſque ad diem exitus eorum officij, & per octo dies indè ſequentes non poſſint, nec debeant modo aliquo in Ius vocari ciuiliter, aut criminaliter, nec realiter, vel perſonaliter grauari per aliquem Officialem Ciuitatis Florentiæ, aut Communis Arretij ad inſtantiam alicuius particularis perſonæ, Magiſtratus, Collegij, aut Vniuerſitatis, nec etiam ex officio. Et ſi aliquis cuiuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat in ius vocauerit aliquem ex dictis Dominis P. aut contra eos modo aliquo proceſſerit pœnam librarum ducentarum ſtatim ipſo iure, & ſine aliqua alia declaratione incurſum eſſe intelligatur; pro qua ſtatim incamerari debeat in Dogana Communis Arretij. cuius pœnæ executionem Dominus Capitaneus Ciuitatis Arretij, & quilibet alius Officialis tàm Communis Arretij, quàm Ciuitatis Florentiæ facere poſſit, ac debeat; pro qua executione medietatem ipſius pœnæ conſequatur; Alia verò medietas dicto Communi Arretij applicata eſſe intelligatur; Et nihilominus id totùm, quod contrà prædictos D. P. fieret, aut fieri contigerit ſit ipſo Iure nullum; proceſſusq; deſuper factus nullus, & nullius valoris. Et vlterius in Ius vocari facientes dictos D. P. à Iuribus, ſiquæ contra ipſos competebant ipſo iure cecidiſſe intelligatur. Verùm, quia Iuri conſonum minimè eſſe dignoſcitur dictos D. P. in Ius vocari non poſſe; Ipſi verò alios poſſe trahere: Idcirco ſtatuerunt quòd dicti D. P. durante eorum officio non poſſint, aut valeant modo aliquo alios in Ius vocare ciuiliter, aut criminaliter: quòd ſi aliquem in Ius vocauerint, ipſi etiam in pœnam prædictam incurriſſe intelligantur. Poſſint etiam dicti D. P. durante eorum officio impunè per Ciuitatem Arretij, & extrà ferre Arma, eorumq;, & dicti Palatij Famuli, ac Miniſtri omnes: Dum autem ſunt in Palatio, dumq; verſantur in Collegiis, aut Conſilio aliquod genus Armorum ferre non poſſint ſub pœna librarum viginti quinque, pro qua per Syndicum Communis Arretij incamerari debeant in Dogana Communis, aliàs Syndicus eamdem pœnam incurriſſe intelligatur. Cæterum nulli cuiuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat licere voluerunt dictis D. P. aut eorum alicui aliquam iniuriam re, aut verbo facere, aut inferre, fieri, aut inferri facere, nec ipſos modo aliquo offendere; quòd ſi aliquam iniuriam, vt ſuprà fecerit, aut intulerit, fieriq;, aut inferri fecerit triplum pœnæ incurrat, quàm ſi priuatum hominem offendiſſet; eamdemq; pœnam incurrant dicti D. P. aut eorum aliquis aliquem offendens, aut vt ſuprà alicui iniuriam faciens. Cenſentes etiam æquum eſſe, quòd qui Rerum publicarum adminiſtrationi præfuerunt de ipſa adminiſtratione rationem reddere debeant; ſtatuerunt, quòd dicti D. P. immediatè eorum peracto officio teneantur, ac debeant ſtare ad Syndicatum coram D. Capitaneo Ciuitatis Arretij: Qui D. Capitaneus teneatur, ac debeat, ipſos syndicare, & contra eos inquirere: Et ſi eorum aliquem contra ſtatuta, & ſanctiones Arretinæ Ciuitatis commiſiſſe cognouerit, poſſit ipſum condemnare vſque in ſummam librarum viginti quinque. Et quoniam inter dictos D. P. Vexillifer primum locum tenet, & eſt caput ipſius officij: Ideo ipſi D. P. eidem reuerentiam, & obedientiam in cunctis præſtare teneantur, & tam in eundo, & ſtando; quàm in cæteris omnibus, & tamquam primus, & dignior aliis Dominis Prioribus præferatur tàm in palatio, quàm extra, & ſemper Præpoſitus ipſius officij intelligatur eſſe, & ſit: Vltra quem ſit etiam alius Præpoſitus incipiendo à ſecundo, & ſucceſſiuè proſequendo vſque ad octauum incluſiuè, cuius Præpoſiti officium duret per ſeptem dies, & pro reſiduo temporis, quod

ſupereſſet

ſupereſſet Præpoſitus ſit, & eſſe intelligatur dictus Vexillifer; & primus in principio officij ſimiliter per ſeptem dies; ipſeq; Præpoſitus ſemper poſt Vexilliferum primum locum obtineat tàm in palatio, quàm extra; deinde cæteri, qui in digniori gradu ſunt. Qui quidem Præpoſitus poſſit, ac debeat proponere inter dictos D. P. in Collegio, & in Conſilio, & mittere ad partitum omnia, & ſingula, quæ occurrerent neceſſaria, & opportuna, etiam abſque Vexillifero, ipſoq; contradicente: Idemq; facere poſſit dictus Vexillifer. Et ſi ex aliqua cauſa eueniret, quòd Vexillifer, & Præpoſitus non eſſent in Palatio, tunc primus in ordine D.P. poſſit proponere, & partita mittere, prout facere poſſunt Vexillifer, & Præpoſitus; quodq; geſtum, ac deliberatum fuerit valeat, & teneat tamquàm ritè, ac legitimè geſtum, & deliberatum. Sigillum autem publicum Communis Arretij retinere debeat ipſe Vexillifer, & pœnes ipſum ſtare, & permanere; & quatenus ipſe Vexillifer non eſſet in Palatio pœnes alium ex dictis D. P. prout eidem Vexillifero videbitur, & placebit: Literæ autem aliquæ dicto ſigillo ſignari, ac ſigillari non poſſint, niſi ipſis prius coram dictis D. P. per Cancellarium perlectis, obtentoq; inter eos legitimo partito. Literæ autem ſcribendæ, mittendæq; ad aliquam Communitatem, Officiales, Magiſtratus, aut Dominos, qui non eſſent de Dominio Sereniſſimi Magni Ducis Noſtri ſigillari, mittiq; non poſſint ſine licentia Magnifici Domini Capitanei pœna dictis Dominis Prioribus, & cuilibet eorum, ac etiam Cancellario librarum centum. Nulli autem ex dictis Dominis P. Collegis, aut Conſiliariis liceat contrà dictum Vexilliferum verba aliqua inhoneſta, iniurioſa, aut minatoria proferre, aut actus inhoneſtos, & indecoros facere. Quòd ſi dum ipſi D.P. ſunt congregati aut in Collegio, vel Conſilio id dixerit, aut fecerit pœnam librarum ducentarum incurrat: ſin autem librarum centum; Et vlterius cunctis Officiis Ciuitatis Arretij per quinquennium priuatus ſit, & ad ea inhabilis cenſeatur, ſi ita per dictos D. P. & Collegas eorumq; legitimum partitum quo ad priuationem, & inhabilitatem tantùm declaratum fuerit.

DE OFFICIO, ET IMMVNITATE COLLEGARVM. VI.

VT in Arretina Ciuitate ſint, qui rebus publicis conſulent, ſtatuerunt, in ea fieri Officium Collegarum, quod ex triplici officiorum genere hactenus conſtitutum eſſe dignoſcitur. Et primò ſint octo Ciues, qui Capitanei appellentur; ſex Officiales cuſtodiæ, & octo Conſeruatores Communis, & Capita Conſilij, qui omnes intelligantur eſſe, ac ſint Collegæ D. P. ſemperq; in omnibus rebus publicis conſulendis, ac peragendis vnà cum dictis D.P. intereſſe debeant, ſintq; de maioribus natu, & Optimatibus Ciuitatis, qui Spectabiles Collegæ omni ſtudio, omniq; ſollicitudine res publicas curent, ſaluti, ac vtilitati Ciuitatis intendant, teneanturq;, ac debeant ſaltem omni die Mercurij cōgregari in Palatio Communis in audientia D.P. & vnà cum dictis D.P. eorum officium, & quæ ad illud pertinent exercere. Si verò contingeret vltra prædictam diem ipſos congregari poſſint ſemper, ac teneantur ad mandatum D.P. & quoties eis opportunū fore viſum fuerit: Inſuper & in extractionibus D. Priorum, & in quolibet introitu Magnifici D. Capitanei vnà cum dictis D. P. de qua quidem congregatione fieri debeat notificatio per Famulos Palatij tam iis, qui ſunt in Ciuitate, quàm extra; dummodò ſint in Cortinis Arretij, vel non longè à Ciuitate per octo milliaria: Pro quibus quidem Collegis conuocandis & congregandis pulſari debeat campana Palatij per mediam horam, vel circa: Et poſtquam pulſauerit ſedeant

dicti D.P.in eorum Audientia; & tunc ſi aliquis Collegarum prædictorum non interuenerit, nec interuenire reperiretur incidat in pœnam librarum quatuor pro quolibet, & qualibet vice; de quibus Syndicus teneatur facere reaſſignationem; & quos abeſſe cognouerit notare, ac deſcribere, ſicq; notatos, ac deſcriptos infra triduum dare ad grauandum Curiæ D.Capitanei pro dicta pœna, cuius pœnæ quarta pars ſit ipſius D. Capitanei pro executione, quarta ipſius Syndici, & reliqua pars Communis Arretij: Quòd, ſi quæ dicta ſunt dictus Syndicus non ſeruauerit incidat, & incidiſſe intelligatur in pœnam librarum viginti quinque, & vlterius officium amittat. Si verò aliquis ex dictis Collegis in Ciuitate exiſtens, & poſtquàm ei, vt ſupra, notificatum fuerit ex dicta Ciuitate diſcederet ſine licentia D. P. & ſtatuta die habendi Collegij non interuenerit incidat in pœnam librarum decem; eandemq; pęnam incurrat, qui extra Ciuitatem exiſtens, & facta ſibi notificatione non comparuerit: ſufficiat tamen in dicta congregatione interuenire ſexdecim ex dictis Collegis, taliſq; numerus ſit ſufficiens, & pro ſufficienti habeatur ad conſulendum, & deliberandum ſuper negociis publicis vnà cum dictis D. P. dummodò interueniant duæ partes ex tribus dictorum officiorum, videlicet, ſex Capitanei, ſex Conſeruatores, & quatuor Officiales, & ſi ſecus fieret ſit ipſo Iure nullum, nullius valoris, & efficaciæ. Habeant dicti Spectabiles Collegæ vnà cum dictis D.P.facultatem, & poteſtatem puniendi, & corrigendi omnes, & quoſcumque de Magiſtratibus, & Officialibus Ciuitatis Arretij quotieſcumque, & quandocumque ea non ſeruarent ad quæ ex forma ſtatutorum, & reformationum tenentur, aut aliquid committerent in dedecus, & damnum dictæ Ciuitatis, quos punire poſſint in pœnam, ſeu pœnas in dictis ſtatutis, & reformationibus deſcriptas, & appoſitas; Vbi verò pœna appoſita non eſſet poſſint, eiſq; liceat ipſos condemnare vſq; in libras centum attenta qualitate delicti, & de ipſo delicto ſummariè conſtito, & vlterius ipſos ab officio, & officiis omnibus dictæ Ciuitatis remouere; ſi maximè delictum eſſet tale quod id expoſceret. Quæ quidem priuatio, ac remotio demùm valeat, & effectum ſortiatur dummodò per generale Conſilium dictæ Ciuitatis comprobetur, & non aliter, aut alio modo: Qui ſic remotus, ac priuatus non poſſit infra biennium ad ea officia, à quibus remotus fuerit remitti, aut habilitari, nec de admiſſione, & habilitatione ipſius in Conſilio proponi; nec etiam vltra dictum biennium aliquid de dicta admiſſione tractari, aut proponi inter dictos D.P.aut in Collegio, aut in Conſilio; niſi per tres partes eorum legitimè obtineatur, ac deliberetur: Decernentes, quòd ſi ſecus fieret irritum, & inane ſit. Poſſint etiam dicti Collegæ vnà cum dictis D.P.auctoritatemq; habeant declarandi terminandi, decidendi, & corrigendi oēs, & ſingulas differentias, quæſtiones, difficultates, errores, varietates, ambiguitates, & dubia, quæ quomodo libet orirentur, & euenirent oririq;, & euenire poſſent, & contingerent circa extractiones, electiones, remiſſiones, & deueta officiorum dictæ Ciuitatis, & in omnibus, & ſingulis à dictis extractionibus, electionibus, & officiis dependentibus, & emergentibus, & ſuper eis deliberare, & prouidere; quorum deliberationi, & declarationi ſtari debeat, neque ab ea appellari, aut reclamari quoquo modo poſſit pœna librarum quinquaginta, pro qua quilibet contrafaciens deſcribi debeat ſtatim pro debitore in libro Speculi: Voluerunt etiam dictos Dominos Collegas, dum in dicta congregatione, & cum dictis D.P. aut in Conſilio interueniunt, aut quando collegialiter per Ciuitatem ire contingeret, veſtire eoſdem pannos, quos, & D.P. & vt ſupra de dictis D.P.diſpoſitum eſt pręterquam biretum, & Torquem. Debeant etiam dicti Collegæ in quolibet introitu D.P.& D. Capitanei interuenire vnà cum dictis D. P. in Eccleſia Cathedrali ſub pœna librarum decem pro quolibet eorū, pro qua deſcribi debeāt

debitores in libro Speculi per Syndicum Communis Arretij,ſi,vt ſupra dictum eſt,non interuenerint. Vt autem commodius omni tempore in dictis Collegiis intereſſe, & rebus publicis vacare valeant, ſtatuerunt, quòd dicti Collegæ durante eorum officio, & à die extractionis, vſque ad diem exitus,& per octo dies inde ſequentes non poſſint modo aliquo realiter, vel perſonaliter grauari, aut detineri per Dominũ Capitaneum, aut alium officialem Ciuitatis Arretij,nec per alios Officiales,aut Magiſtratus Ciuitatis Florentiæ,aut Dominij Florentini ad inſtantiam alicuius particularis perſonæ Communis, aut Magiſtratus, nec pro debitis alicui ex ſupradictis; præterquam pro debitis Communis Arretij, aut alicui publico exactori dicti Communis: Pro quibus quidem debitis,ſi ſummam librarum viginti quinque excedant realiter,ac perſonaliter; ſi verò non excedant realiter tantum grauati poſſe voluerunt. In cauſis autem criminalibus in Ius vocari non poſſint coram dicto D.Capitaneo, vel aliquo Officiale, vel Magiſtratu Cõmunis Florentiæ,nec cõtra eos modo aliquo procedi,niſi pro grauibus, & enormibus delictis,& nõ aliter,aut alio modo. Qui verò contra hanc præſentẽ Sanctionem dictos Collegas grauauerit,aut grauari fecerit: & ſimiliter in cauſis criminalibus,niſi vt ſupra dictũ eſt,in ius vocauerit,aut vocare fecerit in pęnã librarũ quinquaginta ipſo iure incurriſſe intelligatur:& omnis actus,& proceſſus deſuper factus ſit ipſo iure nullus,& nullius valoris,aut efficaciæ. Poſſint tamen ipſi Collegæ alios in Ius vocare ciuiliter, & criminaliter,& cõtra ipſos procedere ad omnem,& quemcunq; actũ, & etiã ad capturãm realẽ, & perſonalem non obſtantibus quibuſcumque in contrariũ diſponentibus:quo caſu dicti Collegę poſſint impunè citari,& reconueniri ab eisdem, realiterq; tantum grauari. Si quis verò dictos Collegas offenderit, aut alicui eorum iniuriam aliquã re,aut verbis fecerit,aut intulerit,vt ſupra de Dominis P.dictum eſt duplum pœnæ in pręſentibus ſtatutis cõtentæ incurrat; eamdemq; pęnam incurrant ipſi Collegæ,& eorũ quilibet,qui aliquem, vt ſupra, offenderit, aut alicui iniuriam fecerit.

DE CONSILIO GENERALI, ET MODO CONGREGANDI. VII.

CONSILIVM Generale Communis Arretij ſit numero Virorum Prioribus amotis triginta,& octo,v3,octo Conſeruatores ex ordine Vexilliferorum,ſex ex ſecundis,Tertiis,ac quartis ordinibus,v3.ex quolibet dictorum ſex,à quartis verò infra tres ex quolibet ordine. Quod quidem Conſilium vnà cum dictis D.P.eorumq; Collegis habeat,habereq; intelligatur eamdem auctoritatem,poteſtatẽ,ac facultatem, quã habet,haberet,atque habere poſſet vniuerſa Ciuitas,ac Populus Arretinus pręterq̃ in caſibus,de quibus in pręſentibus Sãctionibus diſpoſitum erit.In quo quidẽ Conſilio vnà cum dictis D.P.& Collegis,vt ſupra,omnia ipſius vnitatis negocia, & quæ ad rerũ publicarũ adminiſtrationẽ pertinent,tractari,cõſuli,peragi,ac deliberari debeant.Quæ aũt in dicto Conſ:legitimè geſta,deliberata,prouiſaq; fuerint,plenũ,ac firmũ robur obtineant,ac inuiolabiliter ſeruari, ac exequi debeant iuxta earum continentiam, ac ſecundum formam ſtatutorum, ac reformationum ipſius Ciuitatis. Debeant tamen in dicto Conſilio interuenire viginti ſex ad minus ex dictis Conſiliariis, taliſq; numerus ſit ſufficiens, ac legitimus, habeaturq; hoc caſu pro Conſiliariis Conſeruatores Communis, & Conſiliariorum numero computentur; ex quibus ſaltem ſex interuenire debeant: Cuius quidem Conſilij conuocandi,& congregandi modus ſeruetur infra ſcriptus: Quòd dicti D. P. de licentia Domini Capitanei per vnam diem ante conſilium habendum per publicum Pręconem dictum Conſilium proclamare faciant, & per eum præcipere Collegis, & Conſiliariis ſub pœna librarum trium, quòd ſequen-

ti die intereſſe, & congregari debeant in Palatio Communis, & ſala Conſilij, ſtatuereq; horam ipſius Conſilij congregandi, videlicet, ante prandium, vel poſt, & dicta ſequenti die pulſetur tribus diſtinctis vicibus, & ſaltem per horam Campana Communis, & ad id pulſari ſolita; deinde pulſetur Campana Palatij: Quibus pulſatis dicti Domini Priores eant ad ſedendum in dicta ſala, & vnus ex Notariis dicti Domini Capitanei ad petitionem Vexilliferi, & non aliter ſtatim accedere teneatur ad dictum Palatium, facereq; in dicta ſala reaſſignationem Collegarum, & Conſiliariorum: Et quos inuenerit in dicta ſala non adeſſe notare, ac deſcribere: Qui omnes ſic notati, ac deſcripti pœnam in dicto proclama, & banno contenta incurriſſe intelligantur, niſi ex iuſta cauſa impediti fuerint; vel à Vexillifero, ſeu D. P. licentiam habuerint, cuius pœnæ medietas Communi Arretij applicata eſſe intelligatur, pro qua dictus Notarius incamerare debeat ipſos in Dogana Communis Arretij; quarta D. Capitaneo, reliqua verò ipſi Notario, ſi de integra pœna contra omnes executionem fecerit, & non aliter, aut alio modo: Et nihilominus dictus Notarius vltra prædicta quoties ad dictum Palatium pro dicta reſignatione fienda acceſſerit, dictamq; reaſſignationem fecerit, habere debeat à Camerario Doganæ ſolidos quatuordecim eidem ſoluendos per apotiſſam Prouiſoris Communis. Nullus autem ex Collegis, aut Conſiliariis prędictis audeat in Conſilio dicto modo aliquo ſuper aliqua petitione, quæ proponeretur, aut alia re, quę in eo tractaretur conſulere, dicere, vel aliqua verba proferre, niſi arengheriam aſcendat, in eaq; conſulat, dicat, atque proponat, quæ vtilia, ac honeſta Arretinæ Ciuitati fore proſpexerit, aut quæ pro communi vtilitate opportuna fore cognouerit, vtaturq; verbis aptis, conuenientibus, ac modeſtis, quòd ſi ſecus fecerit, pœnam librarum vigintiquinque ipſo Iure incurrat, pro qua incamerari debeat per D.P. in Dogana Communis; cuius pœnæ tertia pars ſit ipſius Domini Capitanei, ſi de ea integraliter executionem fecerit: Reliqua verò pars ſit ipſius Communis: Si verò dicti D.P. prædicta non ſeruauerint, incidant in pęnam librarum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice. Et ſuper omnibus petitionibus, quæ in dicto Conſilio proponerentur, & aliis rebus, quæ in eo tractarentur, debeant dicti Conſeruatores Communis conſulere; & ſimiliter omnis alius tàm de Collegis, quàm de Conſiliariis, cui Vexillifer præceperit ſub pęna librarum vigintiquinque, vt ſupra applicatarum. Poſſit tamen quilibet ex dictis Conſiliariis ſuper eis conſulere, dicere, & arrenghare modo, & ordine, quo ſupra dictum eſt. Cęterum in Conſilio prædicto non poſſit proponi, tractari, ac deliberari aliquid ſuper aliqua alienatione, conceſſione, aut diminutione bonorum, rerum, iurium, Iuriſditionum, ac priuilegiorum Communis, & Ciuitatis Arretij; ſed ſemper in omni caſu alienationis, conceſſionis, aut diminutionis prædictæ vltra dictum Conſilium vocari debeant, ac interuenire poſſint omnes, & ſinguli, qui in dicta Ciuitate aliquod officium exercuerint, vel ad illud extracti, aut, ad id habiles viſi fuerint. Si verò aliqua alienatio, conceſſio, aut diminutio bonorum, rerum, Iurium, Iuriſditionum, ac priuilegiorum, vt ſupra fieret contra præſentis ſtatuti formam, & quouis alio modo, ſit ipſo Iure nulla, & non valeat, nec teneat, niſi ipſi Ciuitati, & Communi præiudicium aliquod inferat, aut inferre valeat, quibuſcumque in contrarium diſponentibus minimè obſtantibus, & dummodò per tres quartas partes coadunatorum vincatur, alias non valeat: Nullaq; auctoritas data per dictum Conſilium, & ſeu aliquos alios Magiſtratus Communis Arretij duret, durareq; valeat vltra quatuor menſes, niſi maior terminus in dicta auctoritate eſſet appoſitus, & ſi eiſdem daretur auctoritas expendendi de pecuniis Communis prædicti, poſſint Domini Priores, ac debeant ſtantiare quamlibet ſummam, eamq; Camerarius quilibet ſoluere teneatur,

& de

& de qualibet ſumma ſtanciata teneatur Syndicus ſub pœna librarum vigintiquinque deſcribere dictos Ciues debitores, finitaq; eorum auctoritate teneantur infra octo dies tradere libros D.P. & infra alios octo rationem reddere Rationeriis Communis in pręſentia ipſius Syndici diligenter, & bona fide: Qui Syndicus ratione ſic reddita, & in ſaldo poſita ponat illos creditores de pecuniis erogatis: Quòd ſi dicti Ciues libros nō tradiderint, rationemq;, vt ſuprà dictum eſt non reddiderint, perq; eos ſteterit incidant in pœnam librarum vigintiquinque pro quolibet; pro qua immediatè deſcribantur pro debitoribus in libro Speculi per dictum Syndicum ſub eadem pœna; & ſi vltra terminum conceſſæ eiſdem auctoritatis aliquid expendiderint, non intelligantur expendidiſſe de publicis pecuniis, ſed de eorum propriis, nec ponatur ad eorum creditum modo aliquo: quodq; per eos actum, geſtumue fuerit, ſit nullum, & irritum; teneanturq; ad omne damnum, & intereſſe.

DE PETITIONIBVS IN CONSILIO PROPONENDIS. VIII.

OMNES, & ſingulæ petitiones in Conſilio proponendæ modo, & ordine infraſcriptis fieri, & in eis procedi debeat: Quòd Domini Priores, & eorum Collegæ ſaltem per vnam diem antequam in Conſilio proponantur, teneantur, & debeant de negociis publicis inter eos tractare, ipſaſq; maturè diſcutere, & examinare, ipſiſq; maturè diſcuſſis, & examinatis, ſi qua facienda cognouerint ipſi Communi vtilia, & opportuna, primò & antè omnia dicti D. P. ea inter ſe ad partitum mittant ſingulariter, & diſtinctè; ipſiſq; inter eos obtentis ea proponere inter eos, & Collegas, & ſi inter eos obtineant fieri, ac formari debeant ſuper eis petitiones Conſilio proponendæ per Cancellarium Communis, & dictæ petitiones in Conſilio diſtinctę, ac ſingulariter proponi debeant: Idemq; ordo ſeruetur in petitionibus Rectorum Fraternitatis, Conſeruatorum Montis, & Magiſtrorum Doganę aliorumq; Officiorum, & locorum dictę Ciuitatis, & ſingularium perſonarum, quas petitiones ſingularium perſonarum poſſint dicti D. P. recipere, & ſuper eis deliberare: Et omnis petitio in Conſilio propoſita, omneq; Conſilium ſuper ea redditum poſſit prima die ter ad partitum mitti, & ſi non obtineat amplius ea die in dicto Conſilio proponi, & ad partitum mitti non poſſit; ſed mutato, vel eidem addito, ſeu non, prout Dominis P. & Collegis placuerit per duas alias vices poſſit in Conſilio proponi. Quòd ſi in tribus, vt ſuprà, Conſiliis non fuerit obtentum, non poſſit infra quatuor menſes amplius in Conſilio proponi, neque ad partitum mitti. Si verò dictæ petitiones aliter fiant, non valeant, nec teneant, nec per quemcumque exequi debeant, niſi in caſibus, in quibus aliter per præſentia ſtatuta diſpoſitum ſit: Petitiones autem, ac prouiſiones, quæ fierent, aut fieri contingerent ſuper literis Sereniſſimi Magni Ducis, aut excelſorum D. N. dictis D. P. vel Communi Arretij deſtinatis; aut ſuper ambaſiatis, reſponſis, & relationibus aliquorum Oratorum, proponi poſſint in dicto Conſilio omiſſo, ordine, & modo ſupraſcripto, ipſoq; minime ſeruato: Et in dicto Conſilio ſuper petitionibus prædictis prouideri, ac deliberari poſſit; omniſq; prouiſio, ac declaratio valeat, ac exequi debeat: pro quibus quidem petitionibus proponendis Domini P. poſſint, ac valeant ſtatim conuocare, ac congregare Conſilium; & in dicto Conſilio Conſiliarij intereſſe teneantur, ſub pœna, de qua in præcedenti capitulo: In quo quidem Conſilio aliud proponi, aut tractari non poſſit.

DE PARTITV REDDENDO IN CONSILIO, ET ALIIS CONGREGATIONIBVS. IX.

TENEANTVR Domini Priores, eorumq; Collegæ, & Conſiliarij, omneſq; alij in quacumque publica congregatione interuenientes reddere partitum ſuper eo, quod proponeretur ad mandatum Vexilliferi, ſeu Præpoſiti, dictumq; partitum retinere non poſſint ſub pœna librarum vigintiquinque, cuius pœnæ medietas ſit Communis Arretij; alia verò Domini Capitanei, ſi de dicta pœna executionem fecerit, & ratam Communi contingentem ſoluere in manibus Camerarij Doganę.

QVOD NVLLVS PARTITVS POSSIT OBTINERI NISI PER DVAS PARTES PRAESENTES. X.

AD Tollendam omnem dubitationem, quæ circa validitatem petitionum, prouiſionum, rerumq; aliarum, quæ fierent, aut proponerentur, oriri poſſet, ſtatuerunt, quod omnis petitio, prouiſio, aut partitus, qui, vel quæ mitteretur, aut proponeretur in aliquo Conſilio, Collegio, aut Congregatione hominum Ciuitatis Arretij mitti, ac proponi debeat ſecretò ad fabas nigras, & albas, obtinerique debeat ſaltem per duas partes Præſentium ex tribus, ſi de maiori numero per ſtatuta, aut reformationes ipſius Ciuitatis prouiſum non eſſet: Et quod ſufficiat duas partes ex tribus totius talis Conſilij, aut Congregationis eſſe præſentes, ſi de maiori numero, vt ſupra prouiſum eſſe non reperiretur: Et ſi aliter, vel alio modo aliqua petitio, prouiſio, vel aliquis partitus mitteretur, proponeretur, aut obtineretur ipſo Iure non valeat, nec teneat ſed pro nulla, vel nullo penitus habeatur aliqua lege, prouiſione, ſtatuto, vel ordinamento in contrarium non obſtante; niſi aliter per tres quartas Conſilij fuerit ordinatum. Et ſi tractaretur de intereſſe alicuius coniuncti vſque in ſecundum gradum de Iure Canonico incluſiuè, vel de intereſſe proprio, debeant tales coniuncti, vel de cuius intereſſe tractatur, Audientiam exire, & non poſſint interuenire in aliquo partitu, & numerus remanens intelligatur ſufficiens. Omnis autem partitus, & deliberatio inter Dominos Priores obtineri debeat ſaltem per ſex fabas nigras, etiam, quòd integer numerus non adeſſet, & aliter non valeat, & non teneat vllo modo.

DE ABSENTIA COLLEGARVM, CONSILIARIORVM, ET ALIORVM OFFICIALIVM. XI.

SAEPE euenit, quòd propter abſentiam aliquorum Officialium Communis Arretij officia ipſa exerceri, & negocia ipſius peragi nequeunt: ex quo Arretina Ciuitas damna plurima interdum aſſequitur, cui quidem rei opportunè prouidere cupientes ſtatuerunt, quòd quicumque ex Collegis, vel Conſiliariis, Rectoribus Fraternitatis, & ipſius Fraternitatis, & Montis Miniſtris, & Officialibus, aut ex Magiſtris Doganæ, & dictæ Doganæ Miniſtris, & generaliter quilibet alius Officialis, aut Miniſter Cõmunis Arretij, poſtquam officium exercere incœperit, ſteterit abſens à Ciuitate Arretij per quindecim dies, aut per dictum tẽpus officium ſuum non exercuerit, illudq; exercere omiſerit, ſtatim ipſo Iure, & ſine aliqua declaratione officiũ ipſum amiſiſſe

ſiſſe intelligatur, nec illud amplius exercere valeat ſub pœna librarum quinquaginta. Teneanturq́;, & obligati ſint D.P.alium in locum talis abſentis,aut vt ſupra non exer centis extrahere conſtito eis de abſentia, vel quòd non exerceat. Et ſimiliter Recto-res Fraternitatis, pro Rectoribus,& Officialibus Fraternitatis, & Montis ſub pœna librarum quinquaginta pro quolibet & qualibet vice,niſi Officiales prædicti à dictis Do minis P.vel Rectoribus reſpectiuè licentiam habuerint,de qua licentia conſtare debeat per eorum partitum. Debeant inſuper Magiſtri Doganæ notum facere Dominis Prio ribus ſi aliquis ex eis, vel dictæ Doganæ Miniſtris abſens fuerit,vel officium ſuum non exercuerit per dictum tempus dierum quindecim ſub pœna librarum quinquaginta pro quolibet, & qualibet vice: Quarum quidem pœnarum dimidia pars Communi Arretij applicetur:reliqua verò pars Domino Capitaneo ſi de eis integraliter executionem fecerit.

DE OFFICIO CANCELLARII, ET NOTARII PALATII. XII.

IAM quidem de Officio Dominorum Priorum, & Collegarum, deq́; Conſilio, & alijs ad eorum officium pertinentibus lex optima compoſita eſt; ſed quoniam quæ fiunt, quæq́; per eos geruntur in ſcriptis redigi conuenit de Officio Cancellarij,& Notarij Palatij meritò ſtatuendum eſt. Qua de re hac præſenti in perpetuum valitura lege ſanxerunt; quòd D. P. & Collegę vnà cum Conſilio generali de menſe Octobris teneantur, & debeant eligere vnum Ciuem Arretinum I.V.D.in Cancellarium Communis Arretij, fiatq́; dicta electio per Triennium, & dicto tempore duret, & durare intelligatur officium dicti Cancellarij. Qui quidem Cancellarius teneatur, ac debeat quotidie in dicto Palatio adeſſe, dictisq́; Dominis Prioribus proponere, & ad memoriam reducere, quę in dies peragenda erunt; & ſemper interuenire quando dicti D.P. tractant publica negocia, aut publicè audiunt: Et ſimiliter in congregatione Collegarum, & Conſiliariorum, & in qualibet alia congregatione in dicto Palatio facienda, & etiam in examinandis Teſtibus in cauſis Appellationum, & nullitatum vnà cum Vexillifero Præpoſito, ac vno ſaltem ex Iudicibus Appellationum, & in toto proceſſu in dictis cauſis faciendo vſque ad ſententiam incluſiue: Inſuper formare petitiones Conſilio proponendas; literas etiam, quę per D. P. ſupradictos mitterentur, dictare; & in quolibet introitu Dominorum Priorum orationem habere aptam,& ornatam; & tandem cuncta, quæ ad Cancellariæ officium ſpectant, & pertinent; & quæ ſibi per D. P. & Collegas eorum imponerentur facere, & expedire. Habeant etiam dicti D. P. pro negocijs dicti Palatij, & dictæ Cancellariæ gerendis vnum Notarium Ciuem Arretinum, & in matricula Iudicum, & Notariorum Ciuitatis Arretij deſcriptum, & approbatum: Qui quidem Notarius per dictum Cancellarium eligi debeat, & per dictos Dominos Priores, & eorum Collegas approbari per octo dies ſaltem ante principium officij dicti Cancellarij: Qui Notarius teneatur, ac debeat ferè continuò in dicto Palatio moram trahere, & in dicta Cancellaria permanere,& vbi à quocumque facilè reperiri poſſit; & antè omnia de libris; & ſcripturis ipſius Cancellariæ; & alijs rebus ipſi Cancellariæ ſpectantibus, & in ea exiſtentibus inuentarium conficere vnà cum Prouiſore, & Syndico Communis: Teneatur inſuper dictus Notarius recipere, ac rogare omnes partitus, qui fierent, aut mitterentur inter Dominos Priores, & Collegas, & ſimiliter rogare ea, quę in Conſilio fierent, & generaliter omnia geſta, & acta Dominorum Priorum Collegarum, & Conſilij:

Poſſit etiam,ac debeat dictus Notarius ſtipulari, ac recipere nomine Communis Arretij omnes, & quaſcumque promiſſiones, conuentiones, & obligationes, ac ſatiſdationes, quæ fierent, aut fieri contingeterent à quocumque Officiali, vel Miniſtro ipſius Communis, vel quolibet alio ſingulari, ac priuato, eiſdemq; omnibus,& ſingulis iuſiurandum deferre; Teneatur inſuper rogare omnes, & ſingulos actus,& proceſſus,qui fierent in cauſis Appellationum, & nullitatum coram Dominis P. aut eorum Iudicibus; ac omnia, quæ fierent per Viarios, Officiales Graſciæ, & Conſeruatores legum; Teneatur etiam dictus Notarius redigere in ſcriptis, & in libris Reformationum, Extractiduum, & Stantiamentorum omnia, quæ fierent, aut in eis deſcribi,ac notari deberent: Et ſimiliter omnes literas tàm quæ mittuntur, quàm quæ recipiuntur copiare, & in Regiſtro literarum deſcribere ſub pœna librarum centum; & nihilominus nō poſſit nec dicto Notario, nec Cancellario aliquid pro eorum ſalario ſolui,ac ſtantiari, niſi prius ipſis Dominis P. & Collegis conſtiterit dictum Notarium omnes eius ſcripturas, ac omnia ſupradicta in dictis libris notaſſe, ac ſcripſiſſe,& ſi ſecus fieret non valeat dictum ſtantiamentum, & ſemper dicti Cancellarius, & Notarius teneantur reſtituere totum id,quod pro dicto ſalario receperint, ad quod reſtituendum de facto cogi poſſint per D.Capitaneum ad requiſitionem Dominorum Priorum,& Collegarum: Habeat etiam dictus Notarius pro quolibet dictorum officiorum librum,in quo ſimiliter notare,ac deſcribere teneatur omnia,quæ per dictos Officiales fierent,v ʒ.per Viarios, Officiales Graſciæ, & Conſeruatores legum, ac etiam redigere in librum omnes actus in cauſis Appellationum faciendos, quos libros eius peracto officio in Cancellaria prædicta dimittere debeat ſub pœna librarum vigintiquinque. Teneatur etiam redigere in librum (vt ſuprà) omnes rogitus Inſtrumentorum, qui fierent per Milites D.Capitanei de qualibet Tregua,aut pace; Quos dicti Milites ex forma Capitulorum in Cancellaria prędicta dimittere teneantur: ſtatuentes,quòd dictus Cancellarius pro eius annuo ſalario habeat ex pecuniis Communis Arretij florenos quinquaginta, & non vltra: Dictus verò Notarius florenos triginta ſex, & vlterius expenſas, ac victum in Menſa Dominorum P. Emolumenta verò ipſius Cancellariæ pertineant pro vna tertia parte ad Cancellarium ipſum, pro duabus ad dictum Notarium:Dictis etiā Cancellario, & Notario prohibitum ſit pœnitus officium procurationis exercere,com parereq; ad Bancum, aut in Iudicio quoquo modo ſub pęna librarum quinquaginta eiſdem de ſalario auferenda, & omnis actus per eos factus etiam alieno nomine ſit nullus ipſo Iure, & non valeat omninò: Quod quidem ſalarium eis,& eorum cuilibet ſolui, ac ſtantiari debeat quolibet trimeſtri per D. P. & Collegas dummodò acta in ſcriptis redacta, ac vt ſupra publicata fuerint,& non aliter, aut alio modo. Cæterum dictis Cancellario, & Notario minimè licere voluerunt extra Ciuitatem pernoctare,aut aliter moram trahere, niſi à D.P. licentiam habeant: Quam quidem licentiam vno eodemq; tempore eis dare non poſſint, ſed vni eorum tantum, ac per biduum, & non vltra, quod ſi vltra prędictum tempus eorum alicui extra Ciuitatem ire contigerit poſſint ipſi D.P. & Collegæ eidem licentiam concedere. Si verò dictus Cancellarius, ac Notarius contra prædicta fecerint, pœnam librarum decem pro quolibet, & qualibet vice incurrant, eorumq; amittant officium. Qui quidem Cancellarius, ac Notarius gaudeant, ac potiantur eiſdem priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, quibus dicti D.P.& Collegę, ac vt ſupra de eis ſtatutum eſt; Ipſiſq;, & alicui eorum iniuriam faciens, aut inferens pœnam, prout de Collegis dictum eſt, incurrat, & ſemper caſſationi Dominorum P.& Collegarum ſubiaceant.

DE OFFICIO CAPITANEI FAMILIAE. XIII.

CAPITANEVS Familiæ continuò in Palatio moram trahat, curetq́; , vt Famuli Palarij in dicto Palatio honeſtè verſentur, nec in eo ludant, aut aliquod turpe, & inconueniens faciant, quòd mandata Dominorum P. & Collegarum citò perficiant, quòd inter eos non litigent, non altercentur, neque rixentur, eosq́; corrigat, moneat, & coerceat, prout ſibi opportunum fore viſum cognouerit: Qui Famuli eidem Capitaneo in cunctis obedientiam, & reuerentiam præſtare teneantur: Teneatur etiam Capitaneus prædictus notificare facere per famulos Palatij omnes extractiones officiorum his, qui extracti fuerint ea die, vel ſequenti, ſi erunt in Ciuitate; ſi verò in Cortynis, vel in loco nõ diſtante à Ciuitate per decem miliaria infra duos dies, & Famuli prædicti dictas notificationes referre debeant, & ipſe Capitaneus illas notare, & ſignare in vno eius libro; & poſtea ipſi Cancellario, vel Notario Palatij referre ſub pœna librarum duarum eidem de ſuo ſalario auferenda vice qualibet: Inſuper teneatur parere mandatis ipſorum Dominorum P. & Collegarum in omnibus, & per omnia; aliaq́; facere, & obſeruare, ad quæ ex forma alicuius ſtatuti, & reformationis teneretur; eiſdemq́; immunitatibus gaudeat, quibus, & D.P. & ipſorum D. P. & Collegarum caſſationi ſubiaceat: Cuius officium per quatuor menſes duret: & habeat pro ſuo ſalario de pecuniis Palatij libras ſeptẽ pro quolibet menſe, & expenſas, vt moris eſt.

DE OFFICIO PROVISORIS, ET SYNDICI COMMVNIS ARRETII. XIIII.

QVONIAM in pluribus ipſius Ciuitatis reformationibus, ac conſtitutionibus ſatis ſuperq́; de officio Prouiſoris, ac Syndici diſpoſitum eſt, & ſancitum. Idcirco hac ſemper valitura lege ſtatuerunt, quòd ipſe Prouiſor, ac Syndicus fiat, ac eligatur iuxta ipſarum Reformationum formam, omniaq́; in eis contenta, ac deſcripta inuiolabiliter, & ſub pœnis, & præiudiciis, de quibus in eis ſeruare teneatur, ac maximè Capitula nouiſſimè facta ſub die xiij Aprilis M. D. X X X I I I I. ac omnia, & ſingula alia capitula, & reformationes circa eius officium hactenus facta, & factas, vel in futurum facienda, vel faciendas; Teneanturq́; ſeruare, ac exequi contenta, ac diſpoſita in his præſentibus ſtatutis, & ſanctionibus, & maximè in ſtatuto, & Rubrica De deſcriptis in libro Speculi; quia ſic ſtatutum fuit; caſſationiq́; Dominorum Priorum, & Collegarum ſubiaceat.

DE VIARIIS, ET EORVM OFFICIO. XV.

CVM quæ probis vſibus, continuiſuè, ac neceſſariis collata exiſtunt, ex frequentia, continuoq́; curſu corrumpantur, conuenit publica vtilitate Viariorum officium conſtituere, per quod, quæ omnium vſu, & vtilitate poſita ſunt ritè manu teneantur, & conſeruentur, vt omnibus tutè eorum pateat vſus. Statuerunt igitur fieri in dicta Ciuitate officium Viariorum numero quatuor: Qui Viarij teneantur, ac debeant, qualibet Die Iouis, & quoties eiſdem per D. Vexilliferum præceptum, aut notificatum fuerit, congregari vnà cum dicto Vexillifero in Palatio Communis, vt quæ ad eorum officium ſpectant, exerceant, ac expediant ſub pena librarum decem pro quolibet, & qualibet vice, pro qua Vexillifer ipſos deſcribi faciat in libro Speculi per Syndicum

dicum Communis, & habeant qualibet Die Iouis tantum, qua congregabuntur de pecuniis Communis Arretij ſolidos ſeptem pro quolibet, qui effectualiter interuenerit, pręcedente tamen ſtantiamento D. P. & teneatur ſemper Notarius Palatij notare abſentes, & eos, qui non interuenerint. Teneanturq; Viarij prædicti reparari facere, in Ciuitate, Campariis, Cortynis, atque Capitaneatu Arretij ſtratas, vias, vicos, & pontes quoſcumque reparatione indigentes; poteſtatemq; liberam habere voluerunt præcipiendi, & mandandi cuilibet ciui, & comitatino Cortynarum, & de Capitaneatu Arretij, quòd foſſata mundent, ac mittant curſus Fluminum, & Riuorum, ac Torrentium diriga̅t, & quòd ſtratas, vias, vicos, pontes, & cloacas aptent, & reficiant, & ad prædicta facienda præcipere poſſint cuicumque, vt ſupra, quòd perſonaliter vadat, vel per ſubſtitutum, & cum bobus, & aſinis ad vehendum ligna, lapides, calcem, & arenam portandam, & omne cęmentum neceſſarium ad talem reparationem, ſeu conſtructionem. Quicumque verò præcepta dictorum Viariorum contempſerit, & eis non paruerit, poſſit de facto per eoſdem Viarios condemnari pro qualibet vice in libris quinque: Quæ pręcepta fieri debeant per dictos Viarios, aut per vnum ex baiulis Communis Arretij, vel alium deputatum per eoſdem Viarios, aut eorum parte, aut voce præconis. Condemnati verò per dictos Viarios cogi, & compelli poſſint, & debeãt per D. Capitaneum Ciuitatis Arretij ad voluntatem dictorum Viariorum pro condemnatione per eos facta ad ipſam cum effectu ſoluendam: Quarum quidem condemnationum medietas erogari debeat, ac expendi in conſtructione, ac reparatione Pontium, ſtratarum, & cloacarum prædictarum per dictos Viarios: Quarta verò pars earumdem condemnationum ſit Rectoris qui de prædictis executionem fecerit: Alia verò quarta pars ſit eorumdem Viariorum. Ad hoc verò vt Ciuitas Arretina munda perſiſtat, & putredine aer non inficiatur, ſtatuerunt, vt Viarij prædicti teneantur facere reaptari cloacas omnes exiſtentes in Ciuitate Arretij, & vbi non eſſent, de nouo fieri facere; & debeant facere fieri præceptum omnibus, & ſingulis vicinis illius loci, ſeu conuicinię, vbi facienda eſſet cloaca, aut reapranda; quòd infra vnum Menſem debeat reaptari facere, aut de nouo conſtruere in viis tantum pro quolibet, quantum tendit cuiuſcumque domus ſua. Si verò dicti conuicini, aut alter eorum tale præceptum contempſerint, & non obtemperauerint, & quæ in mandatis habuerint non adimpleuerint, poſſint, ac valeant dicti Viarij dictas cloacas reaptare facere, aut de nouo conſtruere ſumptibus dictorum conuicinorum, quos tale contingeret negocium, & eas expenſas inter eoſdem conuicinos pro Rata diſtribuere, & quòd à tali diſtributione nullus poſſit dicere ſe grauatum, appellare, vel de nullitate dicere, vel opponere: Et facta huiuſmodi diſtributione dicti Viarij teneantur, & debeant aſſignare terminũ octo dierum cuicumque ex dictis vicinis concurrere debentibus ad eaſdem expenſas pro rata ſoluendum. Si verò tales conuicini debentes ſoluere, vel alter eorum fuerit negligens & non ſoluerit infra dictum terminum eis ſtatutum; eo caſu prędicti Viarij poſſint eos, & quemlibet eorum negligentes in ſolutione prædicta dare exigendos, ſiuè exigendum Militi, aut Officiali D. Capitanei, & grauandos donec ſoluerint omne id, quod tali diſtributione tenerentur, & Miles, ſeu Officiales, qui de prædictis fecerit executionem percipere poſſit ſolidum vnum pro qualibet libra eius, quod exigere fecerit, & ſoluere à prædictis: Quam quidem ſaluberrimam conſtitutionem declarare, illiq; addere cupientes ſtatuerunt, quod dicti Viarij, vel ſaltem duo ex eis, ac vnus ex Notariis D. Capitanei teneantur, ac debeant quolibet anno de menſe Februarij, aut Martij, ac iterum de menſe Septembris, aut Octobris ire per Cortynas Ciuitatis Arretij, ac perquirere, diligenterq; inueſtigare omnes vias, & ſtratas dictarum Cortynarum, & ſi quas

inuenerint deuaſtatas, vel deuaſtari incæptas, adeò quòd non ſatis vti, aut habitari poſſint, & proptereà reſtauratione, ac reparatione indigentes poſſint, ac debeant præcipere Communitatibus illius Quarterij, in quo dictæ viæ erunt vni, vel pluribus viciníoribus, vel quibus eis opportunum, ac conueniens viſum fuerit, hominibuſq;, ac perſonis ipſarum Communitatum, quòd dictas vias reparent, ac reſtaurent infra tempus congruum, ac per eos aſſignandum, cum lignis, ſtipa, ſaxis, vel glarea, vel prout eis videbitur ſub pœna librarum vſque ad libras decem pro qualibet vice, vt ſuprà applicanda: Ad quarum Viarum, ac ſtratarum reparationem teneri voluerunt, ac ſtatuerunt Communitates illius Quarterij, in quo tales viæ erunt: Et vbi vias, aut pontes reparatione non indigere per aliquem diceretur, poſſit infra biduum recurri ad Magnificum D. Capitaneum qui infra quatuor dies ſequentes cauſam ipſam decidat, quo termino elapſo, ſi deciſum non fuerit, procedatur iuxta dictorum Viatiorum determinationem: Et ſimiliter inſpicere pontes in dictis viis exiſtentes, quod ſi inuenerint parua reparatione indigere, poſſint præcipere Cõmunitatibus ipſius Quarterij, in quo pontes erunt, vt eos reſtaurent ſub pœna vt ſuprà: Si verò dicti pontes magna reparatione egerent, aut eos de nouo conſtrui oporteret, debeant reparari, & conſtrui de pecuniis Communis Arretij pro duabus tertiis partibus: pro alia verò teneantur Cortynæ ipſius Ciuitatis, & ſemper cogi poſſint, ac debeant per D. Capitaneum ad ſoluendum dictam tertiam partem pro reſtauratione, & conſtructione prædictis ad requiſitionem dictorum Viariorum. Teneantur inſuper Cortynæ prædictæ, & homines ipſarum portare ligna, lapides, & omne cæmentum pro reparatione, & conſtructione pontium dictorum, eiſq; præcipi poſſit per dictos Viarios iuxta præſentis ſtatuti formam, & tenorem. Viæ autem, quæ in Cãpariis ſunt reparari, ac manu teneri debeant expẽſis Communis Arretij pro duabus tertiis partibus: pro alia verò tertia parte expenſis Cortynarum. Curent etiam Viarij prędicti, vt viæ ac pontes in Campariis exiſtentes reparentur, ac conſeruentur, & pro reparatione, & conſeruatione prædicta præcipere valeant Viciniorıbus dictis viis, aut eis frequentius vtentibus, quòd portent ligna, lapides, & alia pro dictis neceſſaria, & quòd ipſas vias, vel pontes reparent, prout eis viſum fuerit ſub pœna vt ſuprà: Et quoniam ſuperius de Foſſatis dictum eſt, ſtatuerunt, quòd Foſſata ſecus vias exiſtentia, tàm in Campariis, quàm in Cortynis mundari, ac fieri debeant quolibet anno per totam diem quindecim Septembris ſub pœna librarum duarum, vel minori, prout dictis viariis videbitur: Quæ Foſſata ſimiliter dicti Viarij vna cum dicto Notario inſpicere, ac perquirere debeant, quæ quidem pœna vt ſuprà applicata eſſe intelligatur. Curent inſuper Viarij prædicti, vt Ciuitas Arretina iam diruta, & in viis deformata reparetur, ac reſtauretur: Teneanturq;, ac debeant vias omnes, & Plateas reparare, ac reparatas conſeruare, & pro prædictis expendere poſſint de pecuniis Communis Arretij vſque ad ſummam librarum ſeptuaginta, & non vltra eorum officio durante, niſi de licentia Conſilij Generalis. Vt verò Ciuitas ipſa conſeruetur, & munda perſiſtat, ſtatuerunt, quòd dicti Viarij teneantur, ac debeant omni ſtudio ſeruare facere ſtatutum De Ciuitate Arretina munda retinenda, omniaq; in dicto ſtatuto contenta exequi, ac executioni mandare, prout in dicto ſtatuto cõtinetur: Et vt facilius dicti Viarij, quæ ad eorum officium ſpectant, perficere, ac exequi valeant, teneatur D. Cap. Ciuitatis Arretij eis præſtare omne auxilium, ac fauorem præcipiendo, exequendo, grauando, ac perſonaliter detinendo quotieſcumque, & quandocumq; ab eis fuerit requiſitus: ſtatuentes, etiam, quòd Viarij prædicti intelligãtur eſſe, & ſint Diffinitores Communis Arretij, officiumq; Diffinitorum ad Viarios prædictos de cetero ſpectet, ac pertineat, omniſq; auctoritas per ſtatuta dictis Diffinitoribus, & eorum

officio gerenda proponenda, ac deliberanda, & ſimiliter omnia præcepta, Denunciationes, & Condemnationes in ſcriptis redigere, ac redigi facere in libro, qui dicatur liber Viariorum per Notarium Palatij Communis Arretij, & aliter acta, aut geſta non valeant, nullumq; effectum ſortiantur. Huic autem conſtitutioni addere voluerunt, quod nulli cuiuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat liceat de cetero ſuper aliquo Flumine exiſtente in Campariis, Cortynis, aut Capitaneatu Arretij ædificare, conſtruere, aut ædificare facere aliquam clauſuram, ſteccatam, aut Piſcariam ex lapide, aut lignis, aut iam ædificatam, & conſtructam altius tollere ſine expreſſa licentia D. Capitanei, & Viariorum, qui inſpecto loco, & maturè conſiderato an ex tali conſtructione, aut eleuatione damnum aliquod inferretur aliquibus perſonis, vel eorũ bonis, aut aliquibus molendinis vicinis; poſſint dictam licentiam concedere, vel denegare, prout eis viſum fuerit. Si quis verò dicta licentia non petita, nec impetrata fabricare, ſeu; vt ſupra, altius tollere auſus fuerit pœnam ducatorum centum incurrat; cuius pœnæ tertia pars ſit Communis Florentiæ: Tertia Communis Arretij: reliqua ipſius Domini Capitanei, & vlterius omnè id, quod conſtruxerit diruat. Nec etiam liceat alicui in Ciuitate Arretij diſtruere, aut deuaſtare, nec deſtrui, aut deuaſtari facere aliquam domum, Turrim, aut aliquod aliud antiquum ædificium, niſi primo à Viariis, & deinde à Conſilio generali licentiam habuerit ſub pœna ducatorum centum applicata, vt ſupra: Et quia in Ciuitate Arretij ſunt quam plura caſolaria, & plateæ, & ignoratur, qui ſit eorum Dominus, & ſic ſtant deſtructæ, & ſolo adæquatæ, quod vertitur in dedecus Ciuitatis Arretij, & eius maximum detrimentum. Ideo ſtatuerunt, quòd cum ad notitiam peruenerit dictis Viariis de dictis caſolariis, aut plateis, quòd tunc, & eo caſu teneantur dicti Viarij, ac debeant facere fieri tria bannimenta per Ciuitatem Arretij in locis publicis, & conſuetis de octo diebus in octo dies, quòd ſi quis vellet emere caſellinos, aut plateas poſitas, & confinatas, vt ſunt in veritate, vadat ad offerendum precium, quod exponere intendit pro dicta re vendenda Cancellario Communis Arretij infra tempus dictorum bannimentorum, & eis ſeruatis, & viſis oblationibus factis liceat dictis Viarijs vendere dictas res, aut alteram earum plus offerenti abſq; aliqua obligatione, aut hypoteca ipſorum Viariorum, aut bonorum eorum, aut Communis Arretij: cum hoc tamen, quòd emptor caſolarij huiuſmodi vendendi ſe obliget in contractu dictę emptionis facere reaptari infra tempus præfigendum in dicto contractu per dictos Viarios; & emptorem, & ſub pęna inter eos conuenienda, quę apponi debeat in dicto contractu: Si verò emptor fuerit plateæ obliget ſe in contractum emptionis prædictæ ad murandum circumcirca dictam plateam ad calcem infra tempus, & ſub pœna, prout inter dictos Viarios, & emptorem fuerit conuentum: Precia huiuſmodi rerum venditarum debeant per dictos Viarios immitti in capſone Fraternitatis Sanctæ Mariæ della Miſericordia Ciuitatis Arretij, in quo reconduntur denarij dotium Puellarum, Pauperum conſtituti per Rectores Fraternitatis earum dotibus; quæ quidem precia tanto tempore ſtare debeant in dicto capſone, quàm diù per ſententiam diffinitiuam cui pertineant adiudicata erunt: Lata verò ſententia ſuper his, quæ appareant cuius ſint debeant Rectores Fraternitatis prędictæ reddere, & reſtituere precium dictæ rei venditę illi in ſententia contento: Cum hoc quidem, quòd dicti Rectores prædicta facere non teneantur, niſi prius habito præcepto per Iudicem, qui talem tulerit ſententiam, aut eius ſucceſſorem in ſcriptis de ſoluendo dictum precium.

DE ARRETINA CIVITATE APTANDA, ET MVNDA RETINENDA. XVI.

STATVERVNT, & ordinauerunt, quòd nullus Beccarius, aut Carnifex, vel quiuis alius,cuiuſcumque ſtatus, gradus,aut conditionis exiſtat,audeat, vel præſumat decoriare aliquam beſtiam in domibus, hortis, caſellinis, plateis infraſcriptarum viarum, aut poſitarum, ſiue deſcriptarum in cataſto, ſiue in libro libræ Communis Arretij infraſcriptis viis,& contratis,aut aliqua earum & diſpoſita in præſenti capitulo non intelligantur pro Hædis, ſiue Agnis, vel animalibus ſaluaricis à Porta Domini Capitanei rectè deſcendendo vſque ad Eccleſiam Sancti Iacobi extra Pontem à Porta Colcitronis veniendo rectè vſque ad Angulum Crucis: à loco qui dicitur Il Bancaccio deſcendendo vſque ad Eccleſiam Annunciatæ: à Porta arcis,vſque ad Portam Sancti Laurentini: à Platea Dominorum P. deſcendendo vſque ad Hoſpitale Sancti Antonij de Porta noua:in Platea Communis,in qua fit forum,nec prope eam per centum brachia: in contrata Pellicciariæ: in contrata Albergottorum: in contrara Piſcariæ: in contrata Bicchieraiæ Iſacchinorum: ab Angulo laſtrici ſiue Fori vſque ad Angulum Plateæ Sancti Dominici incluſiuè; ſub pęna librarum decem pro quolibet,& qualibet vice, qua quiſque contrafecerit: Et quòd nulla perſona, cuiuſcumque gradus, aut conditionis exiſtar, audeat, vel præſumat tenere in dictis Viis, aut Plateis Porcos, aut Anſeres vnum,vel plures ſub pęna ſolidorum vigintiquinque pro quolibet,& qualibet vice, qua contrafieret: Et quòd nullus poſſit facere in dictis Viis, aut locis, vel aliquo eorum artificium Conciæ Coraminis, aut pellium pro cartis membranis, aut de cætero conſtruere Molendina ad oleum ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice: Et quòd nulla perſona poſſit, vel ſibi liceat in dictis viis, aut plateis,vel locis extra eius Apothecas, vel domos retinere, aut extendere coria piloſa ad ſiccandum ſub pœna librarum decem pro quolibet,& qualibet vice; nec etiam poſſit retinere in dictis viis ligna, aut lapides aptos ad murandum, vel alia cæmenta vltra quindecim dies ſine licentia Viariorum ſub pœna librarum decem pro quolibet contrafaciente; nec etiam poſſit aliquis retinere in dictis Viis, aut plateis terrenum aliquod modo aliquo,niſi excedat quantitatem vnius ſalmæ, & ſi excedat quantitatem vnius ſalmæ non poſſit retinere vltra quindecim dies ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice. Et ſimiliter quis retinere non poſſit fimum, ſiue paleas contritas in dicta via modo aliquo, niſi excederet quantitatem vnius ſalmæ quo caſu per vnam diem retinere poſſit, & non vltra ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice: Dictumq; Terrenum portare non poſſit ad aliquem locum, niſi ſecus muros Ciuitatis, & illum ponere iuxta, & ſecus męnia à Porta Sancti Blaſij vſque ad Turrim, quæ eſt contra viam Sancti Iuliani. Item ſtatuerunt, quòd nullus etiam poſſit retinere extra bancas ſuas in via publica vltra dictas bancas à Canale vſque Eccleſiam Sācti Iacobi extra Pontem aliquam rem, quæ Burgum, ſiue viam occupet, quin per totam perſonaliter, vel cum beſtiis iri poſſit,& expeditè: Hoc tamen excepto, quòd quando non pluat, liceat lanificibus tenere vltra bancas apothecarum ſuarum vnam bancam pro retinendis pannis ad sbrollandum, ſeu ad reuidendum. Si verò plueret,modo aliquo retinere non poſſint ſub pęna librarum decem pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice: & prædicta locum non habeant, nec intelligantur pro ſtanghis altè appenſis in dicta via. Præterea ſtatuerunt,quòd nullus audeat, vel præſumat ludere ad pilam in Burgo prædicto à Canale vſque ad cloacam iuxta Eccleſiam Societatis Sancti Antonij ſub pęna librarum

rum decem pro quolibet, & qualibet vice: Et pro prædictis teneatur ſuppoſitus D. Capitaneo Arretij pro non ſuppoſito Iuriſditioni Domini Capitanei prædicti, cum quo luderet contra formam præſentis ſtatuti. Inſuper cum loca magis frequenriora, aliis mundiora eſſe debeant: Idcirco ſtatuerunt, quòd nullus modo aliquo audeat, vel præſumat ponere, aut retinere fimum, aut paleas contritas, aut Terrenum, nec pelles ſiccare, aut extendere, aut aliquid turpe in via recta à Sancto Auguſtino vſque ad ſocietatem Spiritus Sãcti de Arretio incluſiuè ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice, cum dicta via multum ab hominibus frequentetur. Inſuper ſtatuerunt, quòd nullus cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtat, audeat, vel præſumat retinere in Ciuitate Arretij aliquem porcum maſculum, ſiue fœminam; paruum, ſiue magnum, qui vadat per Ciuitatem Arretij ſub pœna librarum decem pro quolibet porco eunte per dictam Ciuitatem, vel per aliquam ex dictis viis dictæ Ciuitatis quibuſcumque in contrarium non obſtantibus, & pro obſeruatione contentorum in præſenti Capitulo Viarij Ciuitatis Arretij teneantur, & debeant infra tres dies à die eorum incępti officij committere Notario extraordinario, & ipſius famulis, quòd dictam Ciuitatem, & loca omnia ipſius perquirant, & huic conſtitutioni contrafacientes eorũ officio denuncient: Qui, poſtquam denunciati fuerint, citari debeant per Famulos prædictos, quòd infra triduum compareant coram dictis Viariis ad dicendum cauſas, quare condemnari nõ debeant; pro quibus quidem citationibus ipſi Famuli habeant ſolidum vnum pro qualibet citatione: Et ſi in dicto termino non comparuerint, vel ſi comparuerint, & cauſas non iuſtas, nec rationabiles allegauerint, condemnari debeant per dictos Viarios infra octo dies ſequentes in pœnas in præſenti ſtatuto contentas: Et quoties eidem contrauentum fuerit, & condemnati ſtatim incamerari debeant in Dogana Communis Arretij, & dari Officiali Reſcontri: Quarum quidem pœnarum medietas ſit Communis Arretij: quarta D. Capitanei, ſi de dicta pœna executionẽ fecerit: reliqua verò Viariorum officio perueniat. Si verò dictus Officialis, vel Famuli ipſius non denunciauerint contrafacientes, vt ſupra, condemnetur dictus Officialis in libris viginti quinque: Dicti verò Famuli in libris decem, vt ſupra applicatis; & vlterius ab eorum officio per D. P. & Collegas remoueri debeant facta relatione de prædictis per dictos Viarios, & nihilominus quilibet alius poſſit denunciare, & denunciatio ſecreta eidem teneatur, habeatq; partem quartam pœnæ, in quam denunciatus incurrerit, & tunc nulla pars dictis Viariis perueniat. Statuentes, quòd D. Capitaneus Ciuitatis Arretij habeat, & habere intelligatur eamdem auctoritatem cõdemnandi iuxta præſentis ſtatuti ſeriem, ac tenorem: Et ſimiliter Notarij, & Officiales ipſius D. Capitanei poſſint inquirere, & denunciare, vt ſupra, & in prędictis ſemper præuentio locum habeat: Huic autem Cõſtitutioni generaliter prouidere cupientes, ſtatuerunt, quòd non ſolum vię, & loca, de quibus ſuperius dictum eſt, ſed omnes aliæ viæ, & plateæ ipſius Ciuitatis mundæ retineantur, nullusq; audeat, vel præſumat ante domum ipſius vel in viis, aut plateis aliquod turpe ponere, mittere, aut retinere ſub pœna librarum quinque, & quilibet ante domum, quam habitat qualibet hebdomada ſcopis mundare, & quod mundauerit inde aſportare ſub pœna librarum triũ teneatur, & contrafacientes denunciari, ac condemnari debeant, vt ſupra, non obſtantibus quibuſcumque.

DE OFFICIO DIFFINITORVM. XVII.

OMNIS lis, quæſtio, aut controuerſia, quæ verteretur inter aliquos Ciues Arretinos, aut Comitatinos Cortynarum Arretij de Terminis, aut confinibus; menſu-

menſuraúe alicuius ædificij, bonorumq; aliorum, ſeruitutibus, aquęductis, platearum, riparumúe, & Foſſorum, Fluminum, Riuulorum, ac Torrentium, ſæpium, aut alterius cuiuſcumque rei in Ciuitate, Campariis, aut Cortynis prædictis exiſtentis, quòd ad petitionem partis petentis litem, cauſam, & controuerſiam huiuſmodi decidi, declarari, aut determinari debeant per Diffinitores Ciuitatis Arretij in hunc modum, videlicet. Debeat primò pars citari pro qualibet die perſonaliter ſiue ad domum coram Domino Capitaneo, vel eius Iudice, & talis volens dictam cauſam Diffinitoribus committi, die, pro quo aduerſarius ſuus fuerit citatus, comparere debeat coram dicto Domino Capitaneo, vel eius Iudice, & narrare ſimpliciter, aut per libellum, ſiue ſummariè, qualiter eſt differentia, lis, & cauſa inter ipſum & aduerſarium ſuper tali re, & cauſa, & petere dictam cauſam, litem, ſeu differentiam inter eos vertentem per dictum Dominum Capitaneum, aut eius Iudicem dictis Diffinitoribus cognoſcendam, & terminandam committi: Et dictus D. Capitaneus, vel Iudex prædictus ſeruatis ſeruandis debeant dictam cauſam committere dictis Diffinitoribus, & eiſdem Iuramentum deferre, & per eos præſtari facere ſolemniter, quòd Ius, & Iuſtitiam partibus adminiſtrabunt ſuper litibus, cauſis, & differentiis eorum. Inſuper dicti D. Capitaneus, vel Iudex, præſtito Iuramento per dictos Diffinitores, ilico teneantur, dictis Diffinitoribus, & cuilibet eorum præcipere, quòd huiuſmodi cauſam, quæ fuerit de re exiſtente in Ciuitate Arretij infra quinque dies à die commiſſionis eis factæ & cauſam, quæ fuerit de re exiſtente in Campariis, & ſeu Cortynis infra decem dies à die dictæ eis factę commiſſionis terminare, diffinire, & declarare debeant ſub pœna librarum viginti quinque pro quolibet contrafaciente ex Diffinitoribus antedictis. Et quia tales differentię, lites, vel cauſæ, & controuerſiæ non rectè iudicari poſſunt, niſi oculata fide perſpiciantur; ſtatuerunt, quòd Diffinitores, priuſquam determinent, aut aliquid faciant ſuper huiuſmodi differentiis, debeant ad locum ire, & videre rem, ſuper, & de qua dubium vertitur, & in eo loco partes audire, & inſtrumenta videre, ſi qua producuntur, aut allegantur, & teſtes examinare ad hoc, vt veritatem habeant, & huiuſmodi rei intelligentiam; Et hoc ſeruato debeant, & poſſint talem litem, cauſam, & differentiam terminare, diffinire, & ſententiare infra dictum terminum ſub dicta pœna, & omnis ſententia, diffinitio, & declaratio facta per dictos Diffinitores Dominus Capitaneus Arretij, vel eius Iudex teneatur, & debeat exequi, & executioni mandare ad petitionem petentis poſt dies octo à die talis ſententiæ, aut determinationis latæ, & notificatæ numerandos. A ſententia verò determinatione, vel diffinitione dictorũ Diffinitorum appellari non poſſit, aut de nullitate dici coram alio Rectore, aut officio, vel Officiali Communis Florentiæ, aut Cõmunis Arretij, quando dicta ſententia, declaratio, aut diffinitio dictorum Diffinitorum fuerit approbata per dictũ D. Capitaneum, vel eius Iudicem, cotã quibus, vel altero eorũ infra dictos octo dies voluerũt de prędictis ſentẽtiis, & diffinitionibus querelam proponi poſſe, & terminari: Et dictus Capitaneus, vel Iudex nõ determinans infra alios octo dies à die propoſitæ querelę cõputandos ipſo facto incidat in pœnã librarũ viginti quinque applicandarũ immediatè Offic. Legũ Ciuitatis Florentiæ. Quando vero prædicta omnia, vt ſupra, ſtatuta, ad quę tenentur dicti Diffinitores, nõ fuerint ordine prędicto obſeruata, talis ſententia ſit ipſo Iure nulla: Et inſuper voluerũt, quod omnis ſententia, ſiue diffinitio dictorũ Diffinitorum ſeruatis ſeruandis, vt ſupra, intelligatur approbata per dictũ D. Capitaneũ, aut eius Iudicẽ ſi infra dictos octo dies per dictũ D. Cap. vel eius Iudicem non fuerit in contrariũ diſpoſitum, & per ipſum Capitaneum, vel eius Iudicẽ, vel eorum quemlibet non ſteterit. Item ſtatuerũt, quòd de omnibus, & ſingulis actis, ſententiis, & diffinitionibus, commiſſionibus, citationibus emergentibus

gentibus in dictis cauſis Notarius banci cauſarum Ciuilium Communis Arretij rogari debeat,& in omni,& quocumque actu ex præmiſſis,vel altero opportuno in prædictis,vel circa prædicta, vel aliquo prædictorum tam faciendorum per dictos Diffinitores,quàm per D.Capitaneum,vel eius Iudicem pars debeat citari, aut moneri ad petitionem partis petentis talem actum fieri. Si verò contigerit aliquem occupare rem aliquam Communis Arretij, aut de Iure eidem competenti,teneantur dicti Diffinitores ad requiſitionem Dominorum Priorum Populi,& Cõmunis Arretij, aut habentiũ auctoritatem à dicto Cõmuni, ire ad Iudicem, & petere dictam rem, ſeu bona huiuſmodi occupata, & quicquid de ea, vel de eis per dictos Diffinitores determinatum fuerit habeat perpetuam Iuris firmitatem quacumque appellatione prohibita. Quas quidem omnes Appellationes per præſens Capitulum noluerunt poſſe modo aliquo interponi, vel admitti; & ſi modo aliquo interponerentur,voluerunt, Iure ipſo fore nullas, & nullius efficaciæ, & effectus, faciendo ſemper de prędictis rogatum Cancellarium Communis Arretij, & ipſe Cancellarius teneatur,& debeat prædictas ſententias,& diffinitiones dictorum Diffinitorum ſcribere in libro Reformationum Communis Arretij. Si verò caſus aduenerit, quòd aliqui ſuppoſiti D.Capitaneo Ciuitatis Arretij domum, ſiue domos, aut caſellinos haberent in Ciuitate,Cortynis,aut Capitaneatu prædictis,& muros communes, & eorum alter de nouo facere aliquod ædificium, & dicti muri,aut aliqui eorum non eſſent ſufficientes ad dictum ædificiũ,tum quia eſſent murati cum creta, aut cum calce licet minarentur ruinam, aut ſuſpicio de ruina imminerer, ſi ſuper eis, aut altero eorum ædificaretur,aut quis vellet communem murum minantem ruinam aptare,aut de nouo facere,quia non eſſet bonus,ſiue ſufficiens,& vicinus nollet dictum murum reaptare,aut de nouo facere ſiue per impotentiam,& paupertatem, aut partium diſcordiam, decreuerunt, quòd Dominus Capitaneus Ciuitatis Arretij ad petitionem dictarum partium, aut alterius earum, aut alterius perſonæ, cuius intereſſet, teneatur cogere partes præfatas ad eligendum duos Viarios pro qualibet parte, qui vnà cum dictis Diffinitoribus debeant determinare, & oculata fide videre, & conſiderare qualitates perſonarum, & ædificij faciendi de nouo,aut reparandi, & declarare quomodo, & qualiter fieri debeat dicta ædificatio, & reparatio, de quibus eſſet diſcordia: & quicquid per dictos electos, & Diffinitores factum, geſtum, & ſententiatum fuerit ſuper prædictis, aut ſolutione facienda habeat, & habere intelligatur plenam Iuris firmitatem, & exequi, & executioni mandari poſſit, & debeat ad petitionem partis petentis, nulla exceptione obſtante: Et à prædictis appellari, aut de nullitate dici, aut recurri ad arbitrium boni Viri non poſſit; & ſi modo aliquo appellaretur, aut de nullitate diceretur, aut recurreretur talis actus ſit ipſo Iure nullus. De omnibus autem ſupradictis ſententiis, & declarationibus ſemper debeat eſſe rogatus Notarius banci Cauſarum Communis Arretij, præterquam in cauſis Communis Arretij, in quibus Cancellarius rogari, vt ſupra, debeat: Et dictus Dominus Capitaneus, vel eius Iudex teneatur, & debeat ad petitionem partis petentis facere fieri pręceptum ſupradictis Diffinitoribus,quòd differentiam, & cauſam eis cõmiſſam debeant terminare infra dictum tempus, ſub pœna, prout videbitur, & placebit dicto D.Capitaneo,vel eius Iudici. Inſuper decreuerunt,quòd præfati Diffinitores pro omni,& qualibet ſententia,declaratione,aut determinatione per eos lata vigore eorum officij,aut præſentis ſtatuti habeant,& conſequi, & habere poſſint pro eorum ſalario, ac mercede illud, quod per dictum D.Capitaneum, vel eius Iudicem taxatum fuerit:Quam quidem taxationem ſalarij præfati Dominus Capitaneus, vel eius Iudex, aut Miles ſocius teneatur de facto exequi, & executioni mandare abſque alia Iuris,

aut

aut ſtatutorum ſolemnitate ad petitionem dictorum Diffinitorum, & in quacumque cauſa committenda Diffinitoribus procedi debeat qualibet die; & ipſæ cauſæ terminari debeant ſummariè de plano, & ſine ſtrepitu, & figura Iudicij aliquibus in contrarium diſponentibus non obſtantibus. Statuerunt etiam, atque decreuerunt occaſione ſedandarum litium, quæ tam breui tempore ab hoc ſtatuto ipſo præfixo nequeunt iuridice cognoſci, cum ſæpe antiqua inſtrumenta & vetuſtiſſima, facta, & longos vſus, & modos quæſitarum ſeruitutum perſcrutari oporteat, & nonnumquam iureperitos cõſulere, quòd idem D. Capitaneus, & Iudex, ſiue cauſa, vel res fuerit in Ciuitate, ſiue in Cortynis, aut in Capitaneatu, vt rectius, & iuſtius valeant Diffinitores cauſas ad eos deuolutas terminare præfatus D. Capitaneus, vel Iudex poſſint terminum quinque ac decem dierum, vt ſupra, ad decidendum præfixum prorogare vſque ad duplum ſingula ſingulis referendo. Et in omni caſu, in quo cauſa tractaretur alicuius Coniuncti alicuius Diffinitorum ſupradictorum vſque ad quartum gradum incluſiuè, tunc talis Diffinitor coniunctus non interueniat in aliquo actu, ſed eius loco ſorte ſubrogetur vnus ex Rectoribus pro tempore exiſtentibus. Statuentes, quòd huius præſentis ſtatuti auctoritas conceſſa eſſe intelligatur, & ſit Viariis Ciuitatis Arretij, & dicti Viarij ſint, & eſſe intelligantur Diffinitores, & Diffinitorum loco habeantur.

DE OFFICIO OFFICIALIVM GRASCIAE. XVIII.

QVONIAM Reipublicæ intereſt rerum omnium abundantiam habere, & quòd hominum aſtutia, & ingenio res ipſæ chariores non fiant: Idcirco ſtatuerunt, quòd in dicta Ciuitate ſint, ac debeant eſſe Officiales Graſciæ; Qui Officiales habeant auctoritatem ſtatuendi, & imponendi precia cuicumque generi carnium, & piſcium vendendorum ad minutum in Ciuitate, Campariis, & Cortynis Arretij, & ſtatuendi pondus panis, & eius precium: Item imponendi precium candelis de ſego, & cuicumque rei ad Graſciam pertinenti, prout eis viſum fuerit tam in pondere, quàm in precio, & menſura. Inſuper præfati Officiales habeant auctoritatem, poteſtarem, & baliam prouidendi taliter, quòd in quacumque die Sabbati Carnifices, Hoſpitatores, ac Reuenditores non poſſint aliquid emere de rebus pertinentibus ad Graſciã, quę deferuntur ad forum vſque ad certam horam dictæ diei modo, & forma, prout eis videbitur melius, & congruentius conuenire: Item prohibendi, ac præcipiendi, ne fiant aut aliqua genera carnium vendantur certis temporibus, prout eis viſum fuerit; & ne oleum exeat extra Ciuitatem, vel Cortynas Arretij. Habere inſuper voluerunt dictos Officiales Graſciæ auctoritatem plenam poſſe imponere pœnam in quibuſcumque eorum impoſitionibus, edictis, bannimentis, & præceptis vſque in libras viginti quinque pro quocumque, qui contra eorum determinationem fecerit, quæ pœnę pro medietate applicentur Communi Arretij; & pro quarta parte Rectori de prædictis facienti executionem: Reliqua quarta pars ipſis Officialibus, vel cui ipſis videbitur. Vt verò quæ in præſenti ſtatuto continentur facilius, ac commodius ſeruari, ac exequi valeant, teneantur Officiales prædicti qualibet hebdomada, & in die Veneris congregari in Palatio Communis vnà cum Vexillifero, & quoties eiſdem per Vexilliferum præceptum fuerit ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice, quæ pro dimidia Communi Arretij applicetur: reliqua verò Domino Capitaneo, & dicta die Veneris tantum habere debeant de pecuniis Cõmunis Arretij ſolidos ſeptem pro quolibet, qui effectualiter interuenerit præcedente ſtantiamento Dominorum Priorum,

& Notarius Palatij deſcribat ſemper abſentes, vt ſupra de Viariis dictum eſt. Et ſemper quando congregatur debeat in dicto Palatio adeſſe Officialis extraordinarius, & ipſius, Famuli; Qui quidem Officialis teneatur, ac debeat inquirere, & omni cura, atque diligentia inueſtigare tàm in Ciuitate, quàm in Cortynis contra non ſeruantes impoſitiones, ac præcepta dictorum Officialium, & huic conſtitutioni contra facientes, ipſoſq; denunciare modo, & forma, prout in ſtatuto de eius officio continetur: Qui poſtquam denunciati fuerint citari debeant per famulos prędictos, quòd compareant coram dictis Officialibus prima ſequenti die Veneris ad ſe excuſandum, vel allegandum cauſas quare declarati non debeant incurriſſe in pœnam dictis impoſitionibus, ſeu præceptis contentam: & ipſi Famuli pro citationibus prædictis habeant, & conſequantur, vt infra de Officiali extraordinario dictum eſt: qui ſi comparuerint, & cauſas allegauerint, aut allegare voluerint procedatur per dictos Officiales contra eos ſummariè, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, omniq; Iudiciario ordine prætermiſſo. Si verò cauſæ per ipſos allegatæ iuſtæ, ac rationabiles viſæ fuerint, poſſint ipſos in totum, vel in partem abſoluere; ſin autem ipſos condemnare teneantur, ipſaſq; cauſas expedire, ac terminare infra quindecim dies à die factæ denunciationis abſoluendo, vel condemnando, vt ſupra, ſub pœna librarum viginti quinque pro quolibet dictorum Officialium. A qua quidem ſententia, ſi quis ſe grauatum ſenſerit infra biduum recurſum habeat ad D. Capitaneū, qui infra quatuor dies tunc ſequētes cauſam expedire debeat ſecundū formam ſtatutorum aliàs prima ſententia firma maneat. Sponte autem maleficium confitentibus quarta pars pœnæ remittatur: Contumaces verò, & comparere negligentes, poſtquam ſemel citati fuerint, pro confeſſis habeantur, & condemnari poſſint. Omnes autem, vt ſupra, condemnatos teneantur, & debeant Officiales prædicti dare ad grauandum ſocio militi Domini Capitanei, Dictuſq; Miles contra prædictos executionem facere teneatur perſonalem, aut realem: Quæ quidem condemnationes ſolui debeant in manibus Camerarij Doganæ cum apotiſſa Notarij Palatij, & Cancellarij ipſorum Officialium: qua ſolutione facta ſubſcribi debeat apotiſſa prædicta per dictū Camerarium; & Cancellarius ipſa apotiſſa ſic ſubſcripta recepta ipſi condemnato, & grauato licentiam relaxationis facere teneatur: Camerarius verò prædictus retenta portione Communi Arretij tangente, vnicuiq; ſuam portionem ſoluere teneatur. Poſſint etiam Officiales prædicti inquirere, & procedere contra non habentes menſuras adæquatas, ipſoſq; condemnare, prout per ſtatuta Ciuitatis Arretinæ diſponitur. Et ſimiliter contra Fornarios, Carnifices, Piſcicolarios, Macinatores oliuarum, Molendinarios grani, & Fornaciarios: Tandemq; in omnibus, & ſingulis ad Graſciam pertinentibus Officialibus prædictis auctoritas, facultas, ac Iuriſditio præſentium ſtatutorum tenore conceſſa, & attributa eſſe intelligatur, & ſit omni tempore, & omnibus caſibus non obſtantibus quibuſcúmque in contrarium diſponentibus; & nihilominus in prædictis omnibus, & ſingulis Dominus Capitaneus dictæ Ciuitatis, ipſiuſq; Notarius Guardiæ, eamdem auctoritatem, poteſtatem, & iuriſditionem habeant, habereq; intelligantur; ita tamen quod vnus eorum inceperit, in eo alius non procedat, ſed ſemper ſeruetur, & locum habeat præuentio inter Dominum Capitaneum, & Officiales Graſciæ prædictos, & teneatur dictus Dominus Capitaneus ad requiſitionem ipſorum Officialium Graſciæ facere omnem executionem, eiſdemque omnem fauorem præſtare, vt ſemper fraudibus, ac hominum malignitatibus occurratur, & in cunctis neceſſariis rectè prouideatur. Poſtremò ſtatuerunt, quòd vnicuiq; liceat ferre, & portare facere in Ciuitatem, & ad Ciuitatem Arretij omne genus piſcium vendendorum tamen in Platea Communis Arretij, & non

alibi

alibi ſecundum impoſitam dictorum Officialium, & extra dictam Plateam nemo poſſit vendere aliquod genus piſcium lacus, vel clanarum ſub pœna librarum quinque pro quolibet, & qualibet vice, in quam incidant contra dicta facientes ipſo facto: Attendentes tamen, quòd Conſilium Generale Communis Arretij poſſit cum plena auctoritate Venditiones facere, prouidere, & terminare ſuper facto piſcium, & omnem, & quamcumque prouiſionem, ſanctionem, & determinationem facere, prout, & ſicut eidem Conſilio videbitur; & placebit; & quicquid per dictum Conſilium ſuper hoc fuerit factum, plenam auctoritatem, & roboris firmitatem obtineat.

DE OFFICIO, ET ELECTIONE OFFICIALIS EXTRAORDINARIORVM. XIX.

OFFICIVM extraordinariorum pertineat ad Officiales Graſciæ, Viarios, & Officialem ad id, vt infra, electum, ac deputatum, in eiſq; procedatur per dictos Officiales, ac Viarios in his tantum, quæ eorum officium reſpiciunt, v 3. Vt in his, quæ ad reparationem, & conſeruationem Viarum, & ad mundam retinendam Ciuitatem pertinent, habeant auctoritatem, poteſtatem, ac plenam Iuriſditionem dicti Viarij, ac per eos procedi poſſit, ac debeat: In his autem, quæ ad Graſciam pertinent per Officiales Graſciç prædictos: In omnibus autem per dictum Officialem modo, & ordine infraſcripto: Et nihilominus in omnibus, & ſingulis extraordinariis prædictis D. Capitaneus ipſius Ciuitatis plenam, ac liberam poteſtatem, ac iuriſditionem habeat, habereq; intelligatur iuxta præſentium ſtatutorum formam, & ſemper inter dictum Capitaneum, & dictos Viarios, ac Officiales ſeruetur, ſeruariq; debeat ordo præuentionis facta notificatione cum cędula. Extraordinaria verò eſſe declarauerunt, quæ ad conſeruationem Viarum, Pontium, cloacarum, & ad mundam retinendam Ciuitatem, & quæ ad Graſciam, & Artifices omnes, menſuras, pondera, aliaq; huiuſmodi pertinent, & ſpectant tàm in Ciuitate, quàm in Cortynis, & in Campariis Arretij. Eligatur autem Officialis prædictus per Conſilium generale per annum tantum & non poſſit modo aliquo ad dictum officium confirmari, factaq; electione teneatur dictus Officialis ipſam acceptare infra tres dies à die notificationis eidem factæ, aliàs officium prædictũ recuſaſſe, eidemq; renunciaſſe intelligatur; & ſtatim infra octo dies per D. P. & Collegas alius eligi debeat ſub pœna librarum viginti quinque pro quolibet; & Cancellarius Communis pro dicta electione habere debeat ſolidos quadraginta duos à dicto officiali poſtquam acceptauerit: Cuius Officialis officium incipere debeat in Kal. Martij, & duret per annum, vt ſupra dictum eſt. Qui quidem Officialis, vt ſupra, electus teneatur, & debeat perquirere, ac ſollicitè inueſtigare, & curare, vt Ciuitas Arretina munda perſiſtat, & vnuſquiſque in die Sabbathi ante domum ſuç habitationis mundet ſcopis, vt viæ, & pontes Cortynarum, & Campariorum reparentur, & conſeruentur, vt in ſtatuto De Viariis dictum eſt; vt impoſitiones panis, carnium, & aliarum rerũ ad Graſciam pertinentiũ ſeruentur, & vnuſquiſq; habeat menſuras ſignatas, & adæquatas, & vt Artifices ſeruent ea, ad quę per ſtatuta tenẽtur, & quòd in eorum arte, & exercitio fraudẽ aliquam non cõmittant, prout per præſentia ſtatuta diſpoſitũ eſſe inuenietur, & in ſtatuto de Officialibus Graſciæ dictũ eſt: Curet etiã officialis prædictus, vt omnia faciat, & exequatur, quę eidẽ ex forma ſtatutorũ, ordinamentorum, & reformationũ Ciuitatis Arretij, aut per Viarios, Officiales Graſciæ, aut Magiſtros Doganæ omiſſa, aut permiſſa ſunt, tàm in Ciuitate, quàm in Campariis, Cortynis, & Capitaneatu Arretij: Quibus Viariis, Officialibus, & Magiſtris Doganæ ſuppoſitus eſſe intelligatur, & ſit.

Si verò Officialis prædictus inuenerit in Ciuitate, in Campariis, aut in Cortynis Arretij aliquos ſtatuta prædicta, & quæ in eis continentur, non ſeruare, & contra ea facere, & venire, & ſimiliter contra præcepta, & impoſitiones ipſorum Officialium, teneatur, ac debeat eos ſic non ſeruantes, & contrafacientes denunciare Viariis, aut Officialibus prædictis, aut quibus eorum denunciationes ipſæ, ex forma ſtatutorum fieri deberent infra tres dies à die factæ inuentionis, dictasq; denunciationes dare in ſcriptis Notario Palatij. in quibus dictus Officialis notare debeat, ac ponere nomina, & cognomina denunciatorum, diem, locum, & qualitatem delicti: Contra quos denunciatos procedatur, procediq; debeat modo, & forma, vt ſupra dictum eſt. Quæ autem hactenus de denunciando diſpoſita ſunt locum habere intelligantur tunc, & quando pœnæ, & condemnationes faciendę, & in ſtatutis contentæ ſummã librarum trium excederent, in quibus Officialis prædictus poſſit, ac debeat inueſtigare, ac denunciare ſolummodo, vt ſupra dictum eſt. Et ſi pœnæ pro delictis ipſis imponendæ, & in ſtatutis, reformationibus, pręceptisue, & impoſitionibus, de quibus ſupra continetur ſummam ſolidorum viginti non excederent, tunc, & illis caſibus Officiali prædicto intelligatur eſſe, & ſit conceſſa auctoritas, poteſtas, & Iuriſditio inueſtigandi, inquirendi, procedendi declarandi, & condemnandi iuxta præſentium ſtatutorum, aliarumq; reformationum, & prouiſionum formam, ac tenorem ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, omniq; Iudiciario ordine prętermiſſo. Teneatur tamen dictus Officialis dictos inquiſitos citari facere per vnum ex Famulis ipſius, quod infra triduum compareant coram eo ad ſe excuſandum: Pro quibus quidem citationibus habeat, & habere poſſit, ſi fiunt in Ciuitate, ſolidum vnum; ſi in Campariis, ſolidos duos; ſi in Cortynis infra tria milliaria ſolidos tres; vltra verò, quinque ſolidos, & non amplius: & ſi infra dictum terminum comparuerint, ac legitimè ſe excuſauerint, poſſit illos abſoluere; ſin ſecus infra octo dies inde ſequentes cõdemnare teneatur: ipſasq; condemnationes dare in ſcriptis Officiali Reſcontri Dogaræ & dictus Officialis dare debeat dictos condemnatos ſocio Militi D. Capitanei ad Grauandum, qui Miles contra ipſos executionem facere teneatur realem, & perſonalem: Quarum quidem condemnationum per dictum Officialem ſic, vt ſupra, factarum tertia pars ſit Communis Arretij: Tertia Domini Capitanei, ſi de ea executionẽ fecerit: Reliqua verò ipſius Officialis. Condemnationum verò, quę fierent per Viarios, & Officiales Graſciæ contra denunciatos per dictum Officialem, dictus Officialis habeat, & conſequatur à Camerario Doganę ſolidos tres ex qualibet libra ex portione Cõmuni Arretij obueniente: Inſuper florenum vnum Communis Arretij pro quolibet menſe ſtantiandum per dictos D.P. & Collegas quolibet bimeſtri pro eius ſalario, & nihil vltra pro dicto eius officio petere, & conſequi poſſit: Quod ſi dictus officialis non inueſtigauerit, & inuentos, ac repertos non denunciauerit, vel condemnauerit modo, & forma, vt ſupra dictum eſt, pęnam librarum viginti quinque pro qualibet vice incurrat, officiumq; eius amiſiſſe intelligatur. Cuius pœnæ tertia pars ſit Communis: Tertia Viariorum, vel Officialium Graſciæ, ſi denunciatio eorum alteri fieri debeat; ſin autem ipſa etiam tertia pars ſit ipſius Communis: Reliqua verò Domini Capitanei, ſi de dicta pęna executionem fecerit, & nõ aliter, aut alio modo. Omnes autem Inquiſitiones, denunciationes, citationes, condemnationes, ac ſententias per dictum Officialem, vt ſupra, faciendas, omnesq; alios actus, & proceſſus ſcribere, ac notare teneatur in vno eius libro diſtinctè, ac ordinatè, ipſumq; librum ſtatim eius finito officio, & antequam ſtet ad Syndicatum in Cancellaria Communis dimittere ſub pœna librarum centum applicandarum pro dimidia Communi Arretij; Pro alia D. Capitaneo exigenti ad declarationem Conſeruatorum legum;

Cæterum Officiali prædicto minimè licere voluerunt aliquos denunciatos, inquiſitos, aut in aliquo delinquentes inuentos, ac repertos cancellare, aut ab eis aliquam pecuniarum quantitatem, vel aliquid aliud recipere ſub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice, vt ſupra proximè applicatarum, priuationiſq; officij, eandemq; pœnam incurrat ſi aliquis ex Famulis ipſius aliquid, vt ſupra, acceperit, niſi ſtatim officialis prædictus hoc notum fecerit Viariis, Officialibus Graſciæ, ſeu D. P. Et tunc ipſe Famulus incidat in pœnam librarum viginti quinque pro qualibet vice, vel fuſtigetur arbitrio Domini Capitanei, ſi pluries id commiſerit, & nihilominus id omne, quod acccepe rint, reſtituere teneantur, & ad illud reſtituendum cogi debeant. Habeat, ac retineat Officialis prædictus pro dicto eius officio exercendo duos, aut tres famulos aptos, & idoneos, & per D. P. approbandos; quibus Famulis dictus Officialis ſalarium ſoluere teneatur ex condemnationibus ſibi obuenientibus, qui Famuli ſemper caſſari, ac remoueri poſſint per D. P. qui ſic caſſi amplius infra annum remitti non poſſint modo aliquo directè, aut indirectè: Dictus verò Officialis caſſationi Dominorum P. & Collegarum ſemper ſubiaceat. Habeat etiam dictus Officialis in vno libro copiam præſentis ſtatuti, ſtatutorumq; aliorum ad eius officium pertinentium vulgari ſermone deſcriptam. Et teneatur Cancellarius eidem tradere dictum librum, & pro dicto libro habeat ab Officiali libras quinque: Et finito officio dictũ librum ipſi Cancellario reddere teneatur. Inſuper dictus Officialis ſic, vt ſupra, electus vltra dictum officium extraordinariorum ſit executor contra quamlibet perſonam, quę contrafaceret alicui legi, ſtatuto, ordinamento, aut reformationi Communis Arretij tàm factæ, quàm facien dæ, circa obſeruantiam dictarum legum, ſtatutorumq;, ac ordinamentorum: quæ ſtatuta, prouiſiones, & ordinamenta ab omnibus in Ciuitate, Campariis, & Cortynis prædictis inuiolabiliter ſeruari faciat, & vt ſeruentur omni induſtria curet. Poſſit etiam dictus Officialis grauari facere per D. Capitaneũ, & eius Curiã omnes iiſdem ſtatutis, & ordinibus contrafacientes pro pœnis in eis cõtentis, & in qua incurriſſent. Teneaturq; Miles D. Capitanei ad requiſitionẽ dicti Officialis facere omnem executionẽ, & detentionem, & capturam realẽ, & perſonalem, & dictarum omniũ, & ſingularum pœnarũ quarta pars ſit ipſius Officialis: Et quarta Rectoris facientis executionem, & ſoluere facientis: Reliqua verò Communis Arretij: Statuentes etiam, quòd in omnibus, & ſingulis caſibus prædictis quilibet alius poſſit, ac valeat denunciare, & notificare, & tunc denunciator habeat tertiam partem pœnę, & denunciatio ipſa eidem ſecreta teneatur. Nouiſſimè autem ſtatuerunt, quòd dictus Officialis, & eius Famuli finito officio ſtare debeant in Syndicatu per tres dies continuos coram Conſeruatoribus legum Communis Arretij, & omne id, quod condemnati fuerint, ſoluere, ac ſatisfacere teneantur infra tres dies, & ad omne intereſſe parti ſatisfaciendum ſub pœna librarum quinquaginta, vt ſupra, applicatarum. Liceat etiam impunè, & liberè dicto Officiali, & eius Famulis ferre Arma quæcumque per Ciuitatem, & Capitaneatũ Arretij, ab omnibuſq; debitis priuatis ſint immunes, nec poſſint modo aliquo grauari realiter, ſiue perſonaliter ſine licentia D.P. habeantq; deuetum ab omnibus officiis Ciuitatis Arretij durante eorum officio. Teneatur inſuper in principio ſui officij iurare coram D.P. in manibus Notarij Palatij eius officium fideliter, ac diligenter exercere, & antequam illud acceptet præſtare duos idoneos fideiuſſores de benè, ac legaliter exercendo ſuũ officium, pęnaſq;, in quibus ſi inciderit, condemnaretur ſoluendo, prout, & ſicut ſuperius diſpoſitum eſt, aliter ſuum officium exercere non poſſit, & alius ilico eligatur.

DE

DE CONSVLIBVS MERCATORVM, ET EORVM OFFICIO. XX.

VT Arretinis Ciuibus, & etiam Artificibus ſuffragetur in diſceptationibus cauſarum ab eorumdem libris emergentium, cum de bona fide, & veritate tantum in eis quærendum ſit, & non de Iuris apicibus diſceptandum: Idcirco fieri voluerunt officium Conſulum, vt iam longiſſimis retro actis temporibus in hac vrbe creari, ac præeſſe, conſueuit, vt eo Ciuium, & Artificum cauſæ, quæ ex eorum libris oriuntur de bono, & æquo, celeriq; ſententia terminentur. Qui quidem Conſules habeant Iuriſditionem, & cognitionem omnium, & ſingularum cauſarum eis deuoluendarum ex libris Mercatornm, & Ciuium Arretinorum. Quas quidem cauſas poſſint, ac debeant in caſibus, vt ſupra, permiſſis cognoſcere, & terminare, ſententiare, decernere, & declarare, & partem vtramq;, vel ambas condemnare ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, ſolum viſa veritate facti, & abſque aliqua tela iudiciaria, & quaſi petitione ſufficienti, prout infra diſpoſitum eſt in capitulo De libris Ciuium, & Mercatorum eius ordine ſeruato in omnibus, & per omnia, prout in eo diſpoſitum eſt. Cum hoc, quòd de omni ſententia, & deciſione, & condemnatione, quæ ferretur per dictos Conſules ſuper cauſa, quæ cauſa excederet ſummam librarum quinque vſque ad libras ſeptuaginta, habeant, & conſequantur pro ſalario ſolidum vnum pro libra ab eo, quem declarauerunt, ex partibus litigantibus teneri ad ſoluendum expenſas, & qui ad eas ſoluendum condemnatus fuerit: Et à libris ſeptuaginta vſque in omnem quantitatem libras ſeptem ſoluendas, vt ſupra. Et teneatur Actor in prima compatitione coram dictis Conſulibus deponere ante omnia ſalarium dictorum Conſulum in manibus Notarij eorum, & ſolidos ſeptem pro dicto Notario, & à ſententiis, & declarationibus dictorum Conſulum in dictis cauſis liceat appellari, & de nullitate nullo modo dici poſſit, nec recurri, aut Conſilium Sapientis peti; & ſi quid contrafactum fuerit ſit ipſo Iure nullum. Si verò inter aliquos eſſet lis, quæſtio, aut controuerſia coram quocumque Iudice, & per partes ſuper eis eſſet compromiſſum in dictos Conſules, tale compromiſſum modo aliquo renunciare non poſſint; immo teneantur talem commiſſionem acceptare: Teneantur etiam dictum Compromiſſum, vel commiſſionem cognoſcere, laudare, & ſententiare ſecundum commiſſionem, & arbitrium eis conceſſum à partibus, & infra tempus eis ſtatutum ſub pœna librarum quinquaginta: Quæ pro dimidia applicetur Communi Arretij: Et pro quarta Rectori executionem facienti; & pro alia partibus comptomittentibus. Cum hoc tamen, quòd dictæ partes vel altera ex eis notificare faciat per vnum ex Nunciis Communis Arretij Conſulibus, vel ſaltem duobus ex eis dictam commiſſionem, vel compromiſſum in eos factum per partes prædictas ex parte Domini Capitanei, vel eius Iudicis ad petitionem dictarum partium, vel alterius earum infra tres dies immediatè ſequentes poſt compromiſſum, ſeu datam commiſſionem; Et dictus Nuncius teneatur referre Notario banci feciſſe dictam notificationem, & diem, in qua fecerit eam: Et dictę partes, vel altera ipſarum infra dictos tres dies oſtendere dictis Conſulibus, aut vni ex eis auctoritatem eis conceſſam, & attributam à partibus. Demum teneantur ſeruare formam dicti Compromiſſi, & iuxta ipſius formam, tenorem, & continentiam in iudicando procedere, & tàm ipſi Cōſules, quàm partes prędictæ reddendo ſingula ſingulis. Quę ſi omnia, & ſingula non fuerint per partes obſeruata dicti Conſules nullam incidant pœnam; Si verò prędicta ſeruata fuerint, & cauſa coram Conſulibus non fuerit

inſtructa per partes ſaltem, vt requiritur ex forma Compromiſſi, tunc factis duabus proteſtationibus per dictos Conſules dictis partibus, quòd per eos non ſtetit, ſtat, aut ſtabit quin per eos dicta cauſa expediatur, tunc dicti Conſules dictã pœnam nullo modo incurrant. Si verò dicti Conſules dictam cauſam terminauerint per eorum laudum, ſententiam, aut arbitrium, vel arbitramentum, habere, & conſequi debeant pro eorum ſalario, & mercede illud idem, quod habere diſpoſitum eſt ſupra ad rationem p. ædictam. Item ſtatuerunt, quòd de omnibus, & ſingulis actis coram dictis Conſulibus faciendis debeat eſſe rogatus Notarius Banci Cauſarum Communis Arretij. Statuerunt inſuper, quòd lauda, ſententiæ, arbitria, & arbitramenta lata, vel latæ per dictos Conſules vigore compromiſſi habeant executionem paratam, & exequantur ſecundum formam ſtatutorum ſub Rub: De executione Inſtrumentorum Guarantigiæ, in quibus mandauerunt dictum ſtatutum in omnibus, & per omnia obſeruari, ſaluo quòd in tenutis dandis, & grauamentis faciendis, in quibus ſeruari præceperunt ſtatutũ infra poſitum ſub Rub: De Iudicijs, & modo, & ordine procedendi in Ciuilibus, & ordinarijs cauſis non obſtante dicto ſtatuto in prædictis caſibus tantum. Item ſtatuerunt, quòd dicti Conſules teneantur, & debeant ſaltem ſemel in hebdomada coadunari in numero ſufficienti in Palatio D. P. Ciuitatis Arretij, vel ſaltem duo Præpoſiti dicti officij, & diebus Martis, & Veneris cuiuſlibet hebdomadæ, niſi fuerint feriati in honorem Dei, vel niſi fuerint feriæ Meſſium, vel Vindemiarum, vel aliæ repentinæ indictæ: Et poſt ſonum Veſperorum ſecundum ſonum Campanæ dictorum Conſulum. Quod quidem officium Conſulum ſemper habere debeat duos præpoſitos, prout habet officium Rectorum Fraternitatis Sanctæ Mariæ: Quorum duorum Præpoſitura durat, & durare debeat ſeptem diebus dumtaxat, ſequendo ordinem præpoſituræ, prout ordo eorum Apotiſſæ extractionis continet, & ſe habet, & quòd non poſſit mitti aliquid ad partitum inter præfatos Conſules abſque licentia Præpoſitorum, vel ſaltem vnius ex eis, quàmuis alter Præpoſitus obſtaret, vel contradiceret. Statuentes inſuper, quòd dicti Conſules teneantur infra quindecim dies currentes incipiendos à die primæ citationis expedire cauſas coram eis vertentes à libris triginta infra, & à triginta ſupra vſque ad quamcumque ſummam debeant illas expedire infra triginta dies currentes ſub pœna librarum viginti quinque pro quolibet, ab eis, & eorum quolibet auferenda, & pro medietate Cõmuni Arretij applicanda; & pro quarta parte actori; & pro alia quarta parte Capitaneo, qui executionẽ fecerit. Et ſi quis ex dictis Conſulibus vellet contra aliquem vigore librorum experiri, tũc, & eo caſu talis cauſa debeat cognoſci per Magnificos D. P. ſint etiam dicti Conſules correctores omnium Artium dictæ Ciuitatis poteſtatemq; habeant ſuper obſeruatione Breuium, & Capitulorũ in eis contentorum, mandando artificibus, vt ea obſeruent, ſub pœnis in eis contentis, & vbi pœnæ non eſſent appoſitæ ſub pœna librarum quinque: moderandi inſuper precia rerum, & operarũ, prout, eis cõueniens viſum fuerit ſub pœna prædicta. Pro quibus ſẽper contra facientes incamerare poſſint, quarũ medietas ſit Cõmunis Arretij: Quarta D. Capitanei exigẽtis, & alia dictorũ Conſulum: Habeantq; pro eorum ſalario de pecuniis dictarum Artium ſecundum taxã infra faciendã libras ſeptẽ, pro quolibet à Syndico Communis.

DE DATIIS VENDENDIS, ET OFFICIO CAMERARII DATIORVM. XXI.

CVM ob plurimas expenſas, quæ in Arretina Ciuitate fiunt, neceſſe ſit datia, & grauedines ſuper Bonis in Cataſtis deſcriptis imponere. Conuenit igitur de

ipſis

ipſis datiis imponendis, ac de modo, & ordine, aliiſq; circa ea neceſſariis, & opportunis ſolemniter ſtatuere, ac ſalubriter prouidere. Vt autem Communi Arretij, quoad fieri poteſt damna, ac præiudicia, quæ ex ipſarum expenſarum non ſolutione prouenient, euitet, ac effugiat, ſtatuerunt, ac decreuerunt, quòd datia ipſa, & ſeu ipſorum datiorum exactio per dictum Commune vendi, concedi, ac dari, debeat modo, & ordine cum pactis, obligationibus, ac promiſſionibus, vt infra diſpoſitum eſt. Et primò, quòd D.P. de Menſe Septembris, & Octobris præexiſtentes teneantur, & debeant ſub pœna librarum centum pro quolibet die quinta decima Octobris Datia, ipſorumq; Datiorũ exactionem vendere, & concedere pręmiſſis tamen tribus bannimentis tribus diuerſis, ac diſtinctis diebus; in quibus quidem bannimentis dicatur, ac notum omnibus fiat, qualiter ipſa die quintadecima Octobris D. P. vendere intendunt dicta Datia ad lumen Candelæ, ipſaq; plus offerenti concedere. Adueniente autem ipſa die quinta decima Octobris dicti D.P. in inferiora lodia Palatij reſidentes, primò, & ante omnia per notariũ Palatij omnia infraſcripta Capitula legere, ac vulgari ſermone exponere faciant, deinde accẽſa parua cãdela, tactaq; ſubhaſtatione per preconẽ, vt moris eſt, ipſa Datia, & eorum exactionem vendant, ac concedant ei, qui in extinctione ipſius candolæ plus obtuliſſe reperiretur; Quinimmo eidem plus offerenti ipſorum Datiorum exactio cõceſſa, ac Datiorũ Exactor, & Camerarius eſſe intelligatur per Annum continuũ in Kal. Nouẽbris proximè futuri incipiendum. Qui quidẽ Camerarius teneatur, & debeat infra tres dies à die dictæ conceſſionis dare, ac præſtare duos idoneos Fideiuſſores, Ciues Arretinos per dictos D.P. approbandos, qui fideiuſſores in forma valida ſe principaliter, & in ſolidum, ſuaq; bona obligando promittant, quòd Exactor, & Camerarius prædictus omnia, & ſingula faciet, curabit, & obſeruabit, ad quæ ex pręſentis ſtatuti diſpoſitione, aliorumq; ſtatutorum, ac reformationum, dictiq; eius officij virtute, cauſa, & prætextu teneretur, obligatuſq; eſſet, de quibus omnibus rogari debeat Notarius Palatij, & pro eius mercede habeat à Camerario ſupradicto libras tres: quòd ſi dictus Camerarius dictos fideiuſſores non præſtiterit, pœnam librarum ducentarum Communi Arretij applicatarum incurrat, pro qua deſcribi debeat in libro Speculi per Syndicum, & Prouiſorem Communis, & vlterius officium amittat, eidemq; expreſsè renunciaſſe intelligatur; Eoq; caſu ipſi D.P. infra quatuor dies inde ſequẽtes dictorum Datiorum exactionem, vt ſupra, & ſub eadem pœna vendant, & concedant. Teneaturq; etiam Exactor prædictus quolibet bimeſtri ſoluere infraſcriptis omnibus, & ſingulis pro eorum ſalario, ac mercede id totum, quòd eis ſolui deberet pro rata dicti Bimeſtris, v3. D. Capitaneo, Rationeriis Communis, Cuſtodibus Portarum, & Palatij D. Capitanei Horologio, & omnibus aliis, & ſingulis, quibus per D.P. & Collegas, aut Conſilium aliquod ex quacumque cauſa ſtantiaretur, in quibus ſtantiamentis diceretur, quòd ipſe Camerarius Datiorum quantitatem in dictis ſtantiamentis contentam ſoluat. Quæ quidem ſtantiamenta ſcribi per Notarium Palatij, & per Syndicum Communis ſubſcribi debeant, & aliter facta non valeant, ipſeq; Camerarius quantitates in eis contentas ſoluere non teneatur, nec debeat modo aliquo. Si verò Camerarius prædictus, vt ſupra, non ſoluerit teneatur ad omnia damna, expenſas, & intereſſe, quæ, & quas, vel quod Commune ipſum ex non ſolutione prædicta incurreret, aut incurrere poſſet, ipſumq; Commune pœnitus indemne conſeruare, & creditores. Item quòd omnes, & ſinguli, quibus, ſeu pro quibus ipſa ſtantiamenta facta fuerint poſſint, & valeãt pro aſſecutione illius, quod in dictis ſtantiamentis contineretur ipſum Exactorem realiter, ac perſonaliter grauari facere coram Milite Domini Capitanei dictuſq; Miles contra ipſum exactorem teneatur facere omnem executionem realem, & perſonalem ad re-

quiſi-

quiſitionem ipſorum Creditorum, pro quibus ſtantiamenta facta fuerint de facto, nullaq; citatione præmiſſa, ſi infra tres dies poſtquam dicta ſtantiamenta eidem exactori exhibita fuerint: Et de ſoluendo extra iudicialiter requiſitus ſoluere contenta in dictis ſtantiamentis diſtulerit: Pro qua quidem executione dictus Miles percipere valeat à dicto Camerario ſolidos duos pro qualibet libra. Item ad effectum præmiſſorum D. Exactori aſſignari debeat per D. P. libra Communis deſcripta in libro libræ, vulgariter dicto la pecora, ipſaq; cenſeatur eſſe, & ſit libra Communis; intelligendo ipſam libram omnia nomina, & quantitates in dicto libro libræ deſcripta, & deſcriptas. Quam libram dictus Camerarius eidem Communi bonam, & verã facere teneatur, ac ſi illam integraliter exegiſſet non obſtante aliquo priuilegio, exemptione, ac immunitate alicuius in dicto libro libræ deſcripti, ſeu hæredis, aut quomodolibet ſucceſſoris illius; quem librum habere debeat à Cãcellario Communis ante initium eius officij, eidemq; ſoluere teneatur pro ſcribendo dictum librum libras ſeptem. Item quòd eidem Camerario pro quolibet bimeſtri intelligatur eſſe facta, & ſit aſſignatio librarum duarum pro qualibet libra, ipſumq; datium ad rationem prædictam ordinariè impoſitum, & ipſius conceſſa exactio. Et propterea dicti D.P. pro tempore exiſtentes teneantur, & debeant infra tres dies, à die Introitus eorum officij dictum datium ad rationem prædictam publicè banniri facere; quod datium infra octo dies inde ſequẽtes ſolui debeat in manibus dicti Camerarij. Si verò aliquod Datium extraordinarium eſſet imponendum, Camerarius ipſe docere teneatur, & petere de eo ſibi fieri aſſignationem à Conſilio Generali; & tunc D.P. & Collegæ, & Conſilium ipſum Datium imponere teneantur, illudq; dicto Camerario aſſignare: Quod quidem Datium ſimiliter banniri, ac ſolui debeat, vt ſupra. Item quòd dictus Camerarius durante eius officio, & inde per annum continuum intelligatur eſſe, & ſit poſitus, & ſubrogatus in locum Communis Arretij, omneſq; Datia ſoluere debentes cenſeantur debitores ipſius Communis. Et propterea pro dicto tempore dictus Camerarius poſſit, eiq; liceat ipſos debitores conuenire, & contra eos agere coram Milite D.Capitanei, qui Miles ad requiſitionẽ ipſius contra quoſcumque Datia ſoluere debentes teneatur, & debeat facere omnem executionem realem, & perſonalem de facto, omniq; Iuris ſolemnitate remota, & præmiſſa tantum citatione de ipſis debitoribus, eorumq; ſumptibus, & expenſis. Vltra verò dictum tempus Camerarius ſupradictus non poſſit eo modo contra ipſos agere, ſed intelligantur debitores ipſius, & contra ipſos agere poſſit iuxta formam ſtatuti. De libris Ciuium, & Mercatorum. Poſſit etiam ipſe Camerarius à dictis debitoribus recipere, ac conſequi ſolidum vnum pro qualibet libra, ſi infra dictum tempus, vt ſupra, non ſoluerint, ac ſoluere ceſſauerint. Item quòd dictus Camerarius quolibet bimeſtri teneatur, ac debeat pro rebus ipſi Communi neceſſariis ſoluere, & exburſare pro ſtantiamentis ſibi faciendis vſque in ſummam florenorum centum Communis Arretij, non obſtante, quòd Datia impoſita, vel exacta non fuerint, nec de eis facta aliqua aſſignatio ſub pœna librarum ducentarum. Item quod dictus Camerarius ſit, & eſſe debeat Ciuis Arretinus, & in dicta Ciuitate accataſtatus: Quo officio durante non poſſit habere aliqua officia, ſed ab omnibus deuetum habere intelligatur. Item quòd dictus Camerarius poſſit, ac debeat exigere prouentus, ac redditus infraſcriptos ab eis, qui à Communi illos conduxerunt, v3. Plateæ magnæ, Plateolæ, Carcerum Communis, Mercati Claſſis, & omnes alios prouentus, qui per Commune Arretij ad lumen candelæ venderentur: de quibus quidem prouentibus, & omni, & toto eo, quod ex dictis prouentibus exigeret, habere debeat ipſe Camerarius, & pro ſe retinere valeat denarios octo pro qualibet libra: Quorum quidem prouentuum dictus Camerarius intelligatur eſſe,

&

& ſit debitor dicti Communis, ſiue illos exegerit, ſiue non, & de eis dicto Communi rationem reddere teneatur. Teneatur etiam Camerarius prædictus ex quolibet ſtantiamento per eum ſoluendo retinere denarios octo pro qualibet libra, v 3. quatuor pro opera Epiſcopatus, Totidem pro Cancellario Communis, quos eiſdem operæ, & Cancellario ſoluere teneatur, & ad id cogi debeat per Dominum Capitaneũ de facto, etiam ſi retentionem ipſam non fecerit. Prædicta tamen locum non habeant in ſalario D. Capitaneo ſoluendo. Nouiſſimè ſtatuerunt, quòd Camerarius prædictus eius finito officio teneatur, & debeat conſignare libros exactionum ipſorum Dariorum Rationeriis Communis infra octo dies; & viſis rationibus ipſius teneatur remittere id totum, de quo reſtaret debitor, & ſi appareret in libro ſaldorum debitor infra octo dies teneatur ſoluere ſub pœna dupli illius, de quo appareret debitor: Cuius pœnæ medietas ſit ipſius Communis: Quarta Dominorum Priorum, & reliqua Prouiſoris Communis, ſi de dicta pœna executionem fieri curauerit, & non aliter, vel alio modo.

DE REDDENDIS RATIONIBVS, ET OFFICIO RATIONERIORVM. XXII.

QVIA Iuri conuenit, vt hi, qui publica negocia adminiſtrant, de eis rationem reddant. Idcirco ſtatuerunt, quòd omnes, & ſinguli ad quorum manus aliqua bona, vel pecuniæ Communis Arretij peruenerint, vel qui negocia ipſius Com. Communis adminiſtrauerint, vel locorum infraſcriptorum, teneantur, ac debeant reddere rationem ſuæ adminiſtrationis Rationeriis Communis ad id, vt infra, deputatis, ac modo, & ordine infraſcripto: pro quibus quidem rationibus reuidendis fiant duo Rationerij quolibet Anno Ciues Arretini ad hoc idonei, qui rationes omnium ſupradictorum ad Commune Arretij, vel publica loca aliqua, vt infra, pertinentes, diligenter reuideant, calculent, & in ſaldo ponant vnà cum vno ex Conſeruatoribus Legum, vt infra, & ſic reuiſas, calculatas, & in ſaldo poſitas deſcribant in libris ſaldorum Fraternitatis, Montis, vel Communis, & prout infra deſcribi contigerit: Quòd ſi infra ſtatuta tempora pecunias, de quibus hi, qui remanſerint debitores non ſoluerint, non reddiderint, & non ſatisfecerint vltra alias pœnas in ſtatutis, & reformationibus deſcriptas, & contentas, officiis cunctis, & eorum commodis per decennium ipſo Iure priuati eſſe intelligantur, & ſint; neque ad ea per dictum tempus modo aliquo admitti valeant. Et primò ipſi Rationerij reuidere, & calculare debeant rationes Camerarij Fraternitatis, cum Reſcontro ſcripturarum Prouiſoris, nec non cum ſcripturis ſtantiamentorum Cancellarij, & cum notula habita à dicto Cancellario de omnibus bonis mobilibus & immobilibus tempore officij illius Camerarij venditis, de quorum bonorum preciis Camerarium prædictum debitorem deſcribant, ſi ipſe ad introitum ſuum non poſuerit: Quas quidem rationes reuidere teneantur in domibus ipſius Fraternitatis infra triginta dies à die, qua dictus Camerarius libros ipſius conſignauerit; & reuiſas deſcribere debeant in libro ſaldorum Fraternitatis ad id deputato, & de ſumma, de qua reſtaret debitor, ipſum debitorem deſcribere, ac etiam pro pœna, quam ex forma ſtatutorum, vel Reformationum, aut ordinamentorum Communis Arretij incurriſſet, ſi fideliter, & integre omnes pecuniarum quantitates quomodolibet receptas ad introitum non miſerit in damnũ ipſius Fraternitatis; & ſimiliter pro pœna, ſi debito tempore pecunias, quas habet in manibus, non remiſerit, vel eas non ſoluerit iuxta formam ſtatutorum, reformationum, ac ordinamentorum prædictorum, pro quibus rationibus reuidendis habere debeant

libras

libras quatuordecim, v ȝ. libras ſeptem pro quolibet à Rectoribus Fraternitatis; ipſis tamen rationibus, vt ſupra, infra dictum tempus reuiſis, & in libro ſaldorum deſcriptis, & non aliter, aut alio modo. Rationes autem Montis reuidere teneantur infra quadraginta Dies videndo introitum, & exitum Camerarij cum Reſcontro Campionis, libro vendirionum factarum per Conſeruatores ipſius Montis, ac extractionum factarum de pignoribus in dicto Monte exiſtentibus, quas rationes reuiſas in libro ſaldorũ ipſius Montis deſcribant. Inſuper Camerarium, Depoſitarium, & Rigattherium in pœnam, quam ipſi, vel eorum aliquis ex ſtatutorum, reformationum, & ordinamentorum inobſeruantia incurriſſet: Et pro dictis rationibus reuiſis habeãt de pecuniis ipſius Montis pro eorum ſalario libras quadragintaduas, Pro alia verò ratione Camerarij, quæ fit de Menſe Septembris habere debeat libras vigintiquatuor. Rationes officialium Damnorum datorum, '& Campariarum reuidere debeant infra triginta dies à die, qua Officiales prædicti libros conſignauerint. Quas rationes reuiſas teneantur deſcribere in libro ſaldorum Communis Arretij, & libros damnorum datorum conſignare in Camera Communis, & in manibus Notarij, vel Prouiſoris Palatij; & pro dictis rationibus reuiſis habere debeant pro ſalario libras duodecim. Rationes Operariorum Epiſcopatus, Sanctę Mariæ de San Polo, Hoſpitalis pontis, & Sãcti Lazzari reuidere debeant infra quindecim dies à die conſignationis librorum, & ipſas reuiſas, & in ſaldo poſitas deſcribere in dicto libro ſaldorum Communis, & pro eorum ſalario habere debeant libras tres pro qualibet ex dictis rationibus ab Operariis, & ſeu locis, vt ſupra. Rationes autem Camerarij Datiorum reuidere teneantur infra viginti dies à die conſignationis librorum. Declarantes quòd Rationerij prædicti non teneantur, nec debeant ponere ad exitum, aut eidem bonum facere niſi id totum, quod per D.P. & Collegas, aut Conſilium, & ſecundum ſtatutorum formam ſtantiatum fuerit, ipſaq; ſtantiamenta videre debeant, quæ non admittant, niſi manu Notarij Palatij, vel Cancellarij ſcripta, & per Syndicum ſubſcripta fuerint. Quas rationes ſimiliter in libro prædicto ſaldorum ponere, ac deſcribere debeant; & pro eorum ſalario habeant libras octo. Rationes Conſeruatorum pignorum, & Syndici Communis infra menſem reuideri debeant, & reuiſas deſcribi in dicto libro ſaldorum: & pro rationibus Conſeruatorum habeant libras duodecim: pro rationibus verò Syndici libras duas. Omnes autem alias rationes alicuius, qui aliquid adminiſtrauerit, aut ad cuius manus pecuniæ Communis Arretij peruenerint, reuideri debeant infra Menſem, & reuiſas deſcribere in libro ſaldorum Communis, & pro ſalario habere debeant, quod per D. P. & Collegas deliberatum, & ſtantiatum fuerit. Rationes autem Camerarij Doganæ, & ipſius Doganæ reuideri debeant per duos Rationerios Ciues Arretinos eligendos per Dom. Prior. & Collegas per octo dies ante finem officij ipſius Camerarij, cæterorumq; Officialium, ac Miniſtrorum Doganæ. Qui Rationerij teneantur, & debeant omni cum diligentia, & integritate rationes ipſius Camerarij, cæterorumq; Officialium, & Miniſtrorum reuidere, & calculare, & in ſaldo ponere infra quadraginta dies à die, qua eiſdem libri conſignabuntur, in quo calculo faciendo, & ratione reddenda habere, ac videre libros debeant Reſcontri, Contractuum, Doganerij, Coſtumorum, Taxarum, Veditorum, Macelli, Damnorum datorum, Specchietti, & condemnationum Magiſtrorum, nec non libros ſalis Magiſtrorum. In quibus quidem libris ponatur in fine manus vnius ex dictis Rationerijs, reſcontrata per me N. Teneaturq; reportare, & deſcribere ipſum Camerarium debitorem illius quantitatis, de qua remaneret debitor, ac etiam illius pœnæ, quam incurriſſet, ſi pecunias non remiſerit, cæteraq; non ſeruauerit, ad quæ ex forma ſtatutorum, ac

D refor-

reformationum tenetur. Quas quidem rationes ſic reuiſas deſcribere teneantur in libro ſaldorum dictæ Doganæ,& pro dictis rationibus ſic ut ſupra reuiſis habere debeāt de pecuniis dictæ Doganæ libras quadraginta. Quod quidem ſalarium dictis Rationeriis ſtantiari debeat per D. P. & Magiſtros Doganæ. Non poſſint tamen aliquid pro dicto ſalario ſtantiare, niſi prius dictis Rationibus infra dictum tempus reuiſis,ac in libro ſaldorum deſcriptis. Debeant inſuper omnes dicti Rationerij in dictis rationibus reuidendis inſpicere, ac videre omnes, & ſingulas obligationes,conuentiones,& capitula, ad quæ hi, qui rationes reddituri ſunt,quomodolibet tenentur ex forma alicuius ſtatuti,capituli,reformationis, pacti,aut conuentionis,& de omnibus,& ſingulis prædictis, & circa prædicta neceſſariis, & opportunis plenam habere notitiam, vt rectius, & facilius rationes ipſas reuidere valeant. Et ſi aliquem ex Camerariis, Officialibus, Miniſtris. cæteriſq; rationem reddituris inuenerint, ſupradicta omnia, & ſingula, vel eorum aliqua non ſeruaſſe, & contrafeciſſe,teneantur illos deſcribere debitores pro pęnis ex hoc incurſis in libro dictorum ſaldorum quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Si verò Rationerii prædicti, quæ ſupra dicta, ſtatuta, ac diſpoſita ſunt facere neglexerint,eorum ſalarium minimè conſequantur; vel ſi illud iam receperint,illis, à quibus receperint, reſtituere cum effectu cogantur: & vlterius eamdem pœnam ipſi incurrant; cuius pœnæ medietas ſit Communis Arretij: Quarta D.P.Reliqua Domini Capitanei, ſi de ea executionem fecerit.

DE CONSERVATORIBVS PIGNORVM, ET EORVM OFFICIO. XXIII.

AD Tollendas fraudes,quæ circa res per familiam D. Capitanei pignori captas hactenus commiſſæ eſſe noſcuntur,ſtatuerunt, quòd in futurum in dicta Ciuitate fieri debeant tres conſeruatores pignorum Ciues Arretini, ac vnus Depoſitarius, & vnus Camerarius,fiantq; Cōſeruatores, Depoſitarius, & Camerarius prædicti quolibet Anno de Menſe Nouembris, eorumq; officium in Kal. Decembris incipiat, & per Annum duret. Qui Conſeruatores, Depoſitarius, & Camerarius, electi, ſeu extracti infra ſex Dies dictum officium acceptare debeant, & idoneum præſtare fideiuſſorem per Dom. Pr.approbandum, & promittere in manibus Notarij Palatij,quòd benè, ritè, ac fideliter eorum officium exercebunt. Qui quidem Conſeruatores teneantur, & debeant reſidentiam facere in Platea Magna Communis, & in loco tuto, & apto pignora retinere, & ibi bis in hebdomade illa vendere,videlicet, Die Martis,& Die Sabbathi,modo tamen, & ordine infraſcripto. Depoſitarius autem prædictus recipere debeat pignora à Milite ſocio Domini Capitanei, in præſentia tamen vnius ſaltem ex dictis Conſeruatoribus, nec poſſit dictus Depoſitarius aliqua pignora accipere niſi æſtimata quantitate precij illius rei pignoratæ. Quæ æſtimatio per dictos Conſeruatores, vel vnum ex eis fieri debeat, & pro tanta æſtimatione dirictum ſoluere per eorum Camerarium Militi prædicto faciant, & non pro maiori, dictuſq; Miles teneatur pro dicta æſtimatione ipſa pignora conſignare, & pro ea, & non vltra dirictum recipere ſub pœna librarum centum applicatarum pro dimidia Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ: Pro quarta Communi Arretij: pro alia Domino rei pignoratæ, vel alij accuſanti. Quę quidem pignora poſt viginti dies à die talis conſignationis, & facta æſtimatione de eis per duos æſtimatores per dictos Conſeruatores eligendos vēdere teneantur ſono Tubæ, & plus offerenti ſalua ſemper dicta æſtimatione, aliàs de eorum proprio teneantur creditoribus Conſeruatores prædicti:

Nullus

Nullus tamen ex dictis Conſeruatoribus, nec Camerarius, aut Depoſitarius, & Miniſtri emere poſſint ex dictis pignoribus directè, vel indirectè per ſe, vel per alium, nec ſub aliquo quęſito colore ſub pœna librarum centum applicatarum pro dimidia Communi Arretij: Pro quarta D.Prioribus: Pro reliqua D.Capitaneo, ſi de ea executionem fecerit. Ipſis autem pignoribus venditis notificari faciant illis perſonis, ad quorum inſtantiam dicta pignora capta fuerant. & ipſis Creditoribus detracto derictu, retentisq; denariis octo pro qualibet libra pro quantitate, pro qua dicta pignora fuerint conſignata, ſoluat Camerarius prædictus, & id totum, quod ſoluit ponere, ac ſignare faciat in libris ipſorum, & in partitis debitorum, & pro qualibet partita retinere debeat dictus Camerarius ſolidum vnum pro Cõmuni Arretij. Si autem ex precio pignorum, vt ſupra, venditorum aliquid ſupereſſet, reſtituere teneatur Camerarius prædictus debitori, cui pignora capta fuerunt: Qui quidem Camerarius teneatur, & debeat ſcribere, & notare in vna parte libri introitum lucri eius officij notando partitam Conſignationis, & venditionis, nomen debitoris numerum Cartarum, libri, & pignoris. Teneantur inſuper dicti Conſeruatores, Depoſitarius, & Camerarius ſeruare omnia, & ſingula capitula, ordinamenta, & reformationes facta, & factas: aut in futurum facienda, & faciendas per generale Conſilium Communis Arretij, eorum officium, & quæ ad illud pertinent concernentia, & concernentes ſub pœnis, & præiudiciis, de quibus in eis diſpoſitum erit; & pro eorum ſalario habere debeant dicti Conſeruatores, Camerarius, & Depoſitarius ſingulis Menſibus libras ſeptem pro quolibet, & nihil vltra recipere, aut conſequi poſſint. Et finito eorum officio teneantur reddere rationem eorum adminiſtrationis; & conſignare libros Rationeriis Communis infra decem dies ſub pœna librarum viginti quinque, & ſtare debeant ad ſyndicatum coram Conſeruatoribus Legum Communis Arretij, & per eos ſyndicari debeant iuxta præſentium ſtatutorum formam. Et quòd dicti Conſeruatores, & eorum Camerarius debeant habere, & conſequi de Beſtiis conſignatis pro eorum ſtallaticis, prout diſponitur in Reforma de Anno M. D. XXIIII. ſub Rubrica De officio Maſſariorum Cõmunis in ſecundo Capitulo.

DE CONSERVATORIBVS LEGVM, ET EORVM OFFICIO. XXIIII.

MAXIME congruit, vt hi, qui Reſpublicas adminiſtrant, de dicta adminiſtratione, ac geſtis in ea debitam rationem reddant. Quod quidem probe conſiderantes ſalubriter ſtatuerunt, vt in dicta Ciuitate ſit officium Conſeruatorum Legum, prout hactenus eſſe conſueuit; ſintq; numero quatuor, quorum vnus ſit Legum Doctor. Sub quibus quidem Conſeruatoribus, vna cum Vexillifero Magnificus Dominus Capitaneus, ipſiusq; Iudex, & officiales omnes, ac Nuncij ſyndicari, & in ſyndicatu ſtare debeant per tres dies continuos eorum finito officio, Et præſtita idonea ſatisdatione, & ſimiliter oẽs alij Officiales, & Miniſtri dictę Ciuitatis, omnesq; alij, ad quorum manus pecuniæ Cõmunis Arretij peruenerint, præterquam Magnifici D.P. qui ſub dicto Capitaneo ſyndicari debeant, vt ſupra ſtatutum eſt. In quibus officiis, & officialibus ſyndicandis præterquam in dicto D.Capitaneo, ipſiusq; officialibus, & Familia interueniat, ac interuenire debeat Iudex ipſius Domini Capitanei. Qui quidem Conſeruatores vna cum dicto Vexillifero, & Iudice habeant auctoritatem declarandi dictos Officiales, & Miniſtros incurriſſe pœnas ſtatutorum, reformationum, ac ordinamentorum, quibus per dictos ſyndicandos contrauentum fuiſſe repertũ erit:

Vbi verò in ſtatutis, reformationibus, ac ordinamentis prædictis non eſſet appoſita aliqua pœna; tunc, & eo caſu habeant auctoritatem condemnandi vſque in ſummam librarum viginti, attenta qualitate delicti, & conditione perſonarum. Poſſint etiam Conſeruatores pręfati præſentis ſtatuti vigore minuere, ac tollere dimidiam pœnæ, quam quis incurriſſet ex forma ſtatutorum, & ordinamentorum, vt ſupra, talemq́; ſic incurſum à dimidia dictę pœnæ abſoluere, & liberare, quatenus eiſdem videatur, factumq́;, aut perſonarum conditio id expoſcat, & non aliter, aut alio modo. Teneanturq́;, & debeant omnes cauſas terminare infra quindecim dies abſoluendo, declarando, vel condemnando, vt ſupra, pœna librarum viginti quinque, & pro ſyndicatu prædicto tam dicti Conſeruatores, quàm Vexillifer, & quilibet eorum habeat ſolidos viginti, iudex verò quadraginta de pecuniis Cōmunis Arretij, eiſdem ſoluendos ad mandatum D.P. præterquam pro ſyndicatu Domini Capitanei, pro quo tertiam partem habere debeant à Cortynis; & de dictis cauſis, ac actis in eis faciendis rogari debeat Notatius Palatij, & habeat pro prædictis ſolidos viginti, vt ſupra. Statutum eſt etiam quòd vnus ex dictis Conſeruatoribus, prout eiſdem videbitur, interuenire debeat vnà cum Rationeriis Communis in rationibus cunctis ſaldandis; quas rationes etiam ipſe ſubſcribere teneatur aliàs pro non ſaldis habeantur.

DE CONDEMNATIONIBVS EXIGENDIS, ET MODO EXIGENDI. XXV.

CVM omnium condemnationum, quæ per Dominum Capitaneum fiunt medietas ſit Communis Arretij operæprecium eſſe cenſuerunt de modo exigēdi ipſas condemnationes ſalubriter prouidere: qua de re ſtatuerunt, quòd quolibet Anno de Menſe Maij fieri, ac eligi debeant per Cōſilium generale Communis Arretij tres Ciues Arretini ad id idonei, inter quos ſit vnus I. V. Doct. Quorum Virorum electio fieri debeat ſecundum formam Reformationum, & ordinamentorum ipſius Ciuitatis. Quibus quidem tribus Viris intelligatur eſſe, & ſit conceſſa facultas, & auctoritas exigendi, ac exigere faciendi medietatem omnium condemnationum, quæ per Dominum Capitaneum fiunt. Inſuper accipiendi poſſeſſionem omnium, & quorumcumq; bonorum, & rerum, quæ per eundem D.Capitaneum confiſcarentur pro portione cōmuni Arretij tangente, ipſaq́; bona vendere, alienare, & locare valeant, & ex dictis bonis fructus quoſlibet recipere, & habere pro dicto Communi, ipſoſq́; fructus quolibet anno de menſe Aprilis, vel Maij vendere debeant. Ipſas autem condemnationes, & pręcia dictorum bonorum, & fructuum ſoluere faciant in manibus Camerarij Doganæ cum emolumentis, & pœnis hactenus diſpoſitis, & conſuetis; & in omnibus, & ſingulis ſupradictis, & circa prædicta neceſſariis & opportunis plenam habeant auctoritatem. Pro quarum quidem rerum executione eligere, ac deputare debeant vnum Prouiſorem, qui cuncta per eorum officium geſta, exactiones, venditiones, locationes, fructuum receptiones, & omnia alia deſcribere, & notare debeat. Inſuper eligere, & conducere valeant vnum, vel plures Famulos cum ſalario condecenti, & à Communi Arretij ſoluendo, ac etiam expendere pro rebus eorum officio pertinentibus, & in libris, ac delatoribus occultis, vel manifeſtis id omne, quod opportunum & conueniens viſum fuerit. Et finito eorum officio reddere rationem eorum adminiſtrationis Rationeriis Communis, & ſtare ad ſyndacatum coram Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Arretij. Cęterùm, quia omnis labor optat premium, ſtatuerunt, quòd Exactores prædicti pro eorum ſalario habeant quintam par-

partem omnium, quæ eorum opera, & cura, & non aliter, exigerentur, & in manibus ipſius Camerarij ſoluerentur, tam ex dictis condemnationibus, quàm ex fructibus, & alijs quibuſcumque. Poſtquàm tamen condemnationes per ipſos exactæ in pęnā quarti pluris inciderint, & non aliter, aut alio modo. Quæ quidem quinta pars pro eorum ſalario eiſdem ſtantiari debeat per D.P. ipſorum redditis rationibus, ipſiſq; in ſaldo poſitis, & non aliter, aut alio modo: & vltra prædicta nihil habere recipere, aut conſequi poſſint directè, vel indirectè, nec ſub aliqua ſpecie, aut colore ſub pœna librarum quinquaginta pro quolibet, & qualibet vice; & de omni dolo, & fraude, quæ per eos cōmitteretur Cōmuni Arretij teneantur, & per dictos Cōſeruatores cōdemnari poſſint.

DE REFORMATIONIBVS OFFICIORVM, ET REFORMATORVM OFFICIO. XXVI.

ARRETINA Ciuitas quolibet quinquennio in ſuis officiis reformetur, & teneantur D.P. exiſtentes de Menſe Octobris finem Reformæ præcedentis, & ante diem decimā quintam dicti Menſis cōgregare generale Conſilium Cōmunis Arretij, & in eo proponere de Reformatoribus eligendis: teneanturq; ipſi D.P. Collegæ, & Conſiliarij ſub pœna librarum viginti quinque, pro quolibet eligere octo Ciues Arretinos in Reformatores officiorum, v3. ſex de ordine Vexilliferorum, duoſq; ex ordine ſecundorum, & mitti debeant ad partitum omnes Vexilliferi, omneſq; ſecundi ex domibus, & familiis, dumtaxat, quæ in eorum Agnatione haberent, aut habuerint Vexilliferum, octoq; ex eis plura ſuffragia habentes, legitimeq; partitum obtinentes intelligantur eſſe, & ſint Reformatores officiorum dictæ Ciuitatis, dummodo ipſi ſic electi Reformatores ſint ætatis Annorum quadraginta, ſi ſint Vexilliferi: Secundi verò triginta quinque, niſi ſint Doctores, quo caſu ſufficiat minor ætas annorum quinque. De quorum Reformatorū numero non poſſit eſſe niſi vnus de eadem agnatione. Eligatur etiam vnà cum dictis Reformatoribus in dicto Conſilio vnus ex Notariis Ciuitatis Arretij, & in matricula eiuſdem deſcriptus probus, ac peritus in Cancellarium dictæ Reformæ cum ſalario per dictum Cōſilium declarando. Qui quidem Reformatores, ſic vt ſupra electi habeant habereq; intelligantur auctoritatem, & facultatem plenam, & liberam reformādi omnia, & ſingula officia dictę Ciuitatis, ſtatuendiq;, & ordinandi, quæ pro regimine dictorum officiorum, v3. Communitatis, Doganæ, Fraternitatis, Montis, cæterorumq; locorum, & membrorum dictæ Ciuitatis neceſſaria, & opportuna fuerint, iuxta quorum ſtatutorum formam, & diſpoſitionem ipſa Reformatio fiat, aliàs nulla intelligatur eſſe, & ſit. In quibus quidem officiis reformandis ſquittinare, & ad partitum mittere debeant de per ſe, & diſtinctè quoſcumque Ciues Arretinos, quos ad ea idoneos eſſe cognouerint. Quæ verò per Reformatores prædictos, vt ſupra, geſta, ſancita, & decreta fuerint, ſeruari debeant per quoſcumque ſub pœnis, & præiudiciis in eis contentis; & vbi pœnę non eſſent appoſitæ ſub pœna librarum viginti quinque quibuſcumque in contrarium non obſtantibus etiam vſu, & conſuetudine, quæ minimè valeat allegari, fiatq; dicta reformatio ſecreta, & in præſentia tamen Magnifici Domini Capitanei interuenientibuſq; ad ſecretum, & in ſcrutinio Cancellario, & duobus Religioſis tantum per ipſos Reformatores eligendis Iureiurando ante omnia præſtito Reformatoribus, ipſiſq; etiam Magnifico D. Capitaneo Cancellario, & Religioſis de non reuelando, non propalando, ſed ſecreto habendo id omne, quod in dicta Reformatione tractaretur, & ageretur:

Vtq́; quieti, & tranquillitati publicæ conſulatur, quodq́; ſuum eſt vnicuique reddatur. In primis cunctis Ciuibus gradus acquiſiti præſeruentur, nec eiſdem modo aliquo priuentur, ſed potius augeantur; dummodo idonei ſint, & de Repub. maximè benemeriti, propterq́; eorum demerita culpam, & defectum, quòd in officiis ſe male geſſerint in damnum, & dedecus publicum, aut turpiter, & male vixerint, eiſdem priuari non mereantur. Ex quibus cauſis dictis Reformatoribus eos gradibus, & honoribus acquiſitis priuare liceat. Non poſſint dicti Reformatores imburſare aliquem in Vexilliferum; qui non habuerit prius Vexilliferum aliquem in ſua agnatione, aut non fuerit per Conſilium generale, & tres partes eiuſdem ex quatuor habilitatus, quæ habilitatio ad alios de ſua agnatione nullo modo extendatur, niſi aliter Reformatoribus ex iuſtis, ac legitimis cauſis videretur. Nec poſſint aliquem imburſare in Vexilliferum, qui durante tempore illius reformę officium Vexilliferi propter ætatis defectum exercere non poſſit. Nec etiam aliquem in officium Rectorum Fraternitatis, neque de ipſis Rectoribus ex aliqua domo, familia, & agnatione, quæ prius non habuerit aliquem ſaltem in quarto gradu. Minimeq́; liceat dictis Reformatoribus reformare, neque in aliquo officio dictæ Ciuitatis imburſare aliquos de eorum Familia, & agnatione, neque Fratres vterinos. Et ſi ſecus in prædictis, aut aliquo prædictorum factum fuerit ſit, nullum, & nullius valoris; incidantq́; in pœnam dicti Reformatores, & eorum quilibet librarum centum. Non liceat inſuper dictis Reformatoribus imburſare aliquem in officio D. P. qui exerceat artem barbi tonſoris, Pizzecagnoli, Fabbri, Maneſchalchi, Lanionis, ſeu Beccarij; non enim conuenit dignitati ipſius Magiſtratus, vt vilia huiuſmodi exercentes dictum officium adminiſtrent pœna librarum centum ipſis Reformatoribus & eorum cuilibet: Et ſi contigerit, illos imburſari, & extrahi ſtatim per Cancellarium lanientur ſub dicta pœna. Spurij quoque, & hi, qui de legitimo matrimonio nati non ſint, aut legitimè legitimati, non imburſentur in aliquo officio dictæ Ciuitatis, ad eaq́; eligi, vel admitti nequeant, aut ipſa modo aliquo exercere pœna librarum centum, eamdemq́; pœnam incurrant ipſi Reformatores, quatenus illos imburſarent, & Cancellarius, niſi extractos laniaret. Legitimati autem, vt ſupra non poſſint infra Annum ad aliquod officium eligi, vel admitti ſub dicta pœna. Quicumque etiam renunciauerit officiis Ciuitatis Arretij allegando priuilegium clericatus, aut alicuius ordinis, aut religionis non poſſit amplius ad aliquod officium dictæ Ciuitatis admitti ſub pęna prædicta, neque amplius per Reformatores in aliquo officio imburſari: Et ſi reperiretur dictum priuilegium allegatum fuiſſe in fraudem vltra pœnam amiſsionis officiorum pœnam librarum quinquaginta incurrat: quarum medietas Cõmuni Arretij: quarta Domino Capitaneo, & alia quarta, ſi integram pęnam exigi curauerint, applicetur D. P. Quę quidem Reformatio peragi, claudiq́; debeat per totam diem decimã Decembris pœna librarum quinquaginta pro quolibet dictorum Reformatorum. Qua clauſa teneantur D. P. infra duos dies congregare Conſilium generale, in quo eligantur quatuor Reformatores, Tres ex ordine Vexilliferorum, & vnus ex ordine ſecundorum, qui per totam diem vigeſimam Decembris reformare debeant omnes, & ſingulos de Agnatione, & domo ipſorum Reformatorum, eorumq́; fratres vterinos ſub pœna librarum quinquaginta, vt ſupra. Peractaq́;, & clauſa dicta Reforma, & imburſationibus factis ponantur, & claudantur burſæ omnes officiorum Palatij Communis, & Doganæ in vna capſa ad id ordinata. Burſæ verò Officiorum Fraternitatis, Montis, & Hoſpitalis pontis in alia capſa. Quę capſæ ponantur, & cuſtodiantur, & de eis fiat, & obſeruetur, etiam quoad claues earum, & Vacchettam tenendam in omnibus, & per omnia, prout, & ſicut per Reforma-

tores dictorum locorum diſpoſitum eſt. Nulliq; liceat dictas burſas aperire, videre Apotiſſas, Nominaq; in eis deſcripta, neque in eis aliqua Apotiſſa addi, aut ex eis extrahi, tolli, aut mutari poſſit, niſi quatenus ex forma ſtatutorum, aut alicuius vigentis Reformæ permiſſum foret. Qui verò contra prædicta fecerit, dolum, fraudem, & iniuriam commiſiſſe intelligatur, & contra eum de fraude, dolo, & iniuria agi poſſit; & vlterius pœnam librarum ducentarum incurrat applicandam pro tribus quartis partibus Officio Conſeruatorum Legum Ciuitatis Florentiæ; & pro alia accuſatori Magnificuſque Dominus Capitaneus de prædictis curam habeat, & inquirere, procedere, declarare, & condemnare poſſit, & debeat.

DE ORATORIBVS, ET EORVM OFFICIO. XXVII.

CVM ſæpe nonnulli Ciues Arretini Ambaſiatores electi ſecundum ordinamenta Communis Arretij tale negligant munus obire præſertim virtutibus præditi, atque idonei cum damno,& dedecore dictæ Ciuitatis ad obuiandum prædictis, & ne dicta Ciuitas indefenſa remaneat, ſtatuerunt,quòd quilibet Arretinus Ciuis cuiuſcumque ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtat electus, aut deputatus à dicta Communitate in Ambaſiatorem, aut Oratorem pro occurrentiis dictæ Ciuitatis Sereniſs. Magnum Ducem Noſtrum, aut quemcumque alium Magiſtratum Ciuitatis Florentiæ, vel etiam priuatum Hominem eiuſdem, & renunciauerit, aut denegauerit quoquo modo velle ire,& iter accipere infra tempus ſibi ſtatutum per dictos D.P. qui pro tempore erunt, vel malitiosè, ſe abſentauerit, teneantur. & debeant immediatè facta ſibi notificatione, & elapſo Termino, vt ſupra ſtatuto dicti D. P. deſcribi illum facere in libro Speculi per Maſſarium, Syndicum, aut Cancellarium dicti Communis in libris viginti quinque,& cum deſcriptus fuerit, dare illum ad grauandum D. Capitaneo Ciuitatis Arretij pro dictis libris viginti quinque. Cuius quidem quantitatis medietas attribuatur Palatio D.P. pro Maſſeritijs eiuſdem,& altera Rectori executionem facienti, & in ſimilem pœnam de facto incidant dicti D.P. & eorum quilibet, Maſſarius, Cãcellarius, aut Syndicus,qui talem delinquentem deſcribi non faceret in dicto libro Speculi. Qui poſtquam deſcriptus fuerit nullo modo pro pęna prædicta gratiari poſſit abſque propria ſolutione ipſius pœnę. Qui quidem Oratores ſic eligi debeant per D. P.& eorum Collegas,v3. quòd D.P.eligant vnum Ciuem Arretinum per eorum partitum: Domini Capitanei partis eligant alium per eorum partitum. Domini Officiales cuſtodiæ alium eligant,vt ſupra; & alium eligant Conſeruatores Communis. Qui quidem ſic electi debeant ire ad partitum inter dictos D. P. & Collegas ſimul: & ille, qui obtinuerit per plures fabas legitimè electus intelligatur. Et ſi contigerit plures Oratores eligi debere, tunc pro quolibet Oratore eligendo, teneantur dicti D. P. & alij ſupra nominati modo, quo ſupra electionem facere. Qui Oratores ſic electi ſi fuerint Doctores, vel Equites aureati pro eorum ſalario conſequi debeant per partitum dictorum D.P.& Collegarum libras quinque. Si verò doctores non fuerint conſequi debeant pro eorum ſalario libras quatuor pro qualibet die, & nihil plus petere poſſint, niſi de licentia Conſilij generalis, aut niſi vinceretur per partitum Collegarum per tres partes eorum ex quatuor. Pro Famulo verò habere debeat ſolidos viginti,& non vltra.

DE PRIVILEGIO, ET IMMVNITATE FRATERNITATIS BEATAE MARIAE MISERICORDIAE, ET HOSPITALIS PONTIS. XXVIII.

FRATERNITATEM Beatæ Mariæ de Miſericordia de Arretio ad conſolationem pauperum verecundorum, & ſuſtentationem ipſorum conſtitutam, auctoritateq; Venerabilis Patris D.D.Guglielmini Dei gratia Epiſcopi Arretini hactenus confirmatam, ac etiam fauorabilibus, & gratioſis beneficiis, & indulgentiis præditam ad Reuerentiam Domini Noſtri Ieſu Chriſti,& Glorioſę Beatę Mariæ Virginis Matris eius, & Aduocatę noſtræ, cum reuerentia approbauerunt. Statuentes, quòd Rectores Fraternitatis eiusdem, & Hoſpitalis de Ponte benignè recipiantur, & gratioſè tractentur in eorum iuſtis petitionibus,& deſideriis per Dominos Iusdicentes in Ciuitate Arretij, & debeant benignè recipi ad petendum, & exigendum dictę Fraternitatis,& Hoſpitalis legata, & relicta, & poſſint Rectores præfati pro ipſa Fraternitatę, & Procuratores, & Syndici Hoſpitalis Fraternitatis, & Hoſpitalis de Ponte pro ipſis Hoſpitalibus petere, & exigere coram quocumque,vt ſupra Iusdicente; & qui teneantur,ac etiam debeant ad petitionem Rectorum Fraternitatis,& eorum Syndici cogere cum effectu realiter,& perſonaliter omnes debentes ſoluere relicta,vel legata, ſiue quolibet alio iuſto Titulo debita Fraternitati,& Hoſpitali prædictis ad ſoluendum ſine diminutione aliqua,vel detractione mãdando executioni petita per dictos Rectores, vel eorum Syndicos,& Procuratores,quemadmodum mandantur executioni Inſtrumenta Guarantigiæ de facto, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, & ſola facti veritate inſpecta, & conſiderata abſque aliqua tela iudiciaria, & quali petitione, & ſine ſcriptis ſufficiente diebus aliquibus non obſtantibus etiam feriatis,& teneantur Notarij ſcribentes Teſtamẽta, vel vltimas voluntates denunciare infra octo dies poſt mortem Teſtatorum Rectoribus dictæ Fraternitatis, & dictorum Hoſpitalium, ſi quid eis relictum fuerit. Item quicumque fecerit Teſtamentum, in quo dixerit, & fecerit Hæredes Pauperes Chriſti, aut eis aliquid legauerit, quòd ad tale legatum admittatur Fraternitas Beatæ Mariæ Ciuitatis Arretij, & ad hoc legatum, ſiue Hæreditatem intelligatur inſtituta, ſiue facta legataria præfata Fraternitas. Item non reddatur Ius ab aliquo Iusdicente illis, qui vigore legati, aut Inſtitutionis aliquid præfatis Fraternitati, & Hoſpitali debebunt, niſi poſtquam dictis locis integrè per eosdem fuerit ſatisfactum,& poſtquam eisdem fuerit facta notificatio, & in cauſis dictorum Fraternitatis, & Hoſpitalis reddatur Ius ſummariè,vt ſupra dictum eſt,omnibus diebus etiam feriatis. Item nullus debitor pro quolibet debito ciuili,damnorum datorum,aut datiorum confugiens ad ſcalas Fraternitatis Sanctæ Mariæ,aut ibi exiſtens,vel in aliquo gradu dictarum ſcalarum, ſeu in domo Fraternitatis prædictæ,aut in Mõte Pietatis poſſit capi per aliquẽ officialem dictæ Ciuitatis,aut Berroarios, aut inde extrahi ſub pœna librarũ viginti quinque in quam incidat Nuncius,qui talem capturam fecerit, & captura ipſa non valeat.

DE RECTORIBVS FRATERNITATIS SANCTAE MARIAE MISERICORDIAE, ET EORVM OFFICIO. XXIX.

DOMVS præclara toto orbe venerãda, quam ſibi Arretinus Populus ad omnem laudem,& gloriam almę Virginis, & Matris Marię conſtituit, & vt eius Rectores liberè Teſtatorum Diſpoſitiones exequantur ad hanc legem conſtituendam inui-

inuitat, & vt eadem à Deo Optimo Maximo ſummo munere conceſſa illæſa ſeruaren tur,& eidem collata firmiter per omnia augeantur. Statuerunt, quòd Rectores huiuſmodi tempore eorum officij in omnibus, & per omnia potiantur quibuſcumque Priuilegijs, & Immunitatibus, quibus gaudent Collegę Dominorum Priorum Ciuitatis Arretij, & contrafacientes illam pœnam incurrant, prout ſupra De Collegis dictum eſt,& omnes,& ſingulas immunitates,præheminentias, priuilegia, prohibitiones, permiſſiones, & Honores eiſdem Collegis attributos præſentis ſtatuti vigore dictis Rectoribus conceſſos,& attributos eſſe voluerunt, & tam pro eis, quam contra eos diſpoſitos. Voluerunt etiam,prędictos Rectores eſſe immunes,& exemptos à factionibus quibuſcumque perſonalibus tam ipſos,quam eorum Notarium,Prouiſores,Camerarium, & alios de familia dictæ Fraternitatis. Cęterum licere voluerunt dictis Rectoribus poſſe omnes,& quaſcumque leges,& ordinamenta facere concernentes Honorem,& vtilitatem dictę domus,& officium Rectorum eiuſdem,quę tamen approbata voluerunt eſſe per Priores Populi Ciuitatis Arretij, & eorum Collegas, & deinde per conſilium Ciuitatis prædictę & ſic edita,&approbata plenam Iuris firmitatem voluerunt obtinere,ac ſi per habentes approbandi facultatem,auctoritatemque approbata forent.Si verò Ciuis Arretinus erit extractus ad dictum officiũ Domus Fraternitatis prædictæ, & tẽpore extractionis eſſet repertus ſcriptus in libro Speculi Cõmunis Arretij quacũque de cauſa per ſe,vel alium modo aliquo ſit pęnitus inhabilis ad dictũ officiũ, & debeat illico laniari per Notarium Fraternitatis prædictæ habita fide de debito, & deſcriptione in ſpeculo per officialem ſpeculi Communis Arretij, dummodo talis deſcriptus in libro ſpeculi ſit deſcriptus pro ſumma excedente ſummam librarum quinque.Si vero dictus Notarius certificatus, vt ſupra. de prædictis per fides prędictas extractũ deſcriptũ in ſpeculo non laniauerit incidat in pœnam librarum vigintiquinque.Similemque pœnã ſe noſcat incurſum officialis ſpeculi, quãdo Talis deſcriptus in libro ſpeculi extraheretur de Rectoribus,& non notificaret dicto Notario: Illamque eamdem pœnã incurrat talis debitor deſcriptus in ſpeculo, vt ſupra,ſi extractus tale officiũ acceptauerit, aut exercuerit, & ſit ipſo Iure illo priuatus. Si quis verò eſſet debitor alicuius Operę,alicuius Eccleſiæ Ciuitatis Arretij, & extraheretur ad tale officium Rectorum non poſſit, nec debeat modo aliquo laniari non obſtante aliquo capitulo, aut diſpoſitione in contrarium diſponente, cui intelligatur eſſe, & ſit in prædicto caſu per dictam ſpecialiter, & omnimodo derogatum. Et ſi contigerit,quòd extractus ad dictũ officium Rectorũ Fraternitatis habilis illud acceptauerit, ſiue excercere inceperit, & demũ aliquod iuſtũ ſuperueniret impedimentum, propter quod dictum officiũ exercere non poſſit,ſtatuerunt,quod Rectores Fraternitatis prędicti ſocij talis Impediti teneantur infra tres dies à die talis Impedimenti ſuperuenientis extrahere alium loco talis Impediti, quod impedimentum iurari debeat per duos Ciues Arretinos in pręſentia D. P. Ciuitatis Arretij & per dictos Dominos Priores approbari. De quibus iuramento, & approbatione debeat eſſe rogatus Cancellarius Communis Arretij, vel Notarius dictæ Fraternitatis. Si vero prædicti Rectores in prædictis,vel altero ipſorum fuerint negligentes, & ſupra dicta non ſeruauerint infra dictum tempus,ipſorum quilibet pęna librarum decem plectatur. Quæ locum habeant & obſeruentur, ſi talis impeditus à die ſui impedimenti ſtare deberet in dicto officio per vnum Menſem cum dimidio: Si verò minori tempore ſtare deberet ſit in arbitrio dictorum Rectorum an velint extrahere alium loco talis impediti, vel ne. Et quia clarum eſt natum Hominem ſemel mori oportere, igitur ſi quis ex dictis Rectoribus durante eius officio moreretur, pro honore talis defuncti ſtatuerunt,quod dicti Rectores Fraternitatis expenſis dictæ Fraternitatis debeant facere

octo cęreos cum aſtis, & ſigno dictæ Fraternitatis pro funere dicti defuncti, & Honore dictę Domus Fraternitatis & Rectorum eiuſdem. Et quoniam Clariſſimum eſt Domũ illam fuiſſe conſtitutam per Ciues Arretinos in ſubſtentationem Ciuium verecundorũ qui hoſtiatim ſuffragia mendicare erubeſcunt; inconueniens eſſet ſubſtantias, pauperum externis, & incognitis, non autem verecundis erogare, ſtatuerunt igitur & pro obſeruatione voluntatis Defunctorum, & vt Ciuium mortuorum facultates viuentibus Ciuibus ſuffragentur, ne fraus aliqua fieri poſſit ob non cognitionem perſonarum, quibus eleemosyna daretur, quòd Rectores, nec aliquis eorum poſſit, aut valeat modo aliquo dare aliquam eleemosynam, quæ ſtãtiamentum requirat, niſi illis perſonis, & Ciuibus, qui habitant in Ciuitate Arretij, intelligendo habitantes eſſe omnes illos Ciues, qui commorantur in dicta Ciuitate Arretij familiariter, vel eos, qui ſteterunt ſaltem in dicta Ciuitate per Annum continuum. Si vero in dubio verteretur, quòd perſona, cui facere vellet dicti Rectores aliquam eleemosynam ſteterit in Ciuitate Arretij per vnũ Annum, vt ſupra vel plus, tali caſu ſtetur Iuramento duorum bonorum virorum Ciuium Arretinorum de Tempore, quo talis ſteterit deponentium. Et ſi cõtingerit, quod in Ciuitate Arretij ſuperueniret aliquis Nobilis, aut in aliqua conſtitutus dignitate forenſis, qui ob aliquam Fortunam, & caſum indigeret eleemosyna, & aſpectu, & alijs indicijs iudicari poſſet, quòd talis non vadat, vt alij Truffatores hoſtiatim ſuffragia mendicando, dictos Rectores tali caſu auctoritatem habere, ſi voluerint, eidem eleemosynam faciendi, prout viderint neceſſarium, ſuper hoc eorum conſcientiam onerando. Liceat etiam dictis Rectoribus dare eleemosynam fratribus obſeruantię de Sargiano, & alijs omnibus Fratribus mendicantibus, Monialibus, qui ſteterint ad minus in dicta Ciuitate Arretij, vel loco Sargiani per Menſem, ac etiam omnibus alijs, & ſingulis locis pijs dictæ Ciuitatis. Si verò dicti Rectores, vel aliquis eorum contrafecerit in faciendo eleemosynam prædictis, pręſenti Sãctione incidat in pœnam librarum decem pro quolibet eorum. Et ſimilem pœnam incurrat Notarius Fraternitatis, qui ſtanciamentũ talis eleemosynę non fecerit modo, quo ſupra. Item voluerunt, & mandauerunt, quòd quando dicti Rectores collegialiter vadunt ad officium ad aliquam oblationem faciendam nomine dictæ Fraternitatis, aut quãdo reſident in Audientijs eorum pro eorum officio exercendo, non poſſint ſtare in cappa, ſed graui, ac ciuili habitu, nec cũ Armis ſub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice: Cum dicta Domus ſit omni clementia & charitate plena, inconueniens eſſet, ſi miſericordia nõ vteretur. Ideo voluerunt, quòd Domicelli, ſiue famuli, & Beccamorti dictæ Fraternitatis ſint exempti, & immunes, & gaudeant illis priuilegijs, & immunitatibus, quibus gaudent Famuli D. P. Ciuitatis Arretij circa Factiones reales, & perſonales; Circa vero Datia perſoluenda Communi Arretij eos, & eorum quemlibet teneri voluerunt ſicut & alij Ciues Arretini, quos pro prędictis realiter tantum grauari poſſe voluerunt. Item quòd dicti Rectores, & quilibet eorum teneantur reſpondere fabam ad petitionem prępoſitorum, vel alterius eorum ſub pœna librarum decem pro qualibet vice. Et quia nonulli ęterni Iudicij ſententiam nõ timentes iniuſtas ſæpiſſimè mouent lites, & rectores eiuſdem aliquando negligunt, & nonnumquam immutantur priuſquam fines imponatur litibus: ſucceſſores vero in eorum opinionibus, vt plurium à prioribus diſcordant, ſicq; lites malum exitum Fraternitati parturiunt. Volentes itaque tali damno remedium prębere ſalutare, ſtatuerunt, quòd ſi quis in Ius vocare fecerit Fraternitatem Sanctæ Mariæ prædictæ, aut Rectores eiuſdem, & contra eam, & eos litem mouere incęperit occaſione, & prætextu, quòd aliquid ſibi dari, vel fieri putauerit à dicta Fraternitate, Rectores eiuſdem teneantur, & obligati ſint infra tres dies à die producti libelli, vel petitionis cuiuſcumque notificare

Ma-

Magnificis D.P.Ciuitatis Arretij litem motam,vel quæ moueri ſperatur. Tunc præfati Magnifici D.P. teneantur, & obligari ſint ſaltem infra octo dies poſt dictam notificationem ſub pœna librarum decem pro quolibet, pro qua deſcribi debeat in libro ſpeculi,congregari facere generale Conſiliũ Ciuitatis Arretij, quod facere poſſit auctoritate præſentis ſtatuti abſque alia Præpoſita prius facta, & ſine alia deliberatione Collegarũ & congregato Conſilio teneantur præfati D. P. Conſilio notificare dictam litem motam, vel mouendam dictę Fraternitati. Quòd Cõſilium debeat eligere quatuor bonos Viros Ciues Arretinos in Syndicos, & defenſores dictę Fraternitatis, & dicti Communis in defendendo dictam cauſam motam, vel mouendam cum plena auctoritate, & tanta,quantam habent dicta Fraternitas, & totum Commune Arretij in defendendo dictam cauſam, & ſingulos actus faciendo, & proſequendo vſque ad finem dictæ litis incluſiue,& tam in prima cauſa, quã in ſecunda Appellationis,ſaluo, & excepto, quòd non poſſint dicti electi aliquam concordiam,tranſactionem, compoſitionem, vel pactum perſe ipſos facere,& eorum mera voluntate, ſed eis opus ſit licentia præfati generalis Conſilij; qui electi tres ex eis auctoritate præſentis ſtatuti poſſint, & valeant abſq; alio mandato coram quocumque Iudice Ciuitatis Arretij, vel Florentiæ, & tam corã ſeculari,quàm eccleſiaſtico comparere,omneſq; actus in litibus expedientes facere,etiã ſi illi prohiberentur fieri per Syndicos,aut procuratores:quibus caſibus voluerunt, dictos electos haberi pro veris Dominis, prętérquam quod non poſſint facere concordiam,vel tranſactionem aliquam vt dictum eſt,ſed ſolum,quæ fieri poſſunt,& debeant ſecundum formam ſtatutorum,& Iuris; Et quæ ſtatuta,& Iura prędicta fieri mandant, & proceſſus, & ordo ipſius exigunt, & requirunt: Quę omnia fieri debeant expenſis Fraternitatis: & Rectores eiuſdem pro tempore exiſtentes teneantur, & obligati ſint ſtantiare omnem quãtitatem pecuniæ, quę pro dictis exequendis fuerit neceſſaria ſub pœna librarũ vigintiquinque pro quolibet applicãda Cõmuni Arretij,pro qua deſcribi debeant in libris Condemnationum Doganæ. Et eamdem pœnam incurrat dictæ Fraternitatis Camerarius, ſi non ſoluerit id,quòd per dictos Rectores fuerit ſtantiatum. Et quoniam rebus omnibus, quę pro adminiſtratione domus ipſius Fraternitatis, ac Montis Pietatis eidem Fraternitati ſubiecti conueniant, longum, ac difficile eſſet præſentium ſtatutorum ſerie prouidere,cum quotidie multa fieri, ac reformari contingãt. Idcirco ſtatuerunt, quòd liceat Conſilio Generali Communis Arretij ſtatuere, reformare,ac diſponere circa regimen, & adminiſtrationem ipſius Domus Fraternitatis, ac Montis Pietatis omnia,& ſingula, quæ eidem pro dictis Fraternitate, ac Monte neceſſaria, & vtilia viſa fuerint quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

DE DOMO BEATI LAZZARI, ET EIVS REGIMINE. XXX.

AD reformationem domus Eccleſiæ,ſiue loci beati Lazzari,quæ deputata fuit per Commune Arretij ad ſeruitium leproſorum Ciuitatis, & Comitatus ad retinendum,& gubernandum eoſdem, vt ipſa Eccleſia, & locus minimè ſubmittatur niſi Communi Arretij,ſub cuius gubernatione dicitur cuſtodiri.Statuerunt, quòd ipſa Eccleſia,& locus beati Lazzari cum omnibus Iuribus, & pertinentijs manu teneatur,& cõſeruetur pro Commune Arretij ſub eius protectione, & gubernatione, & per ipſum Commune ipſe locus de Rectore,& gubernatore idoneo, & ſufficienti penitus reformetur,ad hoc,vt pauperes, & infirmi in ipſo loco recepientur, & admittantur ſecundũ bonam,& antiquam conſuetudinem hactenus obſeruatam,& pro conſeruatione ipſius

Domus

Domus fiant duo operarij, qui teneantur videre, & procurare, quòd bona dictę Domus non vſurpentur, & in malam partem nō expendantur per Hoſpitalarium ipſius, nec poſſint expendere, neque ipſi, neque Hoſpitalarius in Feſtiuitate Sancti Lazzari aliquid niſi pro Sacerdotibus ſub pęna Hoſpitalario librarum centum applicandarum dictæ Domui. Et non poſſit dictus Hoſpitalarius locare bona Hoſpitalis, niſi in eis locandis interueniant Operarij, aliàs locationes ipſæ non valeant; & Operarij ſint ad minus ſaltem Annorum quadraginta.

DE OPERARIIS EPISCOPATVS, ET EORVM OFFICIO. XXXI.

VT Pecunię, quæ Cathedralis Eccleſiæ Arretinæ ſunt, in manibus vſurpantium non remaneant, & ne ipſa detrimentum patiatur, & incōmodum, immo quod ſuum eſt modis omnibus aſſequatur. Statuerunt, quòd quicumque eſſet debitor Operæ Epiſcopatus prędicti tam pecuniarum, quàm rerum quarumcumque modo quolibet ad ipſum peruentarum extraheretur ex Operarijs operæ dictæ Eccleſiæ, ſit inhabilis ad dictum officium tàm debitor principalis, quàm eius hæredes non obſtante aliqua renunciatione hæreditatis, quę in prædictis Hæredibus aliquo modo ſuffragari non poſſit, & debeant illico laniari per Cancellarium Communis Arretij ſub illa pœna, in quam incidat Cancellarius, ſi non laniaret deſcriptos in libro Speculi, quando extraherentur ad aliquod officium præterquam Prioratus, & Collegiorum, rato manente ſemper dicto debito, & teneatur Camerarius, ſiue Prouiſor dictę operę dare in ſcriptis Syndico, ſeu Maſſario Communis Arretij omnes, & ſingulos debitores dictæ Operę ex cauſis ante dictis, antequam fiat extractio dictorum Operariorum ſub pœna librarum decem applicanda dictæ Operæ pro medietate: & pro alia Rectori executionem facienti; Et in eamdem pœnam incidant dicti Syndici, ſiue Maſſarius, ſi quando fit extractio dictorum operariorum non notificaret talem eſſe debitorem, ſi extraheretur, qui debitor eſſet dictæ operæ. Et nihilominus quicumque debitor dictę operę ex cauſis antedictis acceptauerit officium prædictum, incidat in pęnam librarum viginti quinque, & dicto officio ſit ipſo iure priuatus. Inſuper ſtatuerunt, quòd nullus ex Operariis durante tēpore ſui officij poſſit, aut debeat eſſe Camerarius, ſiue Prouiſor dictæ Operæ ſub pœna librarū vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice. Præterea Camerarij, ſiue Prouiſores teneantur, & debeant, quando fiunt oblationes ordinariæ in dicta Eccleſia Epiſcopatus eſſe cum Officiale Domini Capitanei, ſiue extraordinario, quando faciunt reaſſignationem debentium offerre, & omnes, & ſingulos apuntatos, & negligentes in non veniendo, & non offerendo deſcribere pro debitoribus operæ quemlibet eorum ſegregatim, & de perſe in libro operæ in, & pro ſolidis viginti, vt ſupra iam diximus primo capitulo. Item prouiderunt, quòd Camerarius, ſiue Prouiſor dictæ operæ teneatur, & debeat infra quindecim dies à die depoſiti ſui officij reddere, & reſtituere nouis Operariis, vel eorum Camerario, ſiue Prouiſori omnem quantitatem pecuniarum, vel rerum aliarum quarumcumque, quam, ſeu quas haberet pœnes ſe de opera prædicta. Si verò fuerit negligens in prædictis, & dictas reſtitutiones non fecerit, incidat in pęnam librarum vigintiquinque. Et liceat eiſdem Operariis, ac poſſint dare debitores operæ prædictę Militi Domini Capitanei exigendos, aut vti remediis, & cenſuris eccleſiaſticis pro exactione pędicta, prout eis viſum fuerit, & placebit. Item voluerunt, quòd libris dictæ operæ adhibeatur plena, & indubitata fides, & ipſi libri plenam fidem faciant de prædictis, & executionem mereantur, prout Inſtrumenta

ta Guarantigiæ de plano ſine ſtrepitu, & figura Iudicij. Et ſi præfatus Dominus Capitaneus de prędictis fecerit executionem, & exactionem, habeat tunc, & habere debeat ſolidum vnum pro qualibet libra de eo, quod exigere fecerit, ſaluo, & excepto, quòd de apuntatis prædictis, de quibus ſi executionem, & exactionem fecerit habear, & habere debeat ſolidos duos pro qualibet libra. Item ſtatuerunt, quòd Camerarius, ſiue Exactor Datiorum Communis Arretij teneatur, & debeat ſoluere, & remittere cum effectu Camerario Operæ Epiſcopatus prædicti totum illud, ad quod teneretur dictæ Operæ pro Tempore ſui Officij Camerarij, videlicet, denarios quatuor pro libra retinendos ex quolibet ſtantiamento ſecundum formam præſentium ſtatutorum infra duos Menſes proximè venturos à die depoſitionis ſui officij ſub pœna dupli applicanda dictæ Operę Epiſcopatus Arretij, & Domus Veteris, vt infra, reddendo ſingula ſingulis. Et quod diſpoſitum eſt per præſens ſtatutum, diſpoſitum intelligatur circa Operarios Domus Veteris, & Sanctæ Mariæ de Sancto Polo.

DE OPERARIIS DOMVS. XXXII.

ITEM ſtatuerunt, quòd quicumque extraheretur ad officium Operariorum Domus Veteris extra Ciuitatem Arretij, qui eſſet debitor dictæ Domus, quòd Cancellarius Communis Arretij, quando talis debitor extraheretur ad tale officium, debeat illum laniare ſub pœna librarum decē, ſi illum illico non laniaret habita tamen primò, & ante omnia fide, & notitia à Maſſario, ſiue Syndicis Communis Arretij de tali extracto, quòd ſit debitor dictę Operæ, & de omnibus aliis, qui veriſimiliter poſſint eſſe de dictis Operariis ſub pœna prædicta dicto Maſſario, aut Syndico auferenda, ſi dictam fidem non fecerit dicto Cancellario, aut non notificauerit dicto Cancellario ante dictam extractionem. Et teneatur Camerarius dictæ Operę ante dictam extractionem Operariorum dare dictos debitores dictæ Operæ Syndicis, aut Maſſariis Communis prædicti ſub pœna librarum decem. Et teneatur, & debeat Camerarius dictę Operę remittere, & remiſſionem facere finito dicto eius officio infra quindecim dies tunc proximè ſequentes nouo Camerario dictę operæ omnem quantitatem pecuniarum, ſiue aliarum quarumcumque rerum dictæ operæ ſub pœna librarum vigintiquinque, ſi dictam remiſſionem non fecerit. Et ſi quis extraheretur ad dictum officium, qui eſſet debitor dictæ operæ, & dictum officium acceptaret, vel exerceret, incidat in pœnam librarum vigintiquinque, & ſit ipſo Iure priuatus dicto officio. Hoc tamen prædictis addito, & declarato, quòd prædicti Officiales non poſſint, nec valeant eligere, nec deputare in Camerarium dictæ Operę aliquem ex dictis Operariis ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet ipſorum Operariorum, qui talem electionem fecerit. Et ſimilem pœnam inccurrat talis ex dictis Operariis, qui acceptaret dictum Camerariatus officium, dum eſſet de numero ipſorum Operariorum,

DE OFFICIO MILITIS DOMINI CAPITANEI. XXXIII.

MILES Domini Capitanei Ciuitatis Arretij Iuriſditionem habeat in cauſis Ciuium, & Artificum, & Mercatorum Ciuitatis eiuſdem eatenus, quatenus dicetur infra De libris Ciuium, & Mercatorum: Inter Comitatinos verò,

& contra Comitatinos Cortynatum ſolum, & dumtaxat vſque in ſummam librarum quindecim, & non vltra; & petens vltra cadat à Iure ſuo, nec vlterius audiri valeat; Ipſeq; Miles aliter cognoſcens, vel Iuriſditionem exercens incidat in pœnam librarum ducentarum: Quarum medietas Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ applicata eſſe intelligatur: Quarta Communi Arretij: & reliqua Accuſatori, vel reo, ſi accuſaret. In aliis verò cauſis nullam habeat Iuriſditionem, nec de eis cognoſcere quoquo modo poſſit, ſed tantum ſit merus executor. Teneatur etiam dictus Miles exequi, & executioni mandare omnes Bullettas, ſiue licentias cuiuſlibet grauaminis commiſſas per Iudicem dicti Domini Capitanei, vel per Conſules, vel per Notarium Damnorum Datorum, vel per alios Officiales dictæ Ciuitatis, prout, & ſicut in eis continetur, & eidem commiſſum, ſiue conceſſum eſt: Et vbi dictus Miles habet Iuriſditionem, & cognitionem in cauſis hunc ordinem ſeruare debeat, videlicet. Quod citari faciat Reum ad petitionem Actoris, cui ſic citato, ſi habitat infra quatuor milliaria, ſtatutus intelligatur terminus quatuor dierum ad comparendum; ſi vltra, ſex dierum, & aliter non ſit contumax; & ipſo Comparente legere ſibi petitionem Actoris: Qui Reus, ſi confeſſus fuerit, habeat terminum ad ſoluendum decem dierum. Si verò voluerit terminum ad faciendum calculum cum ſuo Creditore, & ad ſoluendum illud, etiam vt ſupra habeat: Dicto verò termino elapſo in quolibet prædictorum caſuum, & Reo non ſoluente dictus Miles grauari faciat ipſum perſonaliter, & realiter, donec petita Actori ſoluat. Si verò dictus Reus negauerit, ipſe Miles obſeruet, quæ infra De libris Ciuium, & Mercatorum dicentur ſub pœna librarum ducentarum, vt ſupra applicatarum. Si verò Reus fuerit contumax ipſum grauari faciat, realiter, vel perſonaliter, vt ſupra. Si verò contigerit, quòd aliquis vigore plurium licentiarum, ſiue bullettarum, ſiue petitionum coram dicto Milite factarum in cauſis prædictis captus fuerit, Miles ipſe teneatur, & debeat deſcribere talem fore, & eſſe captum ſub qualibet licentia prædictarum, & petitione facta contra eum coram dicto Milite; & ſic pro omnibus captus intelligatur, & ſit, & ſemper teneatur in actis notare diem cuiuslibet actus, & etiam executionis per dictum Militem, aut Nuncios facti, ac factæ, & etiam poſitionis reclami, & præſentationis licentiæ de grauando ſub pœna librarum vigintiquinque, applicandarum Officialibus Legum Ciuitatis Florentię, vt infra dicetur. Item non poſſit dictus Miles modo aliquo executionem facere realiter, vel perſonaliter grauando aliquem vigore licentię, ſiue bullettę ſibi conceſſę per Iudicem Domini Capitanei, vel aliquem alium Officialem, vel Officiales Ciuitatis Arretij, vel etiam Proconſules, ſi fuerit Annus elapſus à die datæ commiſſæ, ſeu conceſſæ licentiæ prædictæ etiam ſi fuerint conceſſæ vigore Inſtrumenti Guarantigiæ, vel habentis vim Guarantigię, aut aliqua alia fauorabili, aut priuilegiata cauſa, niſi talis bulletta, ſiue licentia renouata fuerit per Iudicem prædictum citata parte aduerſa ad dictam licentiam renouari videndum, & prout dictum eſt libro ſequenti, Titulo De Execut. Inſtrument. Si verò dictus Miles aliquem capi fecerit aliqua de cauſa, & ex quacumque commiſſione ad Inſtantiam tamen alicuius particularis perſonæ, & eum retinuerit in Palatio, vel in Carceribus Domini Capitanei per tres dies continuos à die capturæ, ſeu detentionis eiuſdem capti non poſſit, audeat, vel præſumat dictum ſic captum inuitum plus detinere in dicto Palatio, vel carceribus, ſed ſtatim dictis tribus diebus elapſis, talem ſic captum petentem conſignare debeat Cuſtodi Carcerum Communis Arretij, qui ad petitionem vnius, vel plurium, ad quorum

rum petitionem fuerat captus in dictis Carceribus ſtare debeat, & ipſo præſentato dicto Cuſtodi, vt prædicitur, dictus Miles ſit liber, & abſolutus ab omni obligatione, in qua eſſet obligatus pro dicto capto, vt ſupra conſignando. Si verò negligens fuerit dictus Miles, vt ſupra, conſignare, incidat in pœnam librarum ducentarum: Quarum medietas Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ applicata eſſe intelligatur: Quarta Communi Arretij: & reliqua ipſi capto, etiam ſi ipſe captus accuſaret. Prædicta tamen non habeant locum, ſi quis Ciuis Arretinus, qui eſſet captus, & vellet, vt carceres euitaret, fideiubere, & fideiuberet de Curia, ſiue Palatio dicti Domini Capitanei non diſcedere, eo caſu dictos Miles teneatur fideiuſſorem recipere, & permittere dictum Ciuem captum ſtare in dicto Palatio, ſeu Curia per decem dies à die factæ capturæ proximè futuros. Poſtea verò dictus Miles facere teneatur de dicto capto, quod voluerit Creditor de ipſo mittendo in carcerem, vel non, prout ipſe Actor voluerit ſub eadem pœna, vt ſupra proximè applicata. Et omnes, & ſinguli capti, ſeu incarcerati intelligantur capti, vel carcerati, & Cuſtodi vt ſupra recommendati tàm pro debito, quàm pro expenſis debitis Actori, & Curiæ, atque Familiæ. Prætereà omnia bona, & ſingula mobilia, vel ſemouentia alicuius debitoris non ſuppoſiti Iuriſditioni Domini Capitanei prædicti reperta in eius Iuriſditione poſſint, & debeant de facto, pręcedente tamen commiſſione Iudicis, per dictum Militem, aut Curiam cum Nuncio tolli ad petitionem cuiuſcumque Ciuis Arretini, vel Comitatini dicto Domino Capitaneo ſubpoſiti creditoris talis non ſubpoſiti, & ea deponi facere apud Communis Arretij Maſſarios. vel eorum Prouiſorem, ſeu Camerarium retinenda ad petitionem dicti Actoris, donec dictus debitor ſoluerit petita per Actorem, vel Fideiuſſorem pręſtiterit de Iudicio ſiſti, & Iudicatum ſoluendo, ſeu vendenda, prout, & ſicut hiſce ſtatutis diſpoſitum eſt. Nullus prætereà, vt ſupra, captus poſſit modo aliquo ad petitionem alterius in carcere refirmari, nec etiam poſtea licentiatus à captura de eo facta poſſit, aut valeat die, quo fuerit relaxatus iterum capi, vel retineri ad petitionem alterius, niſi ſit forenſis, & non ſuppoſitus dicto Capitaneo, vel niſi pro aliqua executione, aut licentia de grauando prius ante capturam à Iudice commiſſam manu alicuius ex Notariis Banci vigore alicuius Inſtrumenti, vel ſcripturæ paratam executionem habentis ex forma ſtatuti, pro qua refirmatione, vel captura conſequi poſſit pro dirictu dictus Miles ſolidos quinque, & non vltra: Et qui contra prædicta fecerit incidat in pœnam, & etiam ipſe Miles librarum vigintiquinque, quarum medietas Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ applicata eſſe intelligatur: quarta Communi Arretij, & reliqua Accuſatori, vel ipſi Carcerato, vel refirmari facto, ſi ipſe captus Accuſaret: Et vltra prędicta ipſi Carcerato, vel refirmato teneatur ſoluere pro qualibet die, qua ſteterit in Carceribus, vel detentus pro ipſa refirmatione, ſi refirmatus fuerit Comitatinus ſolidos viginti. Et ſi fuerit Ciuis Arretinus ſolidos quadraginta. Inſuper dictus Miles teneatur omnem cauſam coram eo agitatam, & in qua Iuriſditionem habet terminare, & plenè expedire infra triginta dies à die Impoſiti reclami ſub pœna librarum decem pro medietate Communi Arretij, & pro alia Actori ſoluenda. Teneatur etiam dictus Miles omnem executionem, licentiam, vel bullettam de grauando commiſſam tàm à Iudice, quàm à Cõſulibus, & etiam Officiale Damnorum datorum, aut quocumque alio officiale Communis Arretij etiam vigore contumaciæ vel termini elapſi etiam ad calculandum in cauſis coram eo vertentibus perfectè feciſſe, & executioni Mandaſſe infra viginti dies à die ſibi præſentatę licentię, ſeu bullettæ, ſeu elapſi Termini Contumacię etiã non accuſatæ ſub pœna librarum viginti

quinque ipſo facto per eum ſoluenda: Quarum medietas Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ applicata eſſe intelligatur: Quarta Communi Arretij; & alia quarta Accuſatori. Et cum ſæpe accidat, quòd Iudex committit aliquem grauari ad petitionem alicuius, quòd veniat ad reſpondendum poſitionibus, aut diſgumberet, aut aliquid faciat in Iudicio, vel extra, dictus Miles viſa dicta licentia ſtatim debeat talem grauari facere cum effectu, prout dicta licentia, aut Apotiſſa dictat, etiam ſi nullam ſummam, vel quantitatem contineat; & de dirictu ſolum recipiat, vel exigat ſolidos quatuor, & tot pro Nunciis, & Familia. In executionibus verò Datiorum, & aliarum Impoſitarum aliquem grauari non faciat, nec grauet, niſi prius eo citato, cui comparenti duo dies præfixi intelligantur ad ſoluendum; quibus elapſis talem grauet realiter, vel perſonaliter, niſi intra illos licentiam præſentauerit: Et ſi citatus fuerit contumax realiter, vel perſonaliter illum grauet, & grauari faciat. Nullum præterea grauamen realiter, vel perſonaliter fieri poſſit, niſi vnus ex Nunciis ad ſeruiendum Domino Capitaneo deputatus interuenerit; & aliter factum ipſo Iure nullum exiſtat; & grauans, ſeu mandans etiam Miles, & quilibet alius Officialis incidat in pœnam librarum centum pro medietate Conſeruatoribus Legum, vt ſupra applicata: pro quarta Communi Arretij: & pro alia quarta ipſi grauato, ſi ipſe grauatus accuſaret; nec poſſit aliqua citatio, vel præceptum fieri alicui Famulo Domicello, ſeu Berroario; & ſi ſecus fiat, non valeat ipſo Iure, & nihilominus tam committentes, quàm faciens incidant in pœnam librarum centum applicatarum, vt ſupra. Teneatur etiam dictus Miles omnium, & ſingulorum geſtorum, ac factorum per eum, vel coram eo retinere ordinarium librum, & in eo omnia acta, & Dies, in quibus facta fuerint diſtinctè deſcribere, ipſumq; per duos dies ante exitum ſui officij pręſentare debeat Cancellario Communis Arretij, vel cui Camera Actorum credita tunc fuerit, & illum realiter dimittere in dicta Camera retinendum ſub pœna librarum centum de facto, vt ſupra applicata; & quilibet poſſit denunciare, nec poſſit dictus Miles, aut aliquis alius Officialis dicti Domini Capitanei per ſe, vel alios aliquam cõtumaciam etiam coram Milite ſecutam purgare, vel aliquid exigere, vel accipere pro ea purganda, vel pro aſſignatione alicuius Termini, vel cancellaturæ, aut ſcripturæ Fideiuſſionis, quæ pręſtaretur in Curia, aut pro examinatione Teſtium, vel qualibet alia cauſa, nec per ſe, vel per alium vocari, aut rogari, quòd aliquod Inſtrumentum conficiat, præterquam Treguæ, & Pacis; & ſi de quo apparebit rogatus non valeat ipſo Iure; ſed ſimpliciter ſtet contentus dictus Miles, vel Officialis ſuo ſalario, & denariis quatuor pro qualibet poſta, de quibus infra. Nec etiam poſſit Miles prædictus, vel aliquis Officialis, aliquem cogere ad ſe rogandum, vel rogari faciendum de aliqua pace, etiam quòd de ea nullum appareat Inſtrumentum, ſed poſſit quando ab ambabus partibus libere requiritur, & rogatur. Et quilibet contrafaciens in aliquo prædictorum ſoluat vice qualibet libras vigintiquinque, vt ſupra applicatas. Diricta verò non poſſint modo aliquo exigi, vel recipi, niſi pro quantitate ſoluta, vel debita Creditori, vel pro vera æſtimatione pignoris, & aliter ſoluens de ſuo ſoluiſſe intelligatur, nec repeti poſſit, & plus exigens, vel recipiens pro pęna ſoluat dicto Cõmuni Arretij, & pro quolibet pignore libras decẽ, & libras viginti Cõſeruatoribus Legũ Ciuitatis Florentiæ. Poſſit tamen dictus Miles, & pro ſe vltra ſuũ ſalariũ habere denarios quatuor pro qualibet poſta debitoris, de qua perſonalẽ executionem fieri fecit, aut realẽ adeo idoneã, quòd pignora capta ſint ſufficientia pro quantitate petita, & expenſis, & ex ea integra ſolutio ſequatur, & aliter accipiens dictus Miles incidat in pœnam librarum vigintiquinque pro qualibet vice, vt ſupra applicatarum.

tarum. Quos denarios quatuor conſequi debeat à debitore perſonaliter capto, vel à Depoſitario pignorum, ſi realis idonea; vt ſupra facta fuerit executio: dirictaq; ſolum capiat hoc modo vſq; in libras quadraginta, denarios ſex pro qualibet libra; à quadraginta vſque in centum denarios quatuor pro qualibet libra, à centum vſque in omnem ſummam denarios tres. Et ſi contigerit, aliquem ex eadem Apotiſſa, vel licentia iterato grauari, puta quia licentiatus gratia, vel patris alicuius ſolutione ſolum capiat medietatem ſoliti, & ordinarij dirictì ſub pœna librarum decem dictis Conſeruatoribus Legum pro vna medietate; & pro alia illi, à quo plus exegit, vel recepit ſoluenda, & de prædictis omnibus, & ſingulis tam in Ciuitate Arretij, quàm Florentiæ poſſit cognoſci maximè in ſyndicatu; & vt ſupra condemnari, & cogi. Pro debitis verò Communis Florentiæ, Arretij, Fraternitatis, Montis, & Cortynatum capiat dictus Miles ſolidum vnum pro qualibet libra, vt ſupra.

DE NOTARIIS BANCI. XXXIIII.

SOLI Notarij Banci Cauſarum Ciuilium poſſint, & debeant rogari de quibuſcumque ciuilibus cauſis, quæ quomodolibet, quomodocumque, & qualitercumq; in Ciuitate Arretij, & in Curia Domini Capitanei, & coram Conſulibus fieri, vel agitari contigerit, & ipſi ſoli apponant dies, notentq; omnia, & quæcumque acta, & geſta, tam per partes, quàm per Iuſdicentes in dicta Ciuitate, Teſtium Iuramenta, depoſitiones, & Iurium inductiones, atque ea omnia regiſtrare, ſententiasq; omnes tam interlocutorias, quam diffinitiuas, vel vim diffinitiuæ habentes, præcepta, ſequeſtraq;, & omnia alia in præmiſſis, vel aliàs quomodolibet opportuna, & neceſſaria, quæ vt ſupra, fieri, agi, aut tractari contigerit notent, & in ſcriptis redigant ipſaq; fideliter, & diligenter cuſtodiant, ſcripturas completas, & non aliter recipiant, easq; ſeruent, & nemini tradant, ipſiq; ſoli contumacias purgent, & ſuper eis Fideiuſſores recipiant, ſalaria, ac mercedes hiſce ſtatutis permiſſa ſolum percipiant, & ipſis litigantibus debitis temporibus copias exhibeant, & in præmiſſis cuncta neceſſaria, & opportuna faciant, & curent, ſtatutaq;, & reformationes inuiolabiliter obſeruent, ſciantq; ſe de omnibus rationem reddere obligatos, & pro meritis ſtipendia, vel diſpendia recepturos. Et nullus dictorum Notariorum poſſit eſſe procurator in aliqua Quæſtione ciuili coram Iudice vertente, pœna librarum quinque pro qualibet vice; pro dimidia Communi Arretij; pro alia Capitaneo exequenti ſoluenda, & de facto exigenda, & quicquid fecerit ſit ipſo Iure nullum. Si verò aliquis alius Notarius etiam in dicta Curia Officialis de prædictis, aut de Compromiſſis, ſeu Tranſactionibus ſuper litibus coram quocumque Officiali, & in Curia Domini Capitanei vertentibus, & laudis inde latis, & ſecutis ſe rogauerit, pœna librarum centum pro tribus quartis partibus Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ; pro alia quarta Accuſatori applicatarum, incurrat; & ſi in matricula Ciuitatis Arretij deſcriptus eſſet, ipſa Matricula, Arteq; Notariatus, ac officiis omnibus dictæ Ciuitatis ipſo Iure priuatus intelligatur; & nihilominus Acta, & Inſtrumenta rogata per ipſum non valeant, nec executionem aliquam mereantur. Statuentes etiam quòd Notarij Banci non poſſint recipere à Nunciis relationes aliquas citationum ſuper petitionibus ſummam decem librarum excedentibus, niſi ad ipſum Bancum ſub pœna decem librarum pro qualibet vice; pro dimidia Communi Arretij; pro alia Rectori exigenti applicanda. Et nullus Notarius, qui non fuerit in Collegio Artis Iudicum, & Notariorum dictæ Ciuitatis approbatus, & matriculatus poſſit habere, aut exercere in dicta Ciuitate aliquod

officium Notariatus, neque ad illud modo aliquo admitti pœna librarum centum, vt ſupra applicatarum; quodq; per eum geſtum fuerit non valeat.

DE NVNCIIS. XXXV.

NVNCII Communis Arretij tàm ſeruientes Curiæ Domini Capitanei, quàm etiã ad citationes, intenſinas, ac præcepta facienda, & faciendas, ac tenutas dandas, vt infra, eligi tantum debeant per Dominos Priores Populi Ciuitatis Arretij, & electio aliter facta nõ valeat; & nihilominus tàm eligens, quàm acceptans, ſeu exercens incidat in pœnam librarum centum ipſo facto ſoluendarum; pro medietate Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentię, pro quarta Communi Arretij, & pro aliâ quarta Accuſatori, & talis acceptans, ſeu exercens perpetuò ſit inhabilis ad dictum officium, nec poſſit cum eo ſuper tali inhabilitate modo aliquo diſpenſari; Qui D. P. in electione hoc modo procedant. Vt infra decem dies proximos ante introitum Domini Capitanei dictæ Ciuitatis debeant eligere vſque in ſex Nuncios, & etiam quoſcumque alios vltra deputatos prędictos, quando, & prout eis videbitur, & placebit. Qui quidem Nuncij debeant eorum officium in omnibus, & per omnia, & prout hiſce ſtatutis diſponitur legaliter exercere, & electi pro curia Domini Capitanei, & pro ſuo tẽpore tantùm. Quorum deputatorum officium incipiat Die prima Introitus dicti Domini Capitanei, & vltra dictos ordinatos aliorum Nunciorum officiũ incipiat Die eorum electionis. Si verò euenerit, quòd aliquis ex dictis Nũciis, vt præmittitur, electus moreretur, aut remoueretur, aut renunciaret, debeant dicti D. P. alium Nuncium loco talis mortui, remoti, vel renunciantis eligere infra octo Dies à Die Mortis, aut remotionis, vel renunciationis, & talis, vt ſupra, loco ſubrogare, ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet eorum prædicta non obſeruantium applicatarum, vt ſupra proximè. Qui Nuncij ad petitionem cuiuſlibet, etiam nulla Iudicis commiſſione pręcedente, & qualibet die etiam feriata in Honorem Dei poſſint, ac debeant citare quaſcumque perſonas citari non prohibitas, intenſinas, ac pręcepta, & tenutas dare, & omnia alia, quę per præſentia ſtatuta fieri conceduntur, ipſaſq;, & ipſa referre D. Iudici, vel Notario, coram quo cauſa fuerit, & an perſonaliter, vel domi, ac cędulam dimittere in ſcriptis, & an nomine proprio, an hæreditario, & ad cuius inſtantiam, & quo nomine, & ad quem actum, aliàs prædicta non obſeruans, incidat in pœnam pro qualibet vice librarum quinque applicatarum Prouiſori Palatij D. P. & conuertendarum in Maſſeritiis eiuſdem Palatij, & de facto ad declarationem dictorum D. P. & quilibet Actus aliter factus ſit ipſo Iure nullus: & Nuncius requiſitus ad aliquod prædictorum illud, quod, vt ſupra non fecerit, incidat in pœnam ſolidorum decem ipſo Iure ſoluẽdorum ꝑ pro medietate dicto Prouiſori, & vt ſupra conuertendorum, & pro alia medietate illi, qui tale quid fieri requiſiuerit, & ei reficere damna, & intereſſe ad declarationem dictorum D. P. Nec poſſit aliquis Nuncius, aut quoquo modo præſumat, aliquid alicui alteri prędictorum fieri committere, ſed teneatur ipſe perſonaliter ire, facere, & adimplere, & contrafaciens ipſo facto incidat in pœnam librarum viginti quinque, pro medietate Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ applicatarum: pro alia quarta Communi Arretij: pro alia verò Accuſatori, vel illi, à quo requiſitus fuerit, & ad eius damna, & intereſſe, & expenſas teneatur, & Actus aliter factus ipſo Iure non valeat: nec aliquis Nuncius poſſit aliquem in domo, vel Apotheca ſua, vel per eum conducta pro aliquo debito ciuili capere præterquam ad petitionem fideiuſſoris, vel Domini pro penſione tantum domus, vel Apothecæ conductę; nec poſſit intrare, vel intra-

ri facere Cameram alicuius pro aliquo reali, vel perſonali grauamine faciendo ſub pœna librarum centum: pro medietate Conſeruatoribus.ll.Ciuitatis Florentię applicatarum: pro quarta Cōmuni Arretij: pro alia vero quarta Accuſatori, etiam ſi eſſet, contra quem grauamen feciſſet, & de omnibus, & ſingulis commiſſis, omiſſis, aut neglectis pręfati D. P. Iuriſdictionem habeant, & plenam auctoritatem cognoſcendi, & quemlibet culpabilem condemnandi durante officio talis Nuncij, & etiam finito officio, vt ſupra: Et debeant nihilominus, & poſſint per Syndicos D. Capitanei Syndicari, ubi per D.P. cognitum non fuerit; Et dictorum Nunciorum Syndicatus fiat per octo dies continuos abſoluto Syndicatu D. Capitanei, vel tempore ſui Syndicatus elapſo, & dicti Syndici debeant dicere in Bannimentis per eos committendis, quòd Cauſas Nunciorum prædictorum, & quærelas audiēt, & cognoſcent per octo dies, vt ſupra ſequentes, Cauſaſq; dictorum Nunciorum, & quęrelas diligenter examinare, & ſecundum Ius, & Iuſtitiam iudicare clarè abſoluendo, vel condemnando, & debeat eſſe rogatus Notarius Syndicorum, qui pro ſuo rogitu habeat à dictis Nuncijs ſolidos quadraginta. Pręterea Nuncij ad citationes electi pro eorum mercede non poſſint accipere in Ciuitate Arretij pro vna cædula pro maleficiis niſi ſolidum vnum: pro qualibet citatione in eadem Ciuitate denarios octo: pro citatione verò ſeu cædula facta extra Ciuitatem ſi locus, vbi debet fieri citatio diſtat, pro vno miliare ſolidos duos, & infra miliare ſolidum vnum, & denarios quatuor: Et ſi locus diſtat vltra vnum Miliare, accipiat pro quolibet miliare ſolidum vnum: pro Tenutę datione in Ciuitate Arretij ſolidos duos: In Camparijs ſolidos quatuor: In Cortynis ſolidos octo; Si locus Tenutę infra quatuor miliaria à Ciuitate Arretij diſtauerit: vltra verò ſolidos quatuordecim. Nuncij verò electi pro Curia Domini Capitanei, ac ſeruientes Militi pro executionibus teneantur, & debeant fideliter citationes facere in perſonam, aut ad domum, ita quòd ad citati notitiam perueniant, ipſaſq; Militi referre infra terminum ad comparēdum aſſignatum, & omnium per ipſos citatorum dimittere cædulam Syndico illius Communis, in quo factæ ſint citationes, vel ſaltem domi ipſius, in qua cædula appareant diſtinctè ſcripta Nomina citatorum, & ad quorum Inſtantiam in perſonam ne, aut domi: Habeantque dicti Nuncij pro citationibus prędictis, ſi citatio facienda eſt in Ciuitate Arretij, Denarios octo pro qualibet citatione. In Camparijs ſolidum vnum; Vltra verò denarios ſex pro quolibet Miliare. Et quando eadem die in eodem Communi, vel alibi intra vnum miliare, fecerit plures citationes, aut cædulæ dantur, habeant pro omnibus, quòd pro diſtantia vt ſupra dictum aut taxatum fuit, & vltra pro quolibet citato, vel requiſito denarios octo. Pro grauamētis perſonalibus habeant pro omni ſumma vſque in libras quinque, ſolidos duos, à quinque in vigintiquinque ſolidos tres, à vigintiquinque vſque in omnem ſummam ſolidos quatuor, & totidem Famuli recipiant: In realibus vero pro quolibet grauamento facto etiam ad Inſtantiam plurium perſonarum habeant Nuncij ſolidos duos; Famuli verò ſolidum vnum, dummodo pignora capta ſint ſufficiētia pro ſorte, & expenſis. Pro grauamentis alicui factis in Beſtiis minutis, etiam ſi eſſet grauamentum ad Inſtantiam plurium perſonarum ſolidum vnum tantum pro qualibet Beſtia minuta vſque ad numerum decem Beſtiarum: Vltra verò dictum numerum denarios octo pro qualibet. Pro Beſtiis verò groſſis ſolidos tres pro qualibet Beſtia, & nihil vltra tàm Nunciis, quàm Famulis liceat recipere pro grauamentis prædictis aliquo modo directè, vel indirectè. Quæ omnia ſeruare debeant ſub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice; pro medietate Conſeruatoribus.ll.Ciuitatis Florentiæ; pro alia verò Accuſanti applicata. Debeant etiam omnes Nuncij, vt ſupra electi antequam exercere incipiant in manibus Cancellarij Cōmunis Arretij, & in præſentia D.P. infra

biduum

biduùm à die notificationis factæ per vnum ex Famulis dictorum D.P.electionem eorum acceptaſſe, & ad Sancta Dei Euangelia ſcripturis corporaliter manu tactis promittere eorum officium benè, fideliter, legaliter, & ſine aliqua fraude, vel malitia exercere, ſtatutaq; obſeruare, & quilibet eorum vnum, vel plures Fideiuſſores præſtare per D. P. approbandos, & ipſi Fideiuſſores, & quilibet eorum aſtringi non poſſit niſi in quantitate librarum decem. Non poſſint etiam dicti Nuncij modo aliquo pro vno, & eodem debito aliquem grauare realiter, niſi accipiendo pignora pro ſorte, & quantitate petita, ac pro expenſis ſufficientia: Et Maſſarius Vnus, vel plures, vel eorum Camerarius, vel prouiſor inſufficientia recipientes teneantur creditoribus, pro quibus conſignata apparebunt vſque in eorum creditum ſupplere; & omnia grauamenta per eos facta ſaltem infra tres dies conſignare debeant in manibus Maſſariorum, vel Camerarij, vel prouiſoris, illaque non poſſint portare, vel retinere in aliqua alia domo etiam D.Capitanei, nec alteri obſeruando conſignare; nec poſſint ad plures poſtas, & creditores poni facere, niſi quatenus pro creditis, & expenſis fuerint ſufficientia, & vbi ſunt plures creditores, & poſtæ poni faciãt, & ponantur ad poſtas creditorum, qui primò poſuerunt reclamum, aut licentiam de grauando præſentauerint. Non poſſint etiam dicti Nuncij accipere Ferramenta apta ad laborandum cum Bobus, nec Boues aratorios. Cęteras verò res, & bona mobilia, & ſemouentia accipere valeant, & teneantur dimittere Apotiſſam de dictis pignoribus, & quæ ſint, & pro quanta quantitate, & ad cuius Inſtantiam acceperint, & illa dimittere domi dicti grauati, ſeu proximiori Conuicino, ita quòd benè ſciatur, & ſciri poſſit Nuncius pignorans, & pro quanto, & ad cuius Inſtantiam: & ſi pignora perderentur talis Nuncius integraliter teneatur emendare Iuramento pignorati, niſi de conſignatione dicti pignoris appareat in libro Maſſariorum, vel eorum Camerarij, & ita referre dictis Maſſariis, vel Prouiſori ſub pœna pro qualibet vice, & pro quolibet contrafaciente librarum vigintiquinque pro medietate ſoluendarum Conſeruatoribus.ll.& pro vna quarta Communi Arretij, pro alia verò Accuſatori, vel ipſi grauato; Et quilibet Nuncius miſſus, vel requiſitus cum cædula commiſſionis grauandi aliquem capere, ſeu pignorare; ſi ire, aut capere, aut pignorare recuſauerit, aut ſi ſine licentia creditoris, aut committentis relaxauerit pro qualibet vice in pœnam ſolidorum quadraginta, & ad damna & intereſſe talis Creditoris teneatur. Inſuper dicti Nuncij teneantur omnes citationes ac præcepta, quas, & quę fecerint, tàm in Ciuitate Arretij, quàm in Cortynis, & Capitaneatu fideliter, & ſine mora referre Notariis, quibus debent, ſeu ad quos ſpectat illas ſcribere ſaltem die, pro qua citauerint aut mandauerint, & Nota cauſarum, vel Actus faciendi. Intenſinas verò, ac tenutarum dationes vbilibet factas, & intenſinas infra tertiam diem à die Intenſinę, & dationis tenutę in ſcriptis referre ſub pœna ſolidorum decem pro qualibet vice Communi Arretij ſoluendorum, damnum que, & intereſſe reficiat ei, à quo vt ſupra requiſitus fuerit. Sint etiam dicti Nuncij immunes ab omnibus cuſtodiis, & Factionibus perſonalibus, & exempti, & immunes intelligantur. Omnes autem Nuncij ſupradicti caſſationi D.P. ſubiaceant, nec caſſus ad dictum officium per biennium reconduci poſſit ſub pœna librarum vigintiquinque cuilibet D.P. pro qua per Syndicum in libro ſpeculi deſcribi debeat; & nihilominus citationes & geſta per ipſum non valeant vllo modo; & teneantur Nuncij ſeruientes Curiæ D. Capitanei, & pro executionibus, vt ſupra quolibet Anno in Feſtiuitate Sancti Donati date Syndico Communis pro palatio Vnciam vnam Argenti laborati; pro quo in eorum electione idoneum teneantur præſtare Fideiuſſorem.

DE

DE SALARIIS INSTRVMENTORVM ET MERCEDE DOMINI IVDICIS. XXXVI.

SI QVIS Notarius Arretinus, & in matricula Arretina de ſcriptus deinceps erit rogatus de aliquo contractu emptionis, & venditionis, permutationis, Donationis, Dotis, Mandati, ſeu alicuius cuiuſcumque Inſtrumenti non excedentis ſummam florenorum centum debeat, ac ſibi liceat percipere in Ciuitate Arretij pro ſuo ſalario,& mercede ſolidos quinque tantum,& ab inde ſupra groſſum vnũ argenteum à qualibet parte ſub pœna priuationis officij Notariatus per vnum Annum omni exceptione remota;non tamen in prędictis intelligendo Mandata, & Compromiſſa,de quibus Notarius Banci eſſet rogatus ad Bancum Iuris;de quibus Notarius prędictus tunc recipere debeat pro quolibet mandato ſolidos duos,& pro quolibet Compromiſſo à qualibet parte ſolidos duos, & pro qualibet fide facienda de Mandato, & Compromiſſo ſolidos duos.Si vero quis Notarius Arretinus,vt ſupra,de cætero Inſtrumenta rogauerit extra Ciuitatem Arretij in quocumque loco Inſtrumenta rogauerit, habeat,& percipere debeat vltra ſalarium Rogitus groſſum vnum pro quolibet miliare: Et quilibet Notarius teneatur dare petentibus copiam Inſtrumentorum, quorum fuerit rogatus, & pro ſimplici copia Inſtrumenti non excedentis ſummam florenorum quinquaginta cõſequi poſſit groſſos duos à quinquaginta in cẽtumquinquaginta groſſos tres, & ab inde ſupra vſque in omnem ſummam groſſos quatuor ſub pœna librarum vigintiquinque:pro Tertia D.Capitaneo:pro Alia Communi Arretij:pro Alia verò Accuſanti applicanda.Qui verò compleuerit, & reddiderit in publicam formam,& extenſam,ac in membranis aliquod Inſtrumentum à ſe rogatum quantitatis, aut valoris florenorum quinquaginta,& ab inde infra groſſos ſex conſequi poſſit, & à florenis quinquaginta vſque in centum quinquaginta groſſos duodecim, à Florenis centum quinquaginta vſque in quingentos florenos duos Communis Arretij, à florenis quingentis vſque in mille florenos tres, à mille ſupra, vſque in omnem ſummam florenos quatuor ſimiles & non vltra ſub pœna prædicta vt ſupra applicanda.Item quòd quilibet Notarius rogatus de aliquo Teſtamento, aut qualibet alia vltima voluntate in Ciuitate Arretij cõtinente ſummam florenorum quingentorũ,& ab inde infra conſequi poſſit pro rogitu groſſos quatuor, à quingentis in mille groſſos ſex, à mille vſque in omnem ſummam groſſos decem.Extra verò Ciuitatem groſſum vnum vltra quod prędictum eſt pro quolibet miliare. Pro ſimplici verò copia duplum eius, quod ſupra dictum eſt pro rogitu. Pro copia in publicam formam reddita, & in membranis Teſtamenti, aut vltimæ alicuius voluntatis continentis ſummam florenorum centum, & ab inde infra florenum vnum,à centum in quingentos florenos duos, à quingentis in mille florenos tres,à mille in duo milia florenos quatuor, à dicta ſumma in omnem ſummam florenos quinque,& non vltra.Hoc declarato,quòd tempore peſtis liceat cuilibet Notario pro rogitu recipere duplum illius, quòd dictum eſt. Pro copia verò in publicam formam tertiam partem vltra intelligendo,quòd fiat computum, & æſtimatio bonorum,quę poſſidet Teſtator tempore mortis ſuæ. Teneanturq; Notarij omnes Arretini in omnibus Teſtamentis per eos rogandis ponere, ac deſcribere legatum fieri conſuetum, & ordinatum operæ Epiſcopatus Arretij, & infra quadraginta dies notificare legata facta,& ſub qua die Prouiſori dictæ Operæ. Quæ omnia ſeruare teneantur ſub pœna prędicta.Et vlterius quilibet huic diſpoſitioni contrafaciens Arte Notariatus per trienniuum ipſo Iure, & abſque aliqua declaratione facienda priuatus intelligatur,& ſit.

Item

Item quòd quilibet Officialis Reſcontri Doganæ habeat, & recipere debeat infraſcripta ſalaria infraſcriptis de cauſis, v3, Pro qualibet condemnatione vſque in viginti ſolidos ſolidum vnum, & à ſolidis viginti vſque in libras quinque, & ab inde infra ſolidos duos, à libris decem ſupra denarios ſex pro qualibet libra. Pro Coctumis vero habere debeat Notarius prędictus denarios octo pro qualibet libra prætérquàm in illis de Plebe Sancti Stephani, qui pro eorum Coctumis ſoluant groſſos ſex dumtaxat pro régiſtratura, & pro parrita cuiuslibet conrractus recipere debeat ſolidos duos, & denarios quatuor. Quilibet Notarius Banci poſſit, & ſibi liceat percipere infraſcripta ſalaria infraſcriptis de cauſis, v3. In primis pro qualibet catta copiarum, & Actorum tempore ſui officij, & ipſo finito ſolidos duos, vt hactenus conſueuit, dummodo in qualibet facie ſint vigintiduo verſus, & numerus literarum trigintaquinque pro quolibet verſu. Item pro quolibet Iuramento ſuſpectus ſolidos tres. Item pro reuocatione dicti Iuramenti ſuſpectus, & cuiuslibet contumaciæ ſolidos tres. Item pro Bulletta de grauando tàm confeſſos, quàm Contumaces ſolidum vnum, & denarios quatuor. Item pro qualibet Apotiſſa cuiuslibet ſetitentię, Pronunciationis, ſeu executionis ſolidos quinque. Item pro qualibet tenuta primi decreti dati in publicam formam de omni ſumma, & quantitate groſſos tres ſaluis prędictis: De ſecundo decreto in publicam formam dato, & ſimiliter de quibuſcumque ſententiis diffinitiuis percipere poſſit medietatem dictarum ſummarum aliorum Inſtrumentorum, vt ſupra deſcriprotum, De Bannimentis, & citationibus ad columnam plateæ ſolidos quinque, & ſimiliter de præcepris iuſtificatis de diſgumbrando. In aliis verò præceptis iuſtificatis recipere debeat ſolidos tres pro quolibet præcepto. Item pro examinatione Teſtium groſſum vnum pro quolibet Teſte prout hactenus conſueuit. Item pro productione libelli ſolidos duos. Item pro qualibet productione exceptionis, replicationis, duplicationis ſolidum vnum; & ſimiliter pro qualibet productione poſitionum, & earum reſponſione ſolidos duos. Item pro qualibet productione, & Iuramento Teſtium ſolidum vnum. Item pro prolatione ſententiæ diffinitiuę, ſeu executiuæ commiſſionis ſolidos quatuor. Item pro productione, & regiſtratura cuiuslibet reſcripti; & literarum ſolidos quatuor. Item pro quolibet ſequeſtro ſolidos duos, & ſolidos duos pro eius reuocatione. Item quòd confeſſiones, & contumaciæ ſint de capſula, & ſoluantur more ſolito denarij octo pro quolibet confitente, & qualibet contumacia. Pro notificatione Conſulum ſolidos quatuor. Item pro petitione facienda coram Conſulibus ſolidos tres, & quolibet alio actu coram eis ſolidum vnum pro qualibet parte. Pro prolatione cuiuslibet ſententiæ Conſulum ſolidos tres. Pro ſententiis Conſulum in publicam formam dandis à libris vigintiquinque infra groſſos duos, à libris vigintiquinque vſque in centum groſſos quatuor, & à libris centum ſupra groſſos quatuordecim. Item ſaluis præmiſſis percipi poſſit idē de laudis, prout de Sentētiis diffinitiuis. Item percipi poſſint de quolibet compromiſſo in publicam formā groſſi duo, & idem percipi poſſit de Mandato. Item percipi poſſint pro rogitu cuiuſcumque tutelæ ſiue cuiuſcumque Curæ cum Inuētario groſſi quatuor, & ſimiliter pro Tutela, & Cura data ad vnum Actum groſſus vnus. Item pro Inſtrumento Tutelæ datæ in publicam formam abſque Inuentario groſſi quatuor, cum Inuentario florenus vnus. Item pro locatione idem, quòd de Mandatis. Pro emancipatione in publicam formam groſſi quatuor. Item ſaluis pręmiſſis rebus, ac capitulis ſupra declaratis ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd ſi eſſet inter aliquos aliqua controuerſia de ſalario, & mercede Aduocatorum, & Procuratorum, & aliorum omnium, de quibus ſupra non eſſet facta mentio, recurri debeat ad declarationem D. Capitanei, & eius Iudicis, qui conſiderare, cognoſcere, & diffinire poſſint cauſam, quæſtionem, & differentiam,

vt ſupra

vt ſupra, inter aliquos vertentes; & quòd eorum declarationi ſtetur, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Et omnia, & ſingula, vt ſupra, ſcripta, & narrata tàm de ſalariis, quàm de declarandis, vt ſupra, exequi poſſint, & debeant per quemcumque Officialem Communis Florentiæ de facto ſolum viſis tam dictis declarationibus, quàm quibuſcumque aliis prædictis in prædictis omnibus, & ſingulis. Præterea noluerunt, quòd Notarij Banci Cauſarum Ciuilium Communis Arretij poſſint, ac valeant palam, vel occulte inter ſe facere ſocietatem, vel conuentionem, aut pacta occaſione eorum officij, nec lucra exinde prouenientia, aut acta communicare ad inuicem; ſed quilibet de per ſe ſeparatè exercere debeat ſuum officium, vt Homines meliora ſeruitia ex illis percipiant, & vt magis ſolliciti reddantur ipſi Notarij ſub pœna florenorum viginti quinque applicandorum Conſeruatoribus legum Ciuitatis Florentiæ. Præterea cupientes modum imponere mercedibus Iudicis D. Capitanei, vt ſit merces congrua labori ſtatuerũt, quòd Iudex D. Capitanei, quoties ad aliquem locum differentiæ cõtingat accedere, habeat, & conſequi poſſit pro viatico in Ciuitate Arretij, & in quocumque loco dictæ Ciuitatis groſſos ſex. Extra verò Ciuitatem, ſi locus diſtat per quatuor Milliaria ab inde infra, florenum vnum; vltra vero libras ſeptem, & nihil vltra. Pro Interpoſitione decreti ad Bãcum, & in Curia groſſum vnum, extra verò groſſos quatuor, & non vltra.

QVOD DANTES ALIQVID OFFICIALIBVS IN SYNDICATV POSSINT REPETERE SINE POENA. XXXVII.

SI QVIS dederit aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliquid aliud Notariis Palatij, vel alteri eorum, ſeu alicui de ipſorum Familia, vel alteri perſonæ pro eis, vel alij Officiali, vel Familiæ Communis Arretij occaſione corruptionis, vel de alia illicita cauſa, & illud datum denunciauerit tempore Syndicatus, non poſſit ex dicta corruptione puniri, & ſibi liceat ſine pœna repetere à tali Officiale, & Familia, id quòd ſibi dederit non obſtante capitulo proximè præcedenti, vel alio ſtatuto, vel lege.

QVOD HABENTES SALARIVM A COMMVNE NON POSSINT ALIVD PERCIPERE RATIONE SVI OFFICII: XXXVIII.

ITEM ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd nullus Officialis forenſis, nec Ciuis habens ſalarium ordinatum pro Commune, nec etiam Berroarij, nec aliquis Officialis, vel Familiares ipſorum Officialium poſſint, vel eis liceat aliquid percipere, vel habere ratione ſui Officij, niſi dictum ſuum ſalarium, & omne id quòd per ſtatuta Ciuitatis, vel Reformationes eiuſdem diſponitur, vel habere partem aliquam cuiuſcumque condemnationis, vel alicuius Hominis captiui per eum, vel miſſi in carcerem, vel occaſione alicuius pignorationis, vel cuſtodiæ, quam facerent de aliquo aliqua ratione, vel cauſa ſub pœna centum ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice contrafacienti, & quòd reſtituat, quicquid exegerit in duplum ei, à quo abſtulerit, & in prædictis per Syndicatores eorum Officij debeant Syndicari, & contra eos per Iudicem Maleficiorum procedi poſſit, ſaluo quòd Berroariis pro capiendis hominibus pro debito ſpecialium perſonarum, & eis cuſtodiendis in Palatio liceat accipere, & habere, ſecundum quòd eis permittitur ſecundum formam ſtatuti Arretini, ſeu ſtylum Curiæ:

DE PROHIBITA SVBSTITVTIONE OFFICIORVM. XXXVIIII.

QVICVMQVE in Ciuitate Arretij ad aliquod Officiũ extraheretur, eligeretur, aut quomodolibet deputaretur, ipſe dictum Officium exerceat, quoniam ipſius induſtria electa eſt, nec in eo modo aliquo, neq; ex quacumque cauſa aliquem ſubſtituere, ponere, aut retinere valeat, niſi ſubſtitutio ipſa per Conſiliũ Generale cõprobetur. Qui verò aliquem ſubſtituerit, poſuerit, aut retinuerit etiã ſub nomine Coadiutoris, niſi ipſe etiã perſonaliter aſtiterit, & officium exercuerit; officium prædictum amittat, & pœnã librarum ducentarũ incurrat; cuius pœnæ medietas ſit Cõmunis Arretij; quarta D. Capitanei facientis executionẽ; & alia quarta accuſatoris & ſimiliter pœnam eamdem incurrat quicumque Officium aliquod exerceret, ad quòd non eſſet extractus, electus, aut deputatus, vel per Conſilium prædictum eius ſubſtitutio approbata & D. P. poſtquam eis id legitime conſtiterit, alium eius loco extrahant, eligant, & deputent, vel eligi, & deputari curent, vel per Conſilium, vel per quos electio, & deputatio facienda eſſet. Statuentes etiam, quod Rectores Fraternitatis in Fraternitate; Conſeruatores Montis in Monte; Magiſtri Doganæ in Dogana non permittant aliquem ſuum Officium per ſubſtitutum exercere: permittentes verò eamdem, vt ſupra, pœnam incurrant. Prædicta tamen locum non habeant in Infirmis, vel ex aliqua iuſta cauſa impeditis; Si infirmitas, vel impedimentum, poſt acceptationem ipſius Officij, & poſtquam illud exercere inceperint, ſuperuenerit, dummodo Infirmitas, vel Impedimentũ per D. P. & Collegas approbetur: & per quindecim Dies, & non vltra eidem licentia ſubſtituendi concedatur.

DE FIDEIVSSORIBVS IN OFFICIIS PRAESTANDIS, ET FILIIS FAMILIAS OFFICIA ACCEPTANTIBVS. XXXX.

IN omnibus officiis, in quibus ad ea extracti, vel electi, aut exercentes Fideiuſſores præſtare tenentur, ipſos idoneos præſtare debeant, & qui ſaltem bona in ſolidis ſeptem allybrata, & in Cataſtis Communis Arretij deſcripta poſſideant. Et D. P. in approbatione ipſorum Fideiuſſorum prędicta inquirere, & inueſtigare teneantur, nec aliter, aut alio modo ipſos Fideiuſſores approbare, aut acceptare debeant, aut poſſint ſub pœna librarum centum pro quolibet dictorum D. P. & vlterius eorum quilibet in ſolidum Fideiuſſor illius eſſe intelligatur, & damna omnia Communi Arretij, Fraternitati Monti, vel Doganæ reficere teneatur. Camerarius verò Doganæ teneatur præſtare fideiuſſores, qui ad minus bona in ſolidis decem Communi Arretij allybrata, & ſub eorum nomine in Cataſtis deſcripta poſſideant, nec aliter, aut alio modo per D. P. approbari, aut acceptari poſſint ſub pœna de qua ſupra. Et quicumque Filiusfamilias etiam minor vigintiquinque Annis in poteſtate patris exiſtens ad aliquod officium extraheretur, vel eligeretur, cui exercenti ſalarium aliquod præſtari deberet, non poſſit d. officium acceptare, aut exercere, niſi in dicta acceptatione pater ipſius eidem licentiam, & conſenſum præſtiterit: Et tunc dictus eius pater intelligatur eſſe, & ſit obligatus, ac ſi ipſe officium prædictum acceptaret, aut exerceret, nec aliter ad aliquod officium admitti, aut recipi poſſit, nec aliquod officium exercere ſub pœna librarum quingentarum applicatarũ pro dimidia Cõmuni Aretij: pro reliqua D. Capitaneo executionem facienti.

QVOD NON SVPPORTANS ONERA NON POSSIT HABERE OFFICIA. XXXXI.

NVLLVS Ciuis Arretinus, aut alius Arretinus Ciuitatis habitator non ſubſtinens ordinaria onera, nec ſoluens grauedines, Datia, & Collectas in dicta Ciuitate poſſit, aut valeat ad aliquod officium dictę Ciuitatis eligi, deputari, aut imburſari, & imburſatus, & extractus illud exercere, ſed ſtatim extractus per Cancellariũ laniari debeat ſub pœna librarum centum pro qualibet vice; Nec poſſit talis non ſubſtinens onera gaudere priuilegiis, & Immunitatibus dictę Ciuitatis, aut Capitulorũ, & ſtatutorũ ipſius, & maximè ſtatuti, quòd eorum libris fides habeatur, & quòd librorũ cauſę ad Cõſules deuoluantur nõ obſtantibus quibuſcumq; in contrariũ diſponẽtibus.

QVOD NON HABITANTES IN CIVITATE ARRETII PER XII. ANNOS NON POSSINT HABERE OFFICIA. XXXXII.

QVONIAM inconueniens eſſe conſiderauerunt, & iniuſtum, quòd quj per longum tempus familiariter non habitauerit in Ciuitate Arretij, nec ibidem onera ſoluerit, gaudeat illis beneficiis, officiis, & immunitatibus, quibus gaudent oriundi, vel habentes originẽ ex dicta Ciuitate Arretij. Ideo ſtatuerunt, prouiderunt, & ordinauerunt, quòd quicumque cuiuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat, qui non habitauerit familiariter in Ciuitate Arretij per annos duodecim, & in dicta Ciuitate dicto tempore continuò etiam non ſoluiſſet onera, & grauedines, neque fuerit Ciuis per totum dictum tempus, non poſſit, aut debeat acceptare, aut exercere aliquod genus officij in Ciuitate Arretij, ad quod extractus fuerit, ſeu electus, aut deputatus, neque ſub aliquo quæſito colore ſub pęna librarum quingentarum, in quam de facto intelligatur, & ſit incurſus abſq; alia ſolemnitate, aut actu. Et Cãcellarius teneatur ſub dicta pęna talem ſic extractũ laniare; & alius eius loco extrahatur. Quæ pœna librarum quingentarum intelligatur eſſe, & ſit de facto applicata pro tertia parte Cõmuni Arretij; & tertia pars ſit D. Capitanei illam exigentis; & alia tertia pars Accuſatoris.

DE DESCRIPTIS IN LIBRO SPECVLI. XXXXIII.

NE QVIS debitor Communis Arretij negligens eiſdem ſatisfacere eiuſdem potiatur officiis, ſtatuerũt, quòd quicumq; deſcriptus in libro Speculi Communis Arretij debitor alicuius quantitatis pecuniarum ex quacũque cauſa, quæ quantitas ſummã librarum quinque excederet, ad aliquod officium ipſius Ciuitatis extraheretur, quod tunc Cãcellarius Communis, & ſeu Notarius Palatij, ſi de deſcriptione huiuſmodi à Syndico, & officiali Speculi notitiam habuerit, ipſum ſic extractũ laniare debeat ſub pœna librarũ vigintiquinque applicata pro dimidia Cõmuni Arretij; pro alia verò dimidia D. Capitaneo executionẽ facienti, & ſub eadẽ pœna Cãcellarius Fraternitatis teneatur, & debeat laniare omnẽ, & quemcũque, qui extraheretur ex Rectoribus, & miniſtris ipſius Fraternitatis, aut ex Cõſeruatoribus, & Miniſtris Mõtis in d. libro Speculi pro sũma prædicta libr. quinque deſcriptũ. & ſtatim D. P. in locũ talis ſic laniati aliũ extrahere debeant ſub pœna librarũ decẽ pro quolibet, & vt ſupra proximè applicata. Et ſimiliter laniari debeat Filius, quando Pater eſſet deſcriptus pro dicta ſumma, & hę

res, vel Fideiuſſor alicuius pro dicta ſumma in dicto libro Speculi deſcripti. Declarantes inſuper, ac ſtatuentes, quod nullus in dicto libro, & pro dicta ſumma deſcriptus poſſit eligi, aut aliquo modo deputari ad aliquod officium vtile, ex quo ſalarium, aut emolumentum aliquod ad eum peruenire poſſet, & tàm Communis, quàm Fraternitatis, Montis, & Doganę, aut aliquorum aliorum locorum. Si quis verò contra præſentis ſtatuti formam officium aliquod acceptauerit, ſeu exercuerit, pœnam librarum ducentarum incurrat, vt ſupra proximè applicatam, ipſoq; iure ab officio ipſo priuatus eſſe intelligatur: Prædicta tamen locum nõ habeant in extractione D.P. Collegarum, & Conſilij; qui etiam pro quacumque ſumma deſcripti fuerint, laniari non debeant. Cæterum nullus in dicto libro Speculi aliquo modo, vel pro aliqua quantitate deſcriptus poſſit ex eo cancellari, aut aboleri, niſi quantitatem, pro qua deſcriptus eſt debitor, integraliter, & cum effectu ſoluat. Et conſtito legitimè ipſi Syndico de integra, & effectuali ſolutione totius quantitatis, aut quatenus per Generale Conſilium, & tres partes ipſius non legitimè deſcriptus declaratus fuerit, & de dicta deſcriptione per dictum Conſilium modo prædicto abſolutus, & non aliter, aut alio modo. Si verò dictus Officialis aliquem contra præſentis ſtatuti formam aboleuerit, pœnam librarum centum incurrat, & ab officio remotus eſſe intelligatur; & nihilominus talis cancellatio pro nulla habeatur; & cancellatus iterum deſcribi debeat in dicto libro, & tamen repertus cancellatus pro deſcripto ſemper habeatur. Teneantur Officiales omnes, Camerarij, Prouiſores, & Miniſtri Communis, Doganę, Fraternitatis, Montis, Hoſpitalis Pontis, Sancti Lazzari, omniumq; operariorum, & locorum Communis ſaltem ſemel in anno, & ante diem decimam Decembris, niſi eorum aliqui vigore ordinamentorum aliter obligati eſſent, dare cũctos debitores à libris quinque ſupra ipſi Officiali: Inſuper ad omnem eius requiſitionem ipſos debitores, libros, & ſcripturas oſtendere, ad quos videndos, & diligenter perquirendos ire teneatur per decẽ dies ante extractionem quorumcumque officiorum; omneſque, & ſingulos debitores à libris quinque ſupra teneatur, & debeat deſcribere in libro Speculi, notando cuius loci, & quantæ ſummæ ſint debitores: in quo libro, & ad quot cartas, & per triduum ſaltẽ ante quamlibet extractionem ipſis ſic deſcriptis notificari facere per vnum ex Famulis Palatij, dictaſq; notificationes diligenter notare, & ſcribere, ſufficiatq; ſemel pro vna cauſa notificare, quòd ſi dictus officialis prędicta non ſeruauerit, incidat in pœnam librarum quinquaginta, & officium amittat, eamdemque pœnam incurrant dicti officiales, ſi dicto tempore, vel quandocumque requiſiti à dicto officiali non tradiderint debitores, & libros non oſtenderint. Deſcribere inſuper teneatur ipſe officialis in dicto libro omnes, & ſingulos, qui ex forma ſtatutorum, reformationum, & ordinamentorum dictæ Ciuitatis forent deſcribendi, & prout in eis diſpoſitum eſt ſub pœnis in eis deſcriptis, & vbi non eſſet appoſita pœna ipſi officiali, ſub pœna ſupradicta intelligatur.

DE BONIS ALLIBRANDIS. XXXXIIII.

OMNIA, & ſingula bona, quę aliquo Titulo inter viuos, aut vltima voluntate acquiruntur per ſupportantes onera, & grauedines in Ciuitate Arretij, intelligãtur immediate eſſe, ac ſint accataſtata, & allybrata Communi Arretij, ipſiſq; obligata, & obnoxia ſoluere, & ad ſoluẽdum Datia, grauedines, & onera realia; & pro dictis Datijs ipſi Cõmuni cẽſuaria; Ipſorũq; bonorũ Domini, & Poſſeſſores, ad quos ipſa bona quomodolibet, vt ſupra peruenerint, teneãtur, & debeãt infra Mẽſẽ à die acquiſitionis huiuſmodi facere, ac porrigere petitionẽ D.P. & Collegis, quòd dicta bona in Cataſtis

Com-

Communis Arretij, & ſub nomine illius ponant, ac deſcribant, ac ponere, ac deſcribere faciant. Et ſimiliter, qui in dicta Ciuitate aliquã artem, ſeu trafficũ exercuerit, teneatur, & debeat notificare D.P. & Collegis infra Mẽſem, vt ſupra à die, qua talem Artem, ſeu trafficũ exercere inceperit, & petere trafficum huiuſmodi in Cataſtis Cõmunis Arretij, & ſub nomine exercentis, & ſociorũ deſcribi; & factis dictis notificationibus, & petitionibus dicti D.P. & Collegæ teneantur, & debeant infra quindecim dies dicta bona, & traffica deſcribere, & deſcribi facere in Cataſtis Communis Arretij ſub nomine illius Domini, & Poſſeſſoris, vel Artem, & Trafficum exercentis & ſociorum ſingula ſingulis congruè referendo, ipſaq; bona, & traffica allybrare in denariis duodecim pro quolibet centinario florenorum facta legitima. & congrua æſtimatione ipſorum. Si verò dicti Domini, & Poſſeſſores bonorum, vt ſupra acquiſitorum & ſimiliter Artem aliquam, aut trafficum exercentes, aut exercere incipientes infra dictum tempus non notificauerint, & petitionem non fecerint, teneantur, & debeant dicti D.P. & Collegæ dicta bona, & traffica accataſtare, & allybrare in duplum, vʒ, in denarios viginti-quatuor pro quolibet centinario florenorum, & pro dictis denariis vigintiquatuor dicta bona, & traffica Communi Arretij allybrata eſſe intelligãtur, & Domini bonorum dictorum. & ſuã artem exercentes teneantur ad dictam rationem ſoluere Datia, & grauedines Communi Arretij. Teneantur inſuper dicti D.P. & Collegæ sgrauare, & abolere deſcriptos in Cataſtis Communis Arretij pro bonis, quæ alienarentur, aut aliquo Titulo transferentur in aliquos in Ciuitate Arretij, & Cortynis onera, & grauedines ſupportantes infra quindecim dies facta eiſdem notificatione per eum, qui alienaret; eiſdemq; conſtito, quòd ipſa bona ad onera in dicta Ciuitate, vel in Cortynis ſupportantes peruenerint, & non aliter, aut alio modo: Et ſimiliter omnes, & ſingulos, qui amplius artem, & trafficum in Cataſtis deſcriptum non exercerent; & poſtquam id eis verè, ac legitimè conſtiterit infra dictum tẽpus ex dictis libris pro dicto traffico sgrauare, & abolere teneantur, & nihilominus prędictis omnibus in præſenti ſtatuto diſpoſitis firmis, ac in ſuo robore permanentibus fiat, ac fieri debeat in dicta Ciuitate aggrauatio, & deſgrauatio, & vt dicitur grauum, & sgrauum quolibet quinquennio: De quo quidem grauo, & sgrauo fieri debeat prӕpoſita in Conſilio, ac libera, & abſoluta petitio, quòd ſuper eo prouideat, ac deliberet, prout eidem opportunum, ac vtile fore viſum fuerit; in his tamen, quæ in præſentis ſtatuti ſerie minimè eſſent diſpoſita, ſed penitus omiſſa. Et teneantur dicti D. P. de Menſe Maij, & Iunij reſidentes ante finem ipſius quinquennij proponere in Conſilio de Officialibus ſuper dicto grauo, & sgrauo eligendis: Teneaturq; dictum Conſilium eligere quatuor Officiales modo, & forma, & pront, & ſicut eidem videbitur, & placebit. Quòd ſi per Conſilium Officiales prædicti electi non fuerint, poſtquam de ipſis eligendis bis diuerſis diebus in dicto Conſilio propoſitum fuerit, & propoſita ad partitum miſſa, & non obtenta. Tunc, & eo caſu electio ipſa ad D.P. & Collegas deuoluatur, & deuoluta eſſe intelligatur. Teneanturq; per dictos duos menſes, dictos Officiales eligere ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet D. P. & Collegarum. Et hoc ſtaturum vſque ad verſiculum. Et nihilominus, quolibet anno de menſe Nouembris publicè in Ciuitate Arretij banniatur.

DE PLVRIBVS ALLYBRATIS IN VNA LIBRA. XXXXXV.

QVIA ſæpe reperitur, quòd plures ſint allybrati in vna libra: Ideo præſenti prouiſione ſtatuerunt, quòd ſi quis ex dictis allybratis vellet partem ſibi con-

tingentem de Datio ſoluere, & alius partem ſuam ſoluere recuſaret, & dicta de cauſa ipſe volens ſolnere incurreret aliquas expenſas damnum,& intereſſe,vel vſuras,ſi quas ipſi contingeret ſoluere pro pecunia acquiſita pro ſoluenda parte nolenti ſoluere partem ſuam, ſiue non ſoluenti; Talis non ſoluens teneatur integrè ſatisfacere prædicta damnum, & expenſas, & intereſſe, & vſuras, & totaliter conſeruare indemnē; & idem fiat, & obſeruetur de illis, qui in Comitatu in Vniuerſitate ſua non ſoluerent Datia, & non ſubirent onera in termino ordinario. Et hoc fiat per Iudicem D. Capitanei ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, vel per alium, cui per Conſilium committeretur exactio prædictorum.

QVOD LIBRA PATRIS PROSIT FILIO QVANTVMCVMQVE EMANCIPATO. XXXXVI.

STATVERVNT, quòd ſi Pater allybratus ſit, omnes filij, quamuis emancipati ſint, dummodo non ſint diuiſi, nec diuiſim habitent extra Familiam Patris, intelligantur eſſe allybrati in libra patris, ac ſi nominati eſſent in dicta libra. Et ſi plures eſſent Fratres in vna Familia non diuiſi, ſufficiat, ſi alius ex talibus Fratribus eſt allybratus,& omnes intelligantur eſſe allybrati, ac ſi nominati eſſent in dicta libra. Et etiā non poſſit opponi Mulieri viduę, quòd non ſoluat Datia, vel non ſit ſcripta in Facultatibus, dummodo habitet cum filio, vel Filiis ſoluentibus Datium, ſi filios habuerit, vel cum patre, vel cum Fratre Datium ſoluentibus, nec etiam poſſit dictis Mulieribus viduis, ſi non fuerint eis reſtitutæ integraliter dotes, opponi dicta exceptio de Datiis non ſolutis, vel quòd allybrata non ſit. Et ſi quis allybratus habuerit aliquam vxorem, quæ ante matrimonium fuerit allybrata, teneatur ſolum pro dimidia libræ ipſa vxor ſoluere Datia Communi Arretij, & non vltra. Et ſi Filius emancipatus, qui non eſſet allybratus, ſtaret ſeparatus à Patre, debeat cōferre in Datiis cum libra Patris, donec ipſe filius fuerit allybratus.

QVOD QVI PER QVINQVE ANNOS HABITAVERIT IN CIVITATE ARRETII IN EA ACCATASTARI DEBEAT. XXXXVII.

QVICVMQVE in Ciuitate Arretij per quinquennium habitauerit, domum habuerit, vel Artē aliquam exercuerit, debeat in ea accataſtari pro bonis vbicumq; ſitis in Cortynis, Capitaneatu, & Comitatu Arretij: & pro dictis bonis teneatur grauedines,& datia ſoluere, aliaq; onera realia,& perſonalia ſubire in dicta Ciuitate, nec in aliquo alio loco ipſarum Cortynarum, Capitaneatus, & Comitatus Arretij cogi, aut quomodolibet grauari poſſit ad ſoluendum Datia pro dictis bonis, aliaq; onera ſubeundum, non obſtantibus quibuſcumque locorum prædictorum ſtatutis, priuilegiis, ordinibus, & reformationibus in contrarium diſponentibus, quibus per præſens ſtatutum derogatum eſſe intelligatur. Prædicta tamen locum non habeant in his, qui in Ciuitate Florentiæ grauedines ſoluerent, aut onera ſubirent. Quicumque verò in dicta Ciuitate Arretij, vt ſupra accataſtatus fuerit, & in ea Datia ſolueret, & Factiones ſubiret, gaudeat, & potiatur, gaudereq;, & potiri valeat iiſdem Priuilegiis, Immunitatibus, & Exemptionibus, quibus, & alij Ciues Arretini gaudent, & potiuntur, gaudereq;, & potiri poſſunt, præterquam dictæ Ciuitatis officiis, ad quæ admitti non poſſint, niſi prout ex præſentium ſtatutorum ſerie permiſſum eſt.

DE ARTIFICIBVS ONERA NON SVPPORTANTIBVS. XXXXVIII.

AC etiam ſtatuerunt, quòd quicumq; Forenſis,& alienigena cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat,non poſſit in Ciuitate Arretij exercere,aut exerceri facere aliquam Artem,vel aliter trafficare. vel trafficari facere, niſi totum id, quòd in dicta Arte, & traffico habuerit, accataſtauerit ad libram, & æſtimum dictæ Ciuitatis, & de eo onera ſuſtinuerit ad inſtar Ciuium Arretinorum ; & hoc intelligatur in nouo Cataſto, & libra facienda, & iam facta in Ciuitate Arretij, & contrafacientes, & dictam Artem exercentes, & exerceri facientes, & trafficantes, & trafficari facientes, incidant in pœnā librarum quingentarū applicādarum pro quarta parte D. Capitaneo exigenti,& Accuſatori; & pro medietate Communi Arretij; & Forenſes, & alienigenæ intelligantur omnes illi, qui non ſuſtinent ordinaria onera in dicta Ciuitate Arretij.

DE BREVIBVS ARTIVM. XXXXVIIII.

OMNIA, & ſingula Breuia Artium Iuridica, & honeſta facientia pro bono ſtatu Populi,Conſeruatione,& augumēto Ciuitatis ipſius,quę non ſint contra eccleſiaſticā libertatem,vel cōtra ſtatuta, & ordinamenta pręſentia,vel aliquod ipſorū,& quę nō tendant ad Monopolium,hac ſalubri lege confirmauerunt,& approbauerunt,Concedentes dictis Artificibus earū,& cuiuſlibet ipſarū Artium,quòd ſibi eligant Rectores,v;.Quęlibet Ars illū bonum pacificū,& expertū virum,de quo artifices dictę Artis, vel Maior pars ipſius pro bono dictę Artis, & ſtatu pacifico duxerint eligendū. Item ſtatuerunt,quòd quælibet Ars,ſiue Vniuerſitas cuiuſlibet Artis,aut exercitij Communis Arretij teneatur, & debeat habere vnum librum nuncupatum il Breue; in quo quidem libro ſint, & eſſe debeant omnia, & ſingula ordinamenta, ſecundum quæ omnes illi de arte illa debeant regi, & gubernari in dicta eorum Arte, ſiue exercitio, & etiam in eo debeant eſſe, & ſint deſcripti omnes, & ſinguli Homines, & Artifices illius modi Artis. Ac etiam ſtatuerunt, quòd Homines, ſiue Vniuerſitates dictarum Artium non habentes Breue, illud facere debeant, & quòd Artes præfatæ, quæ tale Breue habent, illud reformare debeant cum auctoritate addendi, ſiue minuendi, prout illis de tali Arte videbitur, & placebit. Cum hoc etiam, quòd quęlibet Ars, ſiue Vniuerſitas cuiuſlibet Artis, ſiue Homines eiuſdem teneantur, & debeant eligere, & vocare vnum Sanctum pro qualibet dictarum Artium pro eorum Aduocato,ita quòd quęlibet dictarum Artium dictę Ciuitatis Arretij habeat vnum Aduocatum ; in cuius quidem ſui Aduocati die Feſtiuitatis quælibet Ars ire teneatur, & debeat ad oblationem faciendam eo modo, & forma, prout, & ſicut eis videbitur, & placebit, & diſpoſitum erit per Homines talis Artis. Habere inſuper teneatur vnum Inſigne paruum, cum quo vadat ad oblationem ita diſtinctum, vt vna Ars ab alia cognoſci poſſit: & hoc præciſè teneantur in dicto Breui quælibet Artes facere vnum Capitulum præciſum. Quæ Breuia teneantur ſingulę Artes de per ſe præſentare quolibet quinquennio,videlicet. Quælibet Ars Breue ſuum coram D.P. Populi Ciuitatis Arretij, & eorum Collegis infra duos menſes à die notificationis factæ per publicum præconem in Ciuitate Arretij de pręſentibus capitulis, ſiue de ſupradictis rebus,& ipſa Breuia ſic præſentata debeant examinari diligenter per dictos D. P. & eorum Collegas, & ipſis examinatis debeant approbare, vel improbare in totum, vel in partem, & corrigere,

prout eis viſum fuerit, & placebit. Qui D.P. & Collegæ auctoritate præſentis ſtatuti plenam habeant auctoritatem prędictorum, vel alterum prædictorum faciendi, prout eis videbitur, & placebit. Et quicquid per dictos D.P. & Collegas, & duas partes eorum circa dicta Breuia factum fuerit, & deliberatum, plenam obtineat firmitatem; & obſeruari debeat:dummodo non ſit contra formam præſentium ſtatutorum,in quo caſu nullius roboris,aut valoris eſſe voluerunt:Et dictis Breuibus approbatis non poſſit eis aliquid opponi, vel contradici, & de omnibus, & ſingulis approbationibus, ſiue improbationibus, & correctionibus debeat rogari Cancellarius Communis Arretij, vel Notarius Palatij,& debeat habere pro ſuo ſalario, mercede, & publicatione dictorum Breuium ſolidos quatuordecim pro qualibet Arte, & quolibet Breui. Quòd ſi Rectores Artium prædictarum, vel alterius earum facere negligentes fuerint, & prædicta non ſeruauerint, incidant in pœnam librarum vigintiquinque pro qualibet Arte; quæ pœna intelligatur eſſe,& ſit applicata Fabricæ Domus D.P.dictę Ciuitatis Arretij. Et quòd dicti D.P. teneantur,& obligati ſint dictos negligétes,& prædicta non ſeruantes deſcribi facere in libro Speculi Cõmunis Arretij per Maſſarium Cõmunis prędicti. Et etiam tranſacto dicto termino duorum Menſium conceſſo Rectoribus Artium, & cuilibet ipſorum ad dicta Breuia pręſentandum, poſſint dicta Breuia pręſentare vt ſupra,& dicti D.P.& Collegę poſſint,& valeant dicta Breuia approbare, vel improbare, ſiue corrigere: prout ſupra diſpoſitum eſt. Cum hoc tamen,pro quolibet Breui approbando ſolui debeant libræ quinque per talem Rectorem Syndico Communis Arretij conuertendo in Maſſeritiis Palatij D.P. Et non poſſint quoquomodo dicti D.P. & eorum Collegæ tale Breue approbare, niſi in quolibet dictorum Breuium fuerit deſcriptus,& electus Sãctus vnus pro Aduocatione illius Artis.Et dicta approbatio facta, vt ſupra per D.P. & Collegas ſufficiat pro fide dictorum Breuium abſque aliqua alia ſubſcriptione alicuius alterius officialis alicuius Rectoris. Et ſi eſſet aliqua vniuerſitas alicuius Artis Ciuitatis Arretij, quæ non faceret eius Breue, & aliquis illius Artis haberet cauſam cum aliquo cognoſcendam, & terminandam per Cõſules vigore ſuorum librorum, & allegaretur coram conſulibus prędictis, quòd Ars illa, ſiue exercitium, in qua, vel quo eſt titulatum dictum Breue,non habet Breue approbatum denuo: & ille, cuius eſt liber,non pręſentet dictum Breue approbatum,non poſſint modo aliquo dicti Conſules de tali cauſa cognoſcere;immo pro illa vice tãtum remaneat in diſpoſitione Iuris Communis donec, & quouſque dictum Breue fuerit approbatum. Si verò dicta vniuerſitas,ſiue Ars prouiderit denuo facere dictum Breue, aut factum approbare, quòd tunc,& eo caſu liceat Actori reiterare Iudicium,prout à principio, & pro ſit ſibi Breue approbandum. Statuentes vlterius, quòd omnes, & ſinguli Ciues Arretini teneantur, & debeant facere ſe matriculari,& deſcribi in aliqua Matricula alicuius Artis Ciuitatis Arretij, & qui non fuerint deſcripti in aliqua ex dictis Matriculis dictarũ Artium Ciuitatis Arretij, non gaudeant, nec potiantur priuilegiis præſentium ſtatutorum in cauſis procedentibus ex eorum libris,nec dicti Conſules poſſint de talibus Cauſis cognoſcere modo aliquo, ſi tales, quorum cauſæ agitantur coram eis, non fuerint deſcripti in aliqua Matricula dictarum Artium,ſed poſtquam tantum fuerint in dictis Matriculis,ſeu altera earum deſcripti. Si verò talis non deſcriptus in aliqua Matricula cauſam moueret contra aliquem, quæ deuoluta eſſet ex forma ſtatuti ante poſiti dictis Conſulibus cognoſcenda, & terminanda, & tardaret ſe deſcribi facere in aliqua ex dictis Matriculis, ita quòd tempora data dictis Conſulibus ad pronunciandum expirarent, debeant dicti Conſules pronunciare talem non fuiſſe,nec eſſe audiendum in dicta cauſa pro illa vice tantum, & ipſum in expenſis Reo condemnare: & ſic dicto caſu dicti conſules

nullam

nullam incidant in pœnam. Poſſit tamen dictus Actor poſtea in Matricula deſcriptus iterum agere ſeruata forma ſtatuti antedicti. Si verò quis allegaret coram dictis Conſulibus illum, cuius cauſa agitur coram eis vigore ſuorum librorum, non fore deſcriptum in aliqua Matricula, vel vniuerſitas illius Artis, in qua ſe deſcriptum dixerit, Breue approbatum non haberet; & poſtea appareret, quòd eſſet deſcriptus, & vniuerſitas illius Artis approbatum Breue haberet, teneatur ipſo Iure Actori dare ſolidos decem; Et D.P. Ciuitatis Arretij teneantur, & debeant infra vnum Menſem, poſtquam præſentia ſtatuta eis fuerint præſentata approbata, facere notificare per publicum Bannimentum in Ciuitate Arretij omnia in præſenti Capitulo contenta. Statuentes, quòd quælibet Ars teneatur quolibet Anno ſoluere in Manibus Syndici, & Prouiſoris Palatij ſummam, & quantitatem, vt infra taxatam, & deſcriptam pro ſalario Conſulum, quibus vniuerſitates ipſas, & Artifices ſubiacere voluerunt: Cuius ſummæ dimidiam teneantur ſoluere de Menſe Februarij: Aliam de Menſe Augusti, & pro ea per dictum Syndicum dari poſſint ad grauandum.

Ars Lanę, & Aurificum Ars Auricum	lib.	15.
Ars Merciariorum, & Setaiolorum	lib.	10.
Ars Calzolariorum	lib.	12.
Ars Farſettariorum, Calzettariorum, & Pannorum veterum	lib.	5.
Ars Fabrorum, Magnanorum, & Mateſcalcorum	lib.	6.
Ars Textorum Pannorum lineorum	lib.	5.
Ars Barbitonſorum Ars Pelliparioruin	lib.	5.
Ars Lignariororum, & Muratorum	lib.	4.
Ars Carnificum	lib.	4.
Ars Pizzicolariorum	lib.	4.
Ars Vaſariorum	lib.	4.
Ars Fornariorum	lib.	4.
Ars Molendinariorum	lib.	2.
Ars Hoſpitum	lib.	4.
Ars Aromatariorum.	lib.	5.

DE PROHIBITA ALIENATIONE BONORVM IMMOBILIVM. L.

NVLLA alienatio inter viuos, vel qualibet vltima voluntate de Bonis immobilibus in Ciuitate, vel Cortynis Arretij accataſtatis fieri valeat alicui in dicta Ciuitate, vel Cortynis onera, & grauedines non ſupportanti; niſi de licentia, ac deliberatione Generalis Conſilij Ciuitatis eiuſdem, omniſque alienatio aliter facta ipſo Iure ſit, ac eſſe intelligatur nulla. Et nihilominus quilibet tam alienans, quàm recipiens incidat in pœnam librarum ducentarum pro medietate Communi Arretij; pro vna quarta Rectori totum exigenti; pro alia verò Accuſatori effectualiter ſoluenda, pro qua ipſa bona alienata hypotecata, & obligata ſint, ac eſſe intelligantur.

DE DOMIBVS NON DESTRVENDIS PER RECTORES OCCASIONE ALICVIVS MALEFICII. LI.

TENEATVR D.Capitaneus,& quilibet Rector,& officialis Communis Arretij non deſtruere, nec deſtrui facere aliquam domum in Ciuitate Arretij, Burgis, vel ſuburgis,nec aliquam domum alicuius Ciuis,vel diſtrictualis Arretij exiſtentis extra Ciuitatem in aliquo loco, nec pati, aut permittere, quòd per aliquem officialem Communis Arretij, vel ipſius Domini Capitanei deſtruatur; nec Hoſtia, nec Feneſtræ de dictis domibus extrahantur occaſione alicuius Maleficij, condemnationis, vel exceſſus, vel Datij,guardiæ,vel alicuius delicti quacumque de cauſa in totum,vel in partem niſi pro Homicidio, vel Tradimento,& non facere propoſitam aliquam in Cōſilio aliquo contra prędicta,neq; permittere,quòd aliquis officialis faciat.Et ſi D.Capitaneus,vel aliquis Rector,vel officialis contrafaceret in aliquo prædictorū,vel ſuſtineret. quòd per aliquem officialem contrafieret, condemnetur pro vice qualibet in centum libris ad petitionem cuiuslibet petentis,& ad emendationem damni per maiorem Syndicum Communis Arretij,vel alium Rectorem, coram quo peterentur prædicta, & domus talium delinquentium, vel Datia, & alias factiones non ſoluentium locentur per Commune Arretij ad penſionem.

QVOD VALOR FLORENI SIT LIBRARVM QVATVOR, ET SOLIDORVM QVINQVE. LII.

ITEM coſiderantes, quòd in Ciuitate, & Comitatu Arretij quotidie inter contrahentes,ſeu etiam trafficantes in dicta Ciuitate,ac Comitatu Arretij multę oriuntur diſcordię de valore floreni auri ad pondus Communis Arretij pro varietate dictorum florenorum ad tollendum ſcandala,& diſcordias prædictas, & vnusquiſque ſciat valorem floreni ad pondus Communis Arretij;deliberauerunt,prouiderunt,ordinauerunt, ſtatuerunt,& ſolemniter reformauerunt,quòd deinceps in perpetuum quandocumque. fieret in dicta Ciuitate,Cortynis, ſeu Comitatu Arretij aliquis contractus,Forum, aut Conuentio,ſeu prouiſio,vel obligatio ad florenum, ſeu ſub hoc nomine,vel vocabulo floreni auri,quòd florenus intelligatur eſſe, & ſit valoris librarum quatuor, & ſolidorū quinque denariorum florentinorum paruorum.Et ſic in tanta quantitate ſolui, & dari poſſit,& debeat pro ſingulo illius modi floreno recipere, vel habere debentibus,& hoc non intelligatur in Cambio,vel pro Cambio florenorum auri cum cambiarentur.

QVOMODO TABVLA, CANNA, ET BRACHIA INTELLIGANTVR IN MERCANTIIS, ET ALIIS. LIII.

ITEM ſtatuerunt,& ordinauerunt,quòd de cætero Muri,& alia quęlibet AEdificia, quæ fierent, & ædificarentur in Ciuitate,& Cortynis Arretij,de quibus cōueniri. pacisci, & ratiocinari contigerit, & forum fieri de laboreriis ad Tabulam, ſeu ad cannam,ſeu ad Brachia,cum Magiſtris,& ædificatoribus intelligi debeant,& ita menſurari ad Communia Brachia, & cannas, quibus menſurantur panni lanei: Ita quòd Conuenientes,& ratiocinantes debeant menſurari facere Tabulas Muri totidem Brachiorum ad cannam pannorum, quot menſurari conſueuerunt Brachia ad Tabulam non diminuto numero Brachiorum;ſed mutata qualitate eorum tàm in Tabula,quàm in canna,

& eodem modo intelligantur de laboreriis, quæ fierent in terrenis, quando conueniretur de ſtirpando, deboſcando, euellendo, vel plantando, & conueniretur de Brachiis, cannis, vel Tabulis laborerij prædicti: Et conſimili modo, quando venderentur herbæ pratorum, vel ligna ſyluarum, & ſi in prędictis rationari, & conueniri contigerit ad ſtariore ad Tabulam, ſit, & eſſe intelligatur ſtariore ſexdecim Tabularum menſurando Brachia Tabularum ad Brachia quibus menſurantur panni, vt dictum eſt, & totidem Brachia, quot conſueuerunt; ſed ſi conueniatur ad ſtarium in prædictis laboreriis, intelligatur ſtariore ad ſtarium trium ſtariorum ad Tabulam menſurando ſingulum ſtariore ad Tabulam, vt dictum eſt. Quod tamen non intelligatur in venditionibus terrarũ, & donationibus, permutationibus, vel Teſtamentis, vel aliter relictis, & in quibuſcumque alienationibus proprietatum, in quibus obſeruari debet antiquus menſurandi modus: Et ſtatuerunt, quòd quandocumque fieret aliqua locatio alicuius ædificij in dicta Ciuitate, vel Cortynis pro precio determinato alicuius cannæ, vel Tabulæ Murorum ſimpliciter, quòd Conductores intelligantur eſſe, & ſint obligati ad faciendum murum latitudinis vnius Brachij; & ſi eſſet minoris, vel maioris ſemper reduci debeat in menſurando ad latitudinem vnius Brachij, & non plus, aut minus. Et non liceat alicui Conductori menſurari facere vana, & loca non murata niſi fuerint Hoſtia, vel Feneſtræ, aut Camini, vel Aquarij, vel ſimilia, de lapidibus concis vllo pacto, de quibus nihil habere, petere, vel conſequi poſſe decreuerunt omni conſuetudine, lege, aut ſtatuto in contrarium diſponente facto non obſtante, etiam ſi ſpeciali indigeret derogatione.

QVI INTELLIGANTVR FORENSES. LIIII.

DECLARANDVM eſt, ne in dubio ambuletur, qui Foreńſes debeãt nominari: Idcirco ſtatuerunt, quòd omnes eſſe Forenſes intelligantur, qui vel eorũ parentes non habeant originem de Ciuitate, Comitatu, vel diſtrictu Arretij: oriundi verò de aliquo Caſtro, vel loco Comitatus, vel diſtrictus Arretij, quod, vel qui mãdatis D. Capitanei Ciuitatis Arretij in ciuilibus non pareant, pro Forenſibus habeantur: vndecumque verò oriundi, qui ſteterint, & continuo habitauerint in Ciuitate Arretij, & ibi onera per duodecim Annos ſubierint, pro Forenſibus minimè habeantur, ſed gaudeant omnibus Beneficiis Ciuium Arretinorum: qui verò per decennium in Comitatu, & diſtrictu Arretij habitauerit, & dicto tempore cum Comitatinis onera ſubierit, pro Comitatino quo ad omnia cenſeatur.

QVOD CORTINAE ARRETII SINT QVINQVE MILIARIA. LV.

STATVERVNT, quòd Cortynæ Ciuitatis Arretij ſint, & eſſe debeant quinque milliaria vndique computandæ à Muris nouis Ciuitatis, vel à Portis cerchiarum extra circumcirca Ciuitatem. Quod ſpacium quinque miliarium pro Cortynis dictæ Ciuitatis perpetuò habeatur. Et ſi contingeret menſurare, fiant menſurationes per ſtratas rectas propinquiores ad locum, de quo quęreretur, vel dubium eſſet.

DE CVSTODIBVS CARCERVM COMMVNIS. LVI.

ELIGANT D. P. & Collegæ Cuſtodem Carcerum Communis, & ſeu ſtincarum ad id idoneum cum capitulis, & obligationibus, prout per eos prouiſum, ac deliberatum

beratum fuerit. Statuentes tamen,quòd Cuſtos prædictus à quolibet in dictis carceri-bus immittendo, & carcerando habeat, & conſequatur pro ingreſſu ſolidos decem & deinde per decem dies continuos qualibet die ſolidos duos, & nihil amplius percipere poſſit ſub pœna librarum decem. Poſſit etiam dictus custos præſentis ſtatuti vigore ex trahere aliquem carceratum ex Carceribus prædictis per decem Dies, & permittere, quòd per dictum tẽpus extra dictos Carceres maneat, vt de ſatisfaciendo Creditoribus prouidere valeat. Vltra verò dictum Tempus modo aliquo non poſſit,ſed in dictis Car ceribus ipſum remittere,& retinere debeat,niſi à Creditoribus,ad quorum Inſtantiam captus detinetur, licentiam habuerit. Si verò cuſtos prædictus ipſum non remiſerit, vt ſupra,& in carceribus detinuerit,ſimiliter & alios quoſcumque dictis carceribus conſi-gnatos,teneatur immediate ſatisfacere Creditoribus illam quantitatem, pro qua capti in carceribus conſignati erunt,& illorum debitor efficiatur,& effectus eſſe intelligatur; & ad ſoluendum ipſis Creditoribus per D. Capitaneum cogi debeat, quibuſcumque priuilegiis, exemptionibus, Immunitatibus, ac feriis non obſtantibus. Teneatur etiam Cuſtos huiuſmodi dictos carceres,& in eis carceratos omni diligẽtia, & cura cuſtodire, ita quòd non effugiant,nec carceres frangant; & ſi ex culpa, negligentia, vel incuria i-pſius cuſtodis carceres ipſi fracti fuerint,aut aliter carcerati effugerint,teneatur ſatisfa-cere Creditoribus quantitates,pro quibus in eis carcerati fuerant, & ad id cogatur per D. Capitaneum vt ſupra, facta tamen declaratione legitima per D. P. quòd eius culpa negligentia, vel mala cura effugerint, & non aliter, aut alio modo. Poſſint etiam ipſi Domini Priores cogere Creditores ad preſtandum alimenta ad viuendum neceſſaria debitoribus ad eorum Inſtantiam in dictis carceribus detentis, quando debitores ipſi eſſent verè pauperes,& aliunde alimenta habere non poſſent. Si verò dicti Creditores poſtquam per Dominos Priores bis requiſiti fuerint, debitores ipſos alere noluerint, poſſint D. P. ipſos à carceribus liberare: & Cuſtos ad mandatum ipſorum teneatur, & debeat ipſos ex dictis carceribus extrahere. Cæterum minimè liceat cuicumque in publicis carceribus tam Communis,quàm D. Capitanei exiſtenti ipſos carceres frange re,ac inde aufugere,quòd ſi ipſos carceres fregerit, ac inde effugerit,incidat,ac incidiſſe intelligatur tantam pœnam,quanta eſt ſumma,pro qua in carceribus detineretur,intel ligendo tamen vſque ad ſummam librarum centum,& ab inde infra,quòd ſi pro maio ri ſumma librarum centum vſque in omnem ſummam detineretur, incidat in pœnam librarum quadringentarum;quarum quidem pœnarum medietas Communi Arretij ap plicetur,pro quarta Rectori exigenti;pro alia verò Cortynis Ciuitatis Arretij. Statuen tes etiam,quòd per Commune Arretij deputari debeant duo Ciues,& boni viri, qui di ctos carceres,& in eis detentos viſitare debeant, & non permittere, quòd cuſtos ab eis exigat plus debito, neuè ab eo male tractentur, vtq; minora, quàm fieri poſſit, in-commoda patiantur, quibus dictum cuſtodem obedire, & ſubiectum eſſe voluerunt. Curent etiam dicti boni viri omni ſtudio,& ſollicitudine ipſos carceratos componere cum eorum Creditoribus,vt à dictis Carceribus eximantur, vt pauperibus, qui ſe alere non poſſunt, alimenta à Creditoribus preſtentur. Et pro eis eleemoſynas quærere fa-ciant, vt pro prædictis apud Deum mercedem in Cœlis recipiant.

DE CVSTODIBVS PORTARVM. LVII.

TENEANTVR D.P.infra octo dies poſt introitum D. Capitanei eligere,ac con ducere duos Cuſtodes pro qualibet porta, & vnum pro Palatio D.Capitanei ad dictam cuſtodiam aptos,& idoneos cum ſalario librarum quinque pro quolibet

Menſe

Menſe eis per Commune Arretij ſoluendarum à Camerario Datiorum. Qui Cuſtodes teneantur dictas portas, & Palatium cuſtodire, nec ab eis diſcedere, ſed ibi perſonaliter permanere, nec alicui alteri curam, & cuſtodiam committere ſub pœna librarum decem, & amiſſionis officij pro quolibet, & qualibet vice, qua reperti fuerint ipſimet dictas Portas non cuſtodire, nec in eis perſonaliter permanere ab eiſdem ex eorum ſalario auferenda. Et vnus ex eis ſaltem teneatur de nocte dictas Portas cuſtodire, & Cuſtos Palatij D. Capitanei ſimiliter ipſum de nocte cuſtodire ſub dicta pœna, & priuationis cuſtodiæ prædictæ, & mutari debeant de porta ad portam, ſicut alij portinarij; & ſemper per D. P. caſſari, & remoueri poſſint, & alij eorum loco eligi.

DE PONDERIBVS, ET MENSVRIS SIGNATIS, ET OFFICIO SIGILLATORIS. LVIII.

OMNES Mercatores, Artifices, Molendinarij, & alij quicumque infraſcriptis menſuris, & ponderibus in emendo, vendendo, vel aliquo alio exercitio vtentes tam in Ciuitate, quàm in Cortynis, & Capitaneatu Arretij, aliiſq; locis Doganæ Arretinæ ſubiectis teneantur, & debeant pondera. menſuras, & alia vaſa, quibus vtuntur, ſigillare ſigno Communis Arretij ad hoc deputato, ipſaq; ſigillari facere per ſigillatorem dicti Communis modis, & temporibus infraſcriptis, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium factis, ac diſpoſitis, dictorumq; locorum ſtatutis, & ordinibus factis, & faciendis, quibus per præſens ſtatutum derogatum eſſe intelligatur: Et primò. Mercatores, & Artifices ſigillari faciant quolibet Anno de Menſe Ianuarij eorum Menſuras, & pondera, v3. Stateras, Plombinos, Bilancias, Paſſettum, Cannam, & Brachium: Molendinarij verò olei de Menſe Nouembris ſigillari faciant barile, medium barile, quartinum, Medium quartum, Starium, omniaq; alia vaſa, quibus in dicto, & pro dicto Molendino vtuntur. Barilia verò, & media barilia, quolibet biennio de Menſe Auguſti ſignari debeant: Starium, medium ſtarium, quartum, & coppa, quibus in emendo, vel vendendo aliquis vtitur, ſignata ſint ſigno dicti Communis, & ſigillari ſimiliter debeant quolibet biennio de Menſe Ianuarij. Ipſe autem ſigillator, ſigillumq; à Communi Arretij tenens omnes, & ſingulas menſuras, pondera, & alia vaſa iuſtè, & legaliter ſignare debeat, & ſine aliqua fraude, aut falſitate ſub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice, & priuationis officij; quæ pœna pro dimidia Communi Arretij applicata eſſe intelligatur; quarta D. Capitaneo pro executione; & alia quarta accuſatori: Omneſq; prouiſiones, ordinamenta, & capitula ſuper hoc à Communi Arretij facta, vel facienda ſeruare, & cum effectu adimplere teneatur ſub pœnis, & præiudiciis, de quibus in eis diſpoſitum erit non obſtantibus quibuſcumque in contrarium diſpoſitis, aut diſponendis.

DE MOLENDINARIIS GRANI. LIX.

NVLLVS Molendinarius grani accipiat per multum cuiuſlibet ſtarij grani, vel alterius bladi, niſi libram vnā cum dimidia, quam ponderare teneatur, vel menſurare cum coppa capiente quātitatem prędictam, quæ coppa ſit ſignata ſigno Communis Arretij, & ſit bene aggiuſtata; Nec debeat aliquis Molendinarius cābiare frumentum, vel bladum alterius ſub pœna in quolibet prædictorum caſuum librarum decem: Nec ſimiliter ponderare, vel menſurare granum, vel bladum pro dicta mulctura, niſi in pręſentia Domini ſub dicta pœna. Et quilibet Molendinarius portans granum

num ad molendinum teneatur integrè reportare farinam,& ſi non reportauerit teneatur adimplere ſub dicta pœna: Et non poſſint accipere pro mulctura,& vectura niſi libras duas grani,vel farinę pro quolibet ſtario. Et non poſſint ipſi Molendinarij,vel aliqui pro eis,aut eorũ homine ſtare ad ſtratas inuitando portantes granum, vel bladum ad molendinũ ſub pęna librarum triũ pro quolibet,& qualibet vice. Et officialis extraordinarius vadat,& teneatur mittere,& inquiſitionẽ facere ad molendina,ſi ibi ſunt dictæ coppæ ſignatæ,& iuſtę,& obſeruant omnia, & ſingula ſupradicta: Quæ coppa ſtet ſemper ligata cathena ferrea ad Tramoggiam ſub dicta pœna. Et quilibet molendinarius bozzocolanus,vel alia perſona,quæ portaret granũ ad macinandum ad preciũ,aut alio modo teneatur,& debeat habere ſtaterã ſignatam ſigno Cõmunis Arretij; & eam ſemper ſecum portare,vel ſuper eorum beſtia appenſam, & ponderare cum ea frumentum,vel aliud bladum,quod portauerit ad macinandũ,& poſtmodum farinam, quam reportauerit pęna librarũ quinque pro qualibet vice. Nullusq; ex prædictis, poſtquam farinam onerauerit,debeat ipſam exonerare,niſi ad domum illius,ad quem portauerit, & Domini illius grani,vel bladi: Nullus etiã molendinarius,Dominus,ſiue Conductor poſſit modo aliquo in dictis molendinis retinere meretrices,aliaſq; perſonas ſuſpectas, & inhoneſtas ſub pęna librarũ vigintiquinque: quarũ quidẽ pęnarũ in pręſenti ſtatuto cõtentarũ medietas ſit Cõmunis Arretij;quarta D.Capitanei,Reliqua verò accuſatoris. Nec ſimiliter poſſit aliquis molẽdinarius portans granũ ad macinadũ ad molẽdina poſita in Ciuitate Arretij illud portare de nocte ſub pęna librarũ decẽ applicata, vt ſupra.

DE VASARIIS, ET VASIBVS FORENSIBVS NON VENDENDIS IN CIVITATE ARRETII, VEL CORTYNIS. LX.

TENEANTVR Vaſarij benè,& legaliter facere artem ſuam & non committere aliquam fraudem , vel malitiam in ipſa eorum arte, propter quod vaſa per eos facienda ſint mala,vel vitioſa. Item non debeant mittere aliquod marmum malum,vel cinarium,vel ſpongiam,vel arenam in dictis vaſis,ſed bonum, & purum marmum,& coctum ſufficienter in vaſis,in quibus marmum requiritur, & bonam terram ſtatam in multiccio,vt moris eſt,bonorum vaſariorũ,qui hactenus fuerunt in Ciuitate Arretij,& ipſa vaſa dare pro competenti precio,arbitrio Officialium Graſciæ ſub pęna quadraginta ſolidorum pro quolibet ipſorum, & qualibet vice, ſi contra prædicta factum fuerit: Et quilibet poſſit denunciare,& accuſare,& habet tertiam partem banni, & ſit ſecretum;& ad Ciuitatem Arretij,aut eius Cortynas non poſſint ferri,aut portari aliqua vaſa fictilia picta cuiuſcumque generis, quæ non ſint facta, & fabricata in Ciuitate, vel Cortynis Arretij, nec ea vendi ſub pœna librarum decem pro qualibet ſalma; cuius pœnæ medietas ſit Communis Arretij; quarta accuſatoris; alia quarta pars ſit ipſius D.Capitanei,ſi de prædictis executionẽ fecerit,& vlterius vaſa ipſa amiſſa eſſe intelligantur,& vt ſupra applicata; præterquam tẽpore Nundinarum,Feſtiuitatis Sanctæ Mariæ Gratiarum,Annunciationis,Lacrymarum,Sancti Donati,Sãcti Bernardini, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ,quæ fit apud Sanctum Polum,quibus tẽporibus licitum ſit,ac permiſſum portare tàm in Ciuitatem, quàm ad loca,in quibus dictæ Feſtiuitates celebrantur, vaſa cuiuſcumque generis: Prędicta verò non habeant locum in vaſis de Maiorica, & diruta, & pro vaſis extra Dominium Florentinum factis, & laboratis, quæ ſemper impunè ad dictam Ciuitatem,& Cortynas portari,& in eis vendi poſſint, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

DE

DE NON APPORTANDO VINVM FORENSE AD CIVITATEM, VEL CORTYNAS ARRETII. LXI.

NVLLI cuiuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat licitum ſit ad Ciuitatem Arretij, vel ipſius Cortynas portare, vel in eis immittere, vel portari, vel immitti facere, uel vendere, ſeu vendi facere modo aliquo, vel ſub aliquo quęſito colore aliquod vinum forenſe ſub pœna librarum decem applicandarum pro dimidia Cõmuni Arretij: pro quarta Rectori exigenti, & pro alia quarta Accuſatori; niſi de licentia D.P. dictę Ciuitatis Arretij: Intelligendo vinum forenſe illud, quod recolligitur, vel portatur de aliquo loco extra dictam Ciuitatem, & Cortynas ipſius, excepto tamen vino quod recollitur in bonis aliquorum Ciuium Arretinorum, vel aliquorum de dictis Cortynis in loco quocumque extra dictam Ciuitatem, & Cortynas; liceat tamen vnicuiq; dictum vinum forenſe vndecumque ad dictam Ciuitatem, & Cortynas, portare, & immittere in œnophoris non excedendo tamen numerum viginti œnophororum Menſe quolibet, quod vinum vendi non poſſit ſub pœna de qua ſupra. 1

QVOD SCRIPTVRAE COMMVNIS EXHIBEANTVR SINE PRECIO LEGERE VOLENTIBVS. LXII.

NOTARIVS Cameræ Communis Arretij, Cancellarius dicti Communis, Notarius D.P. Maſſarius, ſiue Cuſtos Armarij librorum, & rerum dicti Communis, & quilibet alius officialis, pœnes quem eſſent aliquæ ſcripturæ pertinentes ad Commune, vel aliquæ Reformationes per dictum Commune factæ, & quilibet eorum teneãtur, & debeant dictas ſcripturas, & Reformationes oſtendere, & exhibere cuilibet Ciui, & Diſtrictuali Ciuitatis Arretij volenti ipſas legere, & videre, & eidem facere copiam legendi ſine aliqua pecunia, ſalario, vel mercede; quod ſi non fecerint officiales prędicti, vel ſi contra prædicta aliquam pecuniam acceperint in vigintiquinque libris pro quolibet contrafaciente per D. Capitaneũ Cõmunis Arretij debeat condemnari, & de prędictis quilibet poſſit accuſare cõtrafacientes, & denũciare, & eis ſecretũ teneatur.

QVOD NVLLVS OFFICIALIS FORENSIS ELIGATVR AD ALIQVOD OFFICIVM IN COMITATV ARRETII. LXIII.

NVLLVS quoquomodo poſſit eligi, vel aſſumi ad aliquod officium in Comitatu, vel Cortynis Arretij, niſi ſit Ciuis, vel Comitatinus Ciuitatis prædictæ, & ſi ſecus fieret, non valeat electio ipſo iure, & nihilominus in ducentis libris condemnari debeant eligentes per D. Capitaneum Ciuitatis Arretij, & acceptans, vel officium recipiens condemnari debeant in tantumdem per D. Capitaneum ſupradictum non obſtantibus quibuſcumque in contrarium diſponentibus.

DE PRAEFECTIS NVNDINARVM, ET EORVM OFFICIO. LXIIII.

SI contigerit fieri Nundinas in Ciuitate Arretij, illis præficiantur quatuor Ciues, qui cuncta circa eas neceſſaria, & opportuna curent, & prouideant, auctoritatemq;

habeant aſſignandi Mercatoribus loca ad vendendum, & maximè in platea, quæ loca Mercatores ipſi tam Arretini, quàm forenſes à ſe ipſis capere non poſſint, neque eorum propria auctoritate, pœna librarum decem, vt infra applicanda, neque etiam menſurare, niſi cum menſuris ab eiſdem Præfectis habitis, & receptis, neque alias menſuras retinere ſub dicta pœna, nec ſimiliter ponderare, niſi cum ponderibus iuſtis, & ſignatis, ſub pœna, de qua in ſtatutis. Habeant inſuper auctoritatem imponendi precia rebus quibuſcumque ad Graſciam pertinentibus, præcipiendiq́;, & mandandi, prout expediens fuerit, & opportunum cum impoſitione pœnæ vſque ad libras decem applicandæ pro vna Tertia Communitati; pro alia Rectori exigenti; & pro alia ipſis officialibus: Duranteq́; Tempore Nundinarum officium Graſciæ, vt ſupra, & extraordinariorum inſuper, & ſtatera, ipſiusq́; commodum ad ipſos Præfectos pertineat, & non ad alios modo aliquo: Nullusq́; poſſit dicto tempore retinere domum, aut locum, vbi ludatur; & vt dicitur, tenere Baratthariam, niſi prout, & ſicut eiſdem videbitur, & placebit ſub pœna cuilibet contrafacienti librarum quinquaginta, & cum obligationibus, & capitulis circa eorum officium ęditis, & maxime de anno M. D. X X X V. incedereq́; teneantur dicto tempore ciuiliter induti, & cum palliis longis; reſidentiamq́; faciant in Domo Fraternitatis.

DE OFFICIALIBVS HONESTATIS, ET EORVM OFFICIO. LXV.

VT ſcandalis, & rixis, quæ plurimûm inter Iuuenes ex hoc ſolent oriri, occurratur & ne in honeſtarum Mulierum exemplo cęterarum probitas, & pudicitia corrumpatur, ſtatutum eſt, quod in dicta Ciuitate ſit officium, & officiales Honeſtatis, qui cuncta, quæ ad honeſtatem ipſius, & ad obuiandum ſcandala pertinent, omni ſtudio curent, & prouideant, & vt Meretrices, Mulieresq́; impudicę, quę eorum corpore quæſtum faciunt, ſtent in loco publico, & ad id deputato, & non in locis, vbi Ciues, & Honeſtæ Mulieres habitant, & quòd non vadant per Ciuitatem, niſi prout per ſtatuta permiſſum eſt, & non morentur in Hoſpitiis publicis, & ne cum aliis Mulieribus verſentur, & miſceantur, & maximè in Eccleſiis, ſed ſtent ab aliis ſeparatæ, auctoritatemq́; habeant condemnandi eas, niſi eorum præceptis paruerint, vſque in libras decem applicandas pro Tertia Communi; pro tertia Rectori exigenti, & pro alia ipſis officialibus. Et teneatur D. Capitaneus ad eorum requiſitionem fieri facere omnem executionem realiter, & perſonaliter contra eas procedendo, detinendo, & grauando ad eorum libitum.

FINIS PRIMI LIBRI.

STA-

STATVTORVM
Liber Secundus.

DE IN IVS VOCANDO. I.

SVPERIORE libto publicorum munerum Tractatu abſoluto; In præſenti ciuilium Iudiciorum, Contractuum, ac ſimilium materiam aggredi propoſuimus; & quia Iudiciorum principiũ ab ea parte proficiſcitur, quæ de in Ius vocando dicta eſt. Ideo congruũ videtur primò citationum ordinẽ hic ponere. Quam liber igitur primam citationem in maioribus cauſis pro die ſecunda, ſi iuridica fuerit, aliàs pro prima iuridica ſequenti fieri volumus; præterquàm de Forenſe, qui pro quarta die, ſi iuridica, vt ſupra, fuerit, aliàs pro ptima ſequenti iuridica citari debear. In aliis verò cauſis exe cutiuis, & arbitrariis dumtaxat exceptis, fiat citatio pro prima die iuridica: Aliæ verò citationes ſucceſſiuæ ad quemlibet actum fiant die etiam nõ iuridica pro altera ptima iuridica. In executiuis verò, ac arbirrariis quamlibet citationem fieri poſſe diſponimus pro die qualibet etiã feriata, non tamen in Honorem Dei, de quibus Titulo proximo; & Tirulo De exec. inſtr. latius dicemus. Semperq; fiat citatio perſonaliter, vel domi ſolitæ habitationis citandi. Vbi verò Forenſis, vel non habens habitationis domũ in Iuriſdictione dicti D. Capitanei citãdus eſt, fiat dicta citatio per publicum præconẽ ſono tubę præmiſſo apud columnã plateæ dictæ Ciuitatis cũ cædula, vt infra, quam relaxare teneatur valuis D. Capitanei; pupilli aurem domi eorum ſolitę habitationis citentur al ta, ac intelligibili voce, eorumq; agnari, cognati, amici, vicini, omnesq; debentes, vel vo lentes eos defendere. Et in cauſis maioribus, & minoribus habeat Nuncius ſemper binã cędulam citatoriam literis aptè cõpoſitis, & intelligibilibus continentem nomen eius, ad cuius inſtantiam fit citatio, & quo nomine, & coram quo, & pro qua die, & hora; Item quis, & quo nomine citetur: Item ad quẽ actũ, & ipſius Nuncij nomen; vnamq; citato, ſi perſonaliter inuenrus fuerit, dimittat; ſin ſecus domi ipſius relaxet alicui in ea habitanti: ar nemine habirante, vel habitante, recuſanteq; recipere oſtio dictę domus affigat, valuisq; Palatij dicti D. Capitanei, cũ Forenſis, vel, vr ſupra, habitationẽ non ha bens perſonalirer nõ reperrus, citatus eſt. Alteram verò Notario actuario reſeruandã re laxet, eiq; referat qũo, & quando citauerit: Qui Notarius à tergo dictæ cædulæ talẽ relationẽ annotare debeat: In executiuis verò vnica cædula ſufficiat, & modo prędicto ci tatio fiat, quę citato, vel eius domi dimitti debeat; & vbi in pręsẽti ſtatutorũ volumine de Forenſe mentionẽ facimus, de quolibet nõ ſuppoſito iuriſdictioni prędicti D. Cap. intelligi volumus: qui Forenſis cõparens teneatur ante omnia in Ciuitate Arretij locũ, vbi citari velit, eligere, idq; Notarius actuatius annotare debeat: quòd ſi Forenſis præfatus id facere prætermiſerit, valuis, vt ſupra, ad quoſcumque actus in ea cauſa neceſ-

ſarios, & etiam ad Sententiam citari poſſit,ac debeat: Vbi verò aliquem vigore librorum conueniendum citari contigerit,ſufficiat,ſi habeat Nuncius cædulã, in qua citandorum nomina ſint deſcripta: Item is,ad cuius inſtantiam fit citatio, & quo nomine, ac quo tempore,& ad quid,& quo nomine citatur,referatq; Notario actuario, qui cædulam ipſam pœnes ſe retineat,in qua relationem dicti Nuncij, & an perſonaliter, vel domi citatio facta ſit, deſcribere debeat; & vbi in prædictis librorum cauſis citantur hęredes, vel pupilli, ſeu etiam maiores,qui perſonaliter reperti non fuerint; ſed domi tantum citati, debeat citatio reiterari: Et ſi bina citatio contra tales hæredes,pupillos, ac perſonaliter non repertos requiratur; quę niſi facta fuerit cõtra tales, tanquam contra contumaces procedi poſſe prohibemus. Cum verò in quacumque cauſa aliquem tamquam hęredem citari contigerit,qui non comparuerit,vel ſe hęredem eſſe negauerit; tunc ij citentur, quibus prima ſucceſſionis cauſa delata eſt per binam cædulam; Quarum vna oſtio domus ſolitæ habitationis defuncti affigatur; Alteram verò Notario Actuario dimittat; relatione, vt ſupra facta, & annotata; nemine autem comparente, vel citato hæredem ſe negante fiat citatio per binam cædulam in vicinia ſolitæ habitationis defuncti prædicti, & per loca publica, & conſueta per bannitorem publicum,ac etiam valuis dicti Palatij, quibus vnam ex dictis cædulis relaxet,alteram, vt ſupra, Notario dimittat, qui relationem, vt præfertur annotare debeat, & nemine comparente,vel,vt ſupra negante,procedatur contra hæreditatem iacentem, cui detur Curator, qui, prout cauſæ qualitas requirit, modo prædicto citari debeat.

DE CAVSIS CIVILIBVS, ET EARVM COGNITIONE. VII.

OMNES ciuiles cauſas ſummarias eſſe decreuimus, quas in ſex genera diuidimus in Maiores,v3. Minores, Paruas, Arbitrarias, Executiuas, & vltimo loco librorum,quarum omnium cognitio,omniſq; Iuriſdictio Iudici,ſeu Aſſeſſori præfati D.Capitanei tantùm attributa ſit, prout præſentibus ſtatutis diſpoſitum eſt. Maiores cauſas dicimus omnes continentes ſummam,vel æſtimationem librarum quinquaginta,& ab inde ſupra dempta dum tamen executiuæ nõ ſint,de quibus infra ſubiiciemus: In quibus quidem maioribus cauſis ordinem ſequenti Titulo deſcriptum obſeruari volumus. Minores verò cauſas eſſe decernimus à quinquaginta libris infra vſque in vigintiquinque,vel vbi alicuius ſtatuti conditio intentatur non declarãtis cauſam ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu,& figura iudicij cognoſcendam eſſe,ſeu cauſam ipſam eſſe executiuã: In quibus cauſis minoribus procedi diſponimus,prout in maioribus prædictis; vna tamen die dempta ex qualibet dilatione tàm partibus,quàm iudici præfixa. Paruas verò dicimus à libris vigintiquinque vſque in decem, & etiam minorem ſummã à maiori dependentẽ,vel vbi capturę tenutarũ,ſequeſtrorũ, vel cuiuſcumque realis grauamenti quęſtio eſſet; In quibus paruis cauſis modo,quem ſtatim ſubiicimus procedi volumus, v3. Petitione producta aduerſario duo dies tantum iuridici præfixi ſint ad excipiendum;& petenti vna dies etiã iuridica ad replicandum, quibus tribus diebus vtilibus elapſis ſtatim intelligatur præfixus terminus actori trium dierum vtilium ad iuſtificandum; Reo verò duorum ad impugnandum; quibus elapſis ſtatim ipſo iure alij quinque diẹs vtiles ad cauſam expediendam, & ſententiam in ea proferendam iudici præfixi ſint. Vbi verò alicuius grauamẽti,aut capturæ perſonalis quæſtio eſſet, procedatur ſummariè, de plano,ſine ſtrepitu, & figura iudicij qualibet die feriata etiam in Honorem Dei. Ipſamq; Iudex expedire teneatur infra quindecim dies à die factæ

petitionis

petitionis ſub pœna librarum quinquaginra; pro tribus quartis Conſeruatoribus Legum Ciuitatis Florentiæ; pro alia quarta accuſanri applicanda,& nihilominus inſtãria non pereat, ſed infra quinque dies ſequentes cauſam expedire poſſit, & debeat ſub eadem pœna: Et ſi in ea Sapientis conſiliũ petitum fuerir ſecundũ illud pronunciare infra duos dies à die redditi Conſilij, quod infra decem dies reddi debeat. Poſſit autem quælibet partium Sapienris Conſilium petere infra dies quinque ad iuſtificandum, & impugnandũ, vt ſupra aſſignatos,& eo modo,de quo infra ſub Titulo De ſapien. conſ. peti:idq; Iudex concedere teneatur, & illud pronunciare infra terminũ tunc dictorum quinque dierum: ſibi tamen liceat tempus ad pronunciandum præfixum per duos tantum dies vtiles prorogare. Executiuas autem cauſas eſſe dicimus omnes cauſas inſtrumentorum guarantigiatorum,vel vim guarantigiæ habentiũ ex forma noſtrorum ſtatutorum: In quibus executiuis cauſis ordo debeat obſeruari,de quo infra ſub Rubrica De execut.Inſtr. Arbitrarias verò cauſas eſſe declaramus à decem libris infra,quæ à maiori ſumma nõ depẽdeant, niſi pars alia dictæ ſummæ iam terminata eſſet, ac finita,vel abſoluta: Et intelligatur reus à maiori ſumma abſolutus eò quia minor ſumma ab eo petitur: In quibus arbitrariis cauſis procedi debeat, ac poſſit omni tempore etiam feriato in vtilitatem hominum, illaſq; Iudex cognoſcere, & terminare debeat de plano, ſine ſtrepitu,& figura iudicij per ſummarias probariones,iuramenti delationẽ, & aliter prout dicto iudici videbitur,& placebit,& à tali terminatione,ſententia, ſeu præcepto appellari,ſeu de nullitate dici,vel opponi agendo,vel excipiendo, ſiue Conſilium in dicta cauſa peti non poſſit. Teneaturq; Iudex cauſam expedire infra decẽ dies continuos à die primæ citationis computandos,quibus elapſis inſtantia perempra ſit, ipſiuſq; Iudicis culpa perempta intelligatur, ſi ſemel requiſitus cauſam ipſam non expedierit. Librorum autẽ cauſas appellamus, vbi aliquid petitur vigore librorum quorumcũque Ciuium Mercatorum, aut Artificum Ciuitatis Aretij à quinque libris den: ſupra. Et quando citatus negauerit,aut terminum ad calculandum perierit, & in termino de calculo cum Actore ſe concordem non eſſe aſſeruerit: In quibus cauſis modum ſeruari volumus, quem infra ſub Rubrica De lib.ciui.mercat.& artif.ſubiiciemus.

DE CAVSIS MAIORIBVS, ET MODO, ET ORDINE PROCEDENDI. III.

ADVERSARIO in Ius vocato,vt ſupra Titulo primo poſuimus,eum vocari faciens in termino citationis libellum vni ex Notariis actuariis det, ac dimittat, in quo actionis nomen exprimere non teneatur, ſed cauſam petendi tantum, & factum; Ipſiq; cirato copiam petenti ſtatim copia libelli, & productorum decreta intelligatur, ſibiq; præfixus ſit terminus trium dierum vtilium ad reſpondendum, & omnes, & quaſcumque exceptiones dilatorias, peremptorias, ſeu mixtas ſibi competentes opponendum tàm contra petita, & producta, quàm contra producentem: Quibus productis in dicto termino Actori petenti earum, & in eis productorum copiam, vt ſupra, decreta ſit cum termino duorum dierum vtilium ad replicandum tàm contra exceptiones, quàm contra producta,& perſonam producentis: Quibus replicationibus productis copia, vt ſupra, petenti decreta intelligatur cum termino aliorum duorum dierum vtilium ad duplicandum,quicquid vult, & poteſt.Elapſis verò dictis ſeptem diebus vtilibus ipſo iure lis cõteſtata intelligatur, & pro legirime conteſtata habeatur. Iuramentum calumniæ,ſi expreſsè fuerit petitum, quandocumque præſtitum fuerit, ſufficiat, etiam ſi illud pluries expreſsè peti contigerit.

De omnibus autem, & ſingulis exceptionibus oppoſitis contra perſonas,& inſtrumenta in fine cauſæ cognoſcatur, nec per eas, earumue alteram proceſſus retardari,nec ordo ſupra,& infra poſitus minui,augeri, aut alterari poſſit. Litis conteſtatione,vt ſupra facta ipſis partibus octo dierum vtilium terminum ad poſitiones & Capitula, & Teſtes producendum præfixum eſſe diſponimus. Productis vero poſitionibus pars,contra quam producuntur, reſpondiſſe debeat infra tres dies vtiles dictorum octo dierum bina citatione,ac requiſitione in diuerſis,ac pro diuerſis diebus præmiſſa,quibus,ſi poſt dictorum trium dierum dilationem pars ipſa non reſponderit,poſitiones ipſæ pro confeſſis habeantur. Et ſi infra dictos octo dies per partes, vel aliquam earum Teſtes inducti fuerint, & ad iuramentum admiſſi, ipſo iure intelligatur parti producenti ipſos Teſtes aſſignatus terminus quinque dierum vtilium ad faciendum ipſos Teſtes deponere, & ad probandum, & probatum habendum per Teſtes tantum, ipſiſq; quinque diebus elapſis præfati Teſtes eorumq; dicta, & atteſtationes pro publicatis habeantur, dictoq; termino quinque dierum elapſo; ſi pars, contra quam Teſtes examinati fuerint prima die iuridica ſequenti non dixerit ſe velle ipſos Teſtes ciuiliter reprobare, ſtatim vtriq; parti ſtatutus ſit terminus trium dierum vtilium, vt infra ſubiicitur, ad inducendum, & producendum. Si verò dixerit, ſe velle, dictos Teſtes reprobare,eidem præfixus ſit terminus quinque dierum vtilium ad reprobandum ipſos Teſtes,& reprobatos habendum: Quorum Teſtium dicta publicata intelligantur ſtatim, ac ipſo iure facta eorum examinatione intra dictos quinque dies. Et ſi pars, contra quam examinati fuerint reprobatorij Teſtes, ipſos ſe reprobare velle dixerit prima die iuridica ſequenti, eidem præfixus ſit terminus trium dierum vtilium ſequentium ad eos ciuiliter reprobandum, & reprobatos habendum; eorumq; dicta publicata intelligantur ſtatim eorum examinatione intra dictos tres dies vtiles facta. Quòd ſi dicti termini reprobatorij calumnioſè petiti fuerint, pars petens alteri parti libras decem pœnæ nomine ſoluat, aliter vltra non audiatur; Calumnioſè q; petiti intelligantur, ſi pars petens Teſtes infra dictum terminum non produxerit. Sed ſi pars, vt ſupra, id ſtatim non dixerit, vtriq; parti intelligatur aſſignatus terminus trium dierum vtilium ad inducendum,& producendum. Et ſucceſſiuè alij termini,vt infra dicendi contra inducta, & ad allegandum, ſapientiſq; Conſilium petendum. Si verò neutrius partis Teſtes iurati fuerint, illicò elapſis dictis octo diebus ad probandum præfixis proceſſus publicatus intelligatur, & aſſignatus terminus trium dierum vtilium vtriq; parti ad inducendum, & producendum omnia iura, & documenta. Et quia contingere poſſet aliquem litigantium velle Teſtes extra iuriſditionem dicti Domini Iudicis degentes in cauſa inducere, dictoſq; terminos, vt ſupra, præfixos non ſufficere, tunc præſente aduerſario, vel citato, factaq; iudici narratione per volentem dictos Teſtes inducere quos ipſe habet extra dictam Iuriſditionem: quos Teſtes debeant per nomina propria ipſorum Teſtium, ac patrum eorumdem, & per locum originis, ac habitationis exprimere, iuramentoq; præſtito, quòd animo calumniæ, dilatandiq; iudicium id non facit, Iudex ipſe ſuo arbitrio dilationem ſtatuat ad huiuſmodi Teſtes inducendum, iurariq; faciendum: quam dilationem prorogare, vel aliam concedere valeat, quando Teſtes nominati à producente à loco, in quo eos eſſe præſumeret, ab eſſent; quo minus examinari, vel iudicio adeſſe poſſent: Cuius quidem rei cognitio Iudicis arbitrio remittatur. Dilatio autem, & prorogatio prædicta calumnioſè petita intelligatur,ſi in termino per Iudicem,vt ſupra, ſtatuto pars,quæ id petiit,ipſos Teſtes non induxerit,aut ſi eorum Dicta,& Atteſtationes ad cauſam non faciant,ſeu,ſi ipſi Teſtes nihil ſe ſcire depoſuerint:& ipſo facto ſi qui talem dilationẽ petiit, vltra pœ-

nam

nam periurij, incidat in pœnã librarum viginti denariorum. Quarum medietatẽ Iudex compellat eum ſoluere Communi Arretij: Aliam verò aduerſario, dictamq́; pœnam non ſoluens nullatenus audiatur, proceſſusq́; in eius fauorem factus modo aliquo non valeat; ſufficiat tamen ſi dictas libras viginti pœnes Camerarium gabellæ Arretij deponat citato aduerſario, eo etiam non comparente, vel recipere recuſante. Prędicta autem dilatio in Inſtantia cauſæ non computetur. Petens verò dilationem prædictam Teſtes ipſos infra terminum ſibi aſſignatum examinari faciat, ipſisq́; examinatis prima die Iuridica ſequenti præſente, vel citato aduerſario ipſo Iure Teſtes prædicti, eorumq́; Dicta publicata Intelligantur, & pro publicatis habeantur, & tunc ſuccedant alij Termini de quibus ſupra: At ſi contigerit, Teſtes, quos aliquis ex litigantibus examinari facere deſideraret, impeditos eſſe, vel excuſabiles ad Inſtantiam talis petentis in Terminis ſupra præfixis, Dominus Iudex prædictis ſeruatis; Iuramentoq́; vt ſupra præſtito, quòd ſint impediti, vel excuſabiles; ita quòd non poſſint, eoſúe non deceat coram præfato Iudice comparere, dilationem, vt ſupra ſtatuat competentem; citatoq́; Aduerſario literas remiſſorias clauſas, ſuoque ſigillo munitas ad vnum, pluresúe dictorum Teſtium Iudices dirigat inſertis in eis capitulis, ac aduerſæ partis Interrogatoriis, ſi ea in termino ſibi aſſignato pars produxerit, moneatquè partem aduerſam pro qualibet die, & hora ad videndum dictos Teſtes ad Iuramenta recipi, & admitti. Producto verò examine in tra dictam dilationem aduerſario citato, vel præſente ipſo Iure tales Teſtes, eorumq́; Dicta, & Atteſtationes prò publicatis habeantur. Et ſucceſſiuè currant alij termini, vt ſupra aſſignati. Remiſſio autem prædicta intelligatur calumnioſè, vt ſupra petita pœna impoſita, ac audientia denegata in omnibus, & per omnia, vt ſupra prędictaq́; dilatio in Inſtantia non computetur. Si quis verò ex litigãtibus aſſerens ſe habere Inſtrumenta, ſeu alia documenta extra dictam Iuriſditionem intra dictos tres dies vtiles ad inducendum præfixos præſente Aduerſario, vel citato maiorem dilationem petierit, præſtito per eum, vt ſupra, Iuramento, quòd non animo calumniæ, aut litem protelandi id faciat, Iudex ipſe dilationem ſuo arbitrio aſſignet, quam prorogare valeat, vbi Inſtrumenta, & documenta, vel ea retinentes à loco, in quo ipſa, vel ipſos Comparens eſſe pręſumeret, abeſſent; cuius rei cognitio ipſi Iudici conceſſa eſſe intelligatur. Is autẽ, qui talem obtinuerit dilationẽ, calumnioſè petiiſſe intelligatur, ſi in dicta dilatione Inſtrumenta, ſeu documenta ad cauſam facientia non produxerit, & in omnibus, ac per omnia, præiudiciis, pœniſq́; prædictis afficiatur, & contra eum procedatur, prout ſupra de Teſtibus diſpoſuimus; dicta etiam dilatio in Inſtantia cauſæ non computetur: facta autem Iurium productione intra terminum ſupraſcriptum Aduerſario intelligatur ſtatutus terminus duorum dierum, vt ſupra, vtilium ad opponendum contra Inducta, & producta. Dilationibus verò præmiſſis, vt ſupra tranſactis, illico litigantium cuilibet intelligatur pręfixus terminus trium dierum vtilium ad allegandum, & petendum ſapientis Conſilium, ſi quis illud petere voluerit: Quod Iudex ad petẽtis Inſtantiam omnino concedere teneatur, & ſecundum illud pronunciare, debeatq́; ſalarium declarare, & tàm partes, quàm etiam ipſe Iudex pro dicto Conſilio habendo modum, ac formam obſeruare teneantur, de qua infra Titulo De ſapient: conſ: petit. At ſi contigerit exceptionem excommunicationis, banni, aliaſúe ſimiles exceptiones in quacumque parte per aliquem ex litigantibus opponi, dilationes, & termini vt ſupra præfixi non currant; ſed cauſa in eo ſtatu, quo tempore propoſitæ exceptionis reperitur, ſedeat, quouſq́; per Iudicem ſuper exceptionibus prædictis fuerit pronunciatum, quod facere debeat infra decem dies continuos à die propoſitę exceptionis, quibus elapſis intelligatur dicta cauſa ſopita, & opponenti ſuper exceptione propoſita perpetuum ſilentium impoſitum; liceat

liceat tamen ſuper tali propoſitæ exceptionis Articulo cuilibet partium ſapientis Conſilium petere, quod concedatur ſeruata forma, de qua in Titulo prędicto de ſapient: cons:petit:& ſecundum illud prima die, qua ſibi fuerit pręſentatum intra tamen dictos dies decem Iudex pronunciare debeat. Dilationes omnes, vt ſupra, litigantibus præfixas peremptorias eſſe decernimus, eaſq; etiam partium conſenſu prorogari, aut quoquo modo ſuſpendi prohibemus, nec aliam, vel ſecundam, vel tertiam dari concedimus. Si verò per partes, vel earum alteram ſapientis Conſilium petitum non fuerit, dictiq; tres dies vtiles ad illud petendum præfixi elapſi ſint; intra duos dies vtiles tunc ſequentes Actor teneatur Acta cauſæ cum omnibus productis ipſi Iudici pręſentare, qui poſt dictos duos dies vtiles, infra decem dies etiam vtiles pœna periurij, & librarum quinquaginta den: pro medietate Cõmuni Arretij ſoluendarum, pro quarta verò Accuſatori, & pro alia parti aduerſæ; in dicta cauſa diffinitiuam ſententiam clarè, ſimpliciter, & diffinitiuè abſoluendo, vel condemnando proferre teneatur: Quam pœnam idem Iudex ipſo facto incurrat, ſi per euin ſteterit, quo minus, vt ſupra, ſententia fuerit prolata, & per ipſum intelligatur ſteriſſe, ſi à partibus, earumúe altera infra dictos decem dies vtiles bis diuerſiſq; diebus requiſitus fuerit, vt cauſam ipſam modo prędicto expediret. Poſſit tamen præfatus Iudex, ſi id ſibi neceſſarium videbitur, pręfatos decem dies vtiles prorogare per quatuor alios dies etiam vtiles, intra quos, niſi vt ſupra, diffinitiuè cauſam expedierit, incidat in pœnas prædictas, & contra eum, vt præmiſſum eſt, præſumatur. Dilationes, & termini ſuprascripti tàm partibus, quàm Iudici Inſtantiæ Cauſæ præfixi intelligantur, quibus elapſis Inſtantia ipſo Iure perempta ſit.

DE EXECVTIONE INSTRVMENTORVM. IIII.

DEBEAT quilibet Notarius ad aliquod Inſtrumentum faciendum vocatus præſentis ſtatuti Auctoritate contrahentibus pręcipere, vt omnia in Inſtrumento ipſo contenta obſeruent; quod pręceptum in Inſtrumento apponatur, factumq; præſumatur, & habeatur pro appoſito. Ad executionem autem modo infraſcripto procedatur. Reo citato vna die pro altera, ſi fuerit principalis, ſi verò hæres, vel Fideiuſſor pro ſecunda die, productoq; Inſtrumento per Creditorem, vel eius Ius habentem corã Iudice, ſi reus ipſe citatus terminum ad opponendum non petierit; & terminus in Inſtrumento appoſitus ſit elapſus, & ſi appoſitus non fuerit, intelligatur incontinenti aduenisſe, lecto Inſtrumento illico intelligatur commiſſa executio: Ipſeq; Iudex debitorẽ, eiuſq; Hęredes, & ſucceſſores, & quemcumque obligatum compellat contenta in dicto Inſtrumento Creditori, vel Ius ſuum habenti obſeruare, damnaq; expenſas, & intereſſe Iuramento petẽtis, & cõgrua taxatione præmiſſa declarata pręſtare, eidemq; pręcipiat, ne diſcedat, & ipſum creditore inſtante detineri faciat, & carceri mancipari: Nec non Miles, & quilibet alius carceris cuſtos eum debeat intra dictos carceres detinere pœna librarum decem den. die qualibet, qua, vt ſupra, eum in carceribus non tenuerit ipſo facto illi ſoluenda, in cuius fauorem executio, vt ſupra, commiſſa eſt, vel mittat Iudex petentem in poſſeſſionem bonorum debitoris, eiuſq; Hęredum faciendo debitorem ipſum, & Hæredes eius banniri; ita quòd efficaciter compellatur ad obſeruandum in Inſtrumento contenta modis prædictis, eorumúe altero, prout petitor voluerit, fieriq; elegerit, & Notarius Actuarius debeat grauandi licentiam ipſi Creditori, vel Ius, vt ſupra habenti date. Si verò citatus terminum petierit, & fuerit principalis, eidem ſtatutus ſit terminus ad primam, ſi verò hæres, vel fideiuſſor ad ſecundam ad excipiendum. Nil tamen opponi, dici, allegariúe poſſit agendo, vel excipiendo ciuiliter, vel criminaliter,

ex quo executio prædicta retardetur, vel retardari poſſit, niſi opponatur exceptio ſatisfactionis, vel falſitatis, aut erroris Notarij, vel compenſationis de liquido ad liquidum, de quo appareat Inſtrumentum, vel aliud vim habens guarantigię: quas exceptiones, vel alterã earum debeat opponens intra octo dies continuos à die propoſitę exceptionis numerandos probare, nec prædicta ſatisfactionis exceptio probari poſſit, niſi per Inſtrumentum quietationis, vel Abbreuiaturæ petiti debiti cancellati de creditoris voluntate, vel per ſcripturam ſolutionis, ſeu quietationis manu ipſius creditoris ſcriptam; quicumque autem oppoſuerit exceptionem ſatisfactionis, ſeu aliam, ob quam executio debiti petiti retardetur, ipſamq; non probauerit in ſolidis centum den: par: vt infra applicandis condemnetur. Si verò falſi, vel erroris exceptionem oppoſuerit, eamquè infra octo dies non probauerit, condemnetur in libris vigintiquinque den: pro dimidia Communi Arretij pro ſupellectilibus, ſeu vtenſilibus Palatij D.P. pro alia verò Creditori, vel ius ipſius habenti ſoluendis, nec debitor audiatur ſuprascriptas exceptiones, vel earum aliquam obiiciens, nec executio retardetur, niſi quantitatem, vel rem petitam depoſuerit in capſa, ſeu Archiuio Fraternitatis Sanctæ Mariæ Miſericordiæ de Arretio, ſeu in manibus Camerarij Communis Arretij, & ſi quod petitur, deponibile non ſit, teneatur idem obiiciens vnum vel plures fideiuſſores dare de illum repræſentando intra carceres, ſi in probatione oppoſitæ exceptionis infra dictos octo dies defecerit: fideiuſſores autem prædicti, niſi ipſum, vt promiſerunt, cum effectu repræſentauerint, ad duplum, eius, quod petitur, teneantur: liceat tamen dicto debitori ſub fida cuſtodia ſuiſquè expenſis in Palatio dicti D. Capitanei permanere tempore, quo, vt ſupra, probandi facultas ſibi conceſſa eſt: Et poſſit, ac debeat Iudex ſuper prædictis omnibus, & ſingulis intendere, & diffinire intra octo dies continuos non tamen in Honorem Dei feriaros poſt præſentationem Actorum ſibi factam, quę petens ipſe infra duodecim dies à die petitionis computandos exhibere debeat, aliàs Inſtantia ſibi pereat, & ad expenſas ipſi Reo reficiendas teneatur iuxta tamen taxationem per Iudicem faciendam, quam infra Triduum facere debeat, nec audiatur, niſi eis per ipſum dicto Reo ſolutis. Quod ſi Iudex non fecerit, Inſtantia pereat, & per ipſum ſtetiſſe intelligatur, ſi bis pro diuerſis diebus requiſitus infra dictos octo dies non expedierit. Si verò requiſitionem ipſam petens facere neglexerit, Inſtantia ſibi pereat, & reo ad expenſas, vt ſupra, taxandas, ac ſoluendas teneatur: quibus non ſolutis nullo modo audiatur. Iudex autem prædictus, vt ſupra requiſitus, niſi expedierit cauſam ipſam, vltra periurij pœnam incidat in pœnam librarum vigintiquinque den: ipſi petenti ſoluendam, & ad expenſas, & damna teneatur modo, ac forma, prout ſupra eo libro, ac primo capitulo diſpoſuimus. At ſi exceptio propoſita probata non fuerit, Iudex depoſitum creditori cum effectu dari faciat, & fideiuſſores vnum, pluresúe, vt ſupra, ad ſoluendum cogat; Teneaturquè Creditor ſemper de eo, quod ſibi ſolutum fuerit, ſolutionis Inſtrumentum facere. Si verò debitor elegerit, vt ſupra detentus ſtare finitis octo diebus, de quibus ſupra, niſi probauerit exceptionem ab eo, vt prædicitur, propoſitam, Iudex debitorem ipſum in carceres detrudi, ſeu immitti faciat, & detineri ad creditoris voluntatem diebus feriatis, vt ſupra, non obſtantibus. Opponens verò ſatisfactionis exceptionem, ſi illam infra terminum, vt ſupra præfixum non probauerit, Iudex ipſum cogat vltra id, quod debet, ſoluere creditori ſolidos duos den: pro qualibet libra ſui crediti, vel valoris, ſeu æſtimationis, & tantumdem pro vtenſilibus Palatij D.P. omniq; caſu quando Actor, qui contraxerit, ſuccubuit, cogatur ſoluere ipſi Reo cum effectu expenſas duplicatas per Iudicem taxandas, & tantumdem Communi Arretij. Cæterum, ſi obiiceretur Inſtrumentum guarantigiæ, vel vim guarantigiæ habẽs vſurarium eſſe, nihilominus ad executionem, vt ſupra procedatur;

procedatur; nec propterea executio retardetur ſaluo iure debitori repetendi à ſe excepτum nomine vſurarum : Quo caſu is, contra quem dicta vſurarum exceptio oppoſita fuerit, prius idoneè caueat de reſtituendo à ſe exactum in euentum probationis, & latæ ſententiæ ſuper vſuraria prauitate . nec dicto caſu opponi poſſit exceptio compenſationis ex aliquo capite coram Iudice competenti ; eadem quoq; forma, vt exequendi modus obſeruetur, ac fiat in condemnationibus, ſententiis, præceptis, reuocatione bullettæ, ſeu licentia grauandi, de qua ſupra libro primo ſub Rubrica de off. mil. Idem etiam in laudis, ac arbitriis, niſi per appellationem, vel nullitatem pendeat, idq; in teſtamentis, & omnibus vltimis voluntatibus, affictibus, cenſibus domorum, & apothecarum penſionibus, dirictis, ſalariis, mercedibus, cautionibus, vel apoliſſis manu propria ſcriptis, quę omnia habeantur pro guarantigiæ inſtrumentis, ſicq; bona, perſonas, & hæredes debitorum obligent, vt guarantigiæ inſtrumēta, & bona intelligantur obligata in caſibus ſupradictis : Pro recognitione verò cautionis, & ſcripturæ manu propria modus, de quo infra ſequenti Tit. obſeruetur. Præterea quilibet forenſis, qui obligatus eſt alicui Ciui, vel Comitatino Cortynarum, ſeu Capitaneatus Arretij per inſtrumentum, vel ſcripturā manu debitoris factam poſſit, ac debeat realiter, vel perſonaliter detineri in Ciuitate Arretij quibuſcumq; diebus, ac etiam in Honorē Dei feriatis, dummodo dictis diebus in Honorē Dei feriatis poſt Nonā capiatur, & detineatur ad petitionē creditoris, donec de dicto debito ipſi creditori ſatisfecerit, nec contra tale inſtrumentū, vel ſcripturā obiici poſſit, niſi ſatisfactionis, vel falſi, ſeu erroris, aut cōpenſationis exceptio, vt ſupra: Quę ſi fuerint oppoſitæ, vel altera earū, debeat fieri depoſitum, & alia ſeruari, & procedi, ac probari, vt ſupra dictū eſt; prædicta tamen non vendicent ſibi locum in iuribus ceſſis Forenſibus, vel à Forenſibus cōtra alium Forenſem, Item liceat cuilibet Ciui, vel Comitatino Arretino petere à debitore ſui debitoris, & contra eum, eiuſq; hæredes, & bona agere; eademq; executio cōtra debitorē debitoris fiat, quæ contra principalem debitorē fieri debet, ſi vterq; ipſorū ex guarantigia, vel vim guarantigię habentem teneatur abſque aliqua principalium debitorum excuſſione, dummodo exceptiones reales, & perſonales, quæ impedirent illum, ex cuius iure, ſeu obligatione agitur, impediant ſic petentem; & prædicta locum habeant, & intelligantur, ſi talis debitor, contra quem competebat huiuſmodi exceptio, ſe fecerit debitorem alicuius, poſtquam talis exceptio cepit cōpetere contra eum. Item habentes tenutam in bonis ſuorum debitorum vigore inſtrumenti guarantigiæ, vel vim guarantigiæ habentis, de ipſa tenuta inuiti extrahi non poſſint ; niſi eis ſoluatur per debitores ipſam tenutam recuperare volentes totum debitum; ſi talis, contra quem petita eſt executio, fuerit perſonaliter citatus, prout infra ſub Rubr. De cont. & primo decr. Quo caſu ſi debitor creditori ſatisfecerit, pro eo anno talis creditor fructus pro rata temporis, ac ſui crediti lucretur. Item omnes debitores banniti ex inſtrumento guarantigiæ, vel vim guarantigiæ habente rebanniri non poſſint, niſi de debito cum ſuo creditore cōuenerint, Item ſi quis bannitus pro debito deſcendente ex inſtrumento guarantigiæ, vel vim guarantigiæ habente velit carcerem intrare, vt pro tali debito ſtet detentus, ibiq; manere, & introierit, ac continuè ibi ſteterit pro debito prædicto, ſeu re, pro qua bannitus eſſet, huiuſmodi bannum de tali debitore factum reuocetur, & rebanniatur; poſtitq; (ſi iura ſua experiri voluerit) audiri, liceat inſuper cuicumque bannito pro debito venire, & manere in Ciuitate Arretij liberè, & palàm toto tempore infraſcriptarum feriarum, v z. Die Sancti Ioannisbaptiſtę cum decem præcedentibus, ac decem ſequentibus: Die S. Donati cum octo præcedentibus, & totidē ſequentibus. Item feriis Paſchalibus, & vigilia Natiuitatis Domini, ac tribus diebus Pentecoſtes: Die ſolemnitatis Corporis

Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti: Diebus Nundinarum, ac die omnium Sanctorum: Aliis verò diebus feriatis capi, detineriq; poſſint non obſtante lege aliqua, vel ſtatuto: Diebus etiam Dominicis, & Feſtiuis. Item quilibet Nuncius ad executionem deputatus ex quacumque cauſa poſſit, ac debeat cuicumque debitori, contra quem grauamen commiſſum fuerit, dicere, vt eat ad curiam, & coram milite exequente; & talis,cui,vt ſupra dictum fuit,captus intelligatur & teneatur, ſe infra tres dies tunc proximè ſequentes perſonaliter, & vt captus coram dicto milite præſentare, aliàs quibuſcumque diebus feriatis etiam in Honorem Dei capi poſſit, poſt Nonam tamen, vt ſupra dictum eſt. De prædictis autem concordia inter debitorem bannitum, eiusq; creditorem fieri valeat ante condemnationem, quæ concordia, ſi facta fuerit, idq; iudici conſtet, non poſſit exinde debitor condemnari,& nullus minor vigintiquinque annis poſſit petere reſtitutionem in integrum contra inſtrumenta celebrata ea ſolemnitate, de qua Titul. De obligat. mino. ſi tunc maior erat quindecim annis. Mulieres autem, niſi publicæ ſint meretrices, carcerari prohibemus: ſupraſcriptum capitulum in qualibet ſui parte ſit præciſum, ita quòd mutari, corrigi,vel interpetrari non poſſit; nec Dominus Capitaneus, eiuſúe Iudex poſſint dare aliquam licentiam, vel ſecuritatem, ſeu alicui debitori aliquem terminum concedere,niſi de voluntate creditoris proceſſerit, pœna, & banno centum librarum den: pro qualibet vice, quas libras centum Camerarius de ipſius D.Capitanei ſalario debeat retinere, ſi contrafactum fuerit:Prædicta omnia, & ſingula locum habeant in præteritis, præſentibus, ac futuris, & in ſupraſcriptis omnibus, & ſingulis procedatur ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & quocumque tempore, quibuſcumque Feriis in vtilitatem hominum inductis non obſtantibus.

DE CAVSIS LIBRORVM CIVIVM, MERCATORVM, ET ARTIFICVM. V.

QVAELIBET ſcriptura in libro rationum Ciuium,Mercatorum,ſeu Artificum ſcripta manu etiam alterius ex ſociis, qua cõtinearur ab eis, eorumúe ſociis, vel ipſorum nomine rem aliquam,vel pecuniç quantitatem in ſocietate quacumq; de cauſa recepram contra ſcribentem, ſocios, eorumq; hæredes probet, ac ſi eſſet guarantigiæ inſtrumentum, & in omnibus, ac per omnia, vt inſtrumentum per Iudicem executioni mandetur: Idemq; ſeruetur in ſcripturis ſuorum ſcribarum, & factorum, & quilibet manu propria ſcribens ſe aliquid alteri debere ex quacumque cauſa, illud teneatur integrè obſeruare, ac ſi ex inſtrumẽto guarantigiæ id probaretur; & hoc quò ad perſonas ſcribentes, earum hæredes,& bona locum habeat,non tamen reſpectu bonorum præiudicet habenti bona ex inſtrumento guarantigiæ,vel habente vim guarantigiæ obligata,& pro ipſo debito poſſit,ac debeat perſonaliter detineri,vel realiter grauari,donec quæ ſcripſerit, cum effectu obſeruauerit. Et prædicta omnia in præſentibus, præteritis, ac futuris locum habeant: Debeatq; Iudex omni iuris remedio huiuſmodi debitorem. eiusq; hæredes medio iuramento compellere ad reſpondendum, an dicta ſcriptura manu dicti debitoris ſcripta ſit. Et ſi talis ſcribens, eiuſúe hæres bis domi, aut ſemel perſonaliter citatus ſuper dictæ ſcripturç recognitione, & tàm ſua, vel eius,cuius dicitur, manu ſcripta reſpondere neglexerit, talis ſcriptura pro confeſſa, & recognita habeatur. Si verò negetur, dicta ſcriptura manu illius,cuius dicitur,ſcripta eſſe, ſufficiat probatio per cõparationem literarum ſcriptarum, vel ſcribendarum manu illius,à quo dicitur ſcripta eſſe,etiam abſque eo,quòd non eſſet teſtium ſubſcriptio-

ne annotata; Iudexq; eum debeat ad ſcribendum compellere, qui ſi non ſcriberet, vel ſcribere non poſſet, quia defunctus, abſens, vel aliter eſſet impeditus; Iudex compellat filios, vel hæredes, & alios quoſcumque, contra quos dictæ ſcripturę executio petitur, & pœfies quem rationum liber eſſe dicitur per eum ſcriptus, qui ſcripturam illam feciſſe aſſeritur, ad talem librum producendum, qui niſi producatur pro parte eius, contra quem executio petitur, & dicatur, ſcribentem ipſum librum rationum non habuiſſe, vel pœnes ſe non eſſe, & probetur per tres teſtes bonę cõdictionis, & famæ, qui cognouerint illum, cuius manu ſcriptura eſſe dicitur, ac depoſuerint, ipſum veriſimiliter librum habere debuiſſe, & quod dicta ſcriptura videtur eis ſcripta manu illius, qui eam ſcripſiſſe aſſeritur, dictę ſcripturę plena fides adhibeatur. Si verò non probetur, ſcribentem ipſum librum rationum habuiſſe, adhibeat Iudex octo homines bonę conditionis legere, ac ſcribere ſcientes, qui ſcribentem ipſum cognouerint, & plures eiuſdem ſcripturas viderint: & ſi præfati octo homines, vel maior eorum pars dixerint ſcripturam ipſam manu eius, cuius dicitur, ſcriptam fuiſſe, dictæ ſcripturæ indubitata fides adhibeatur; Ipſamq; debeat Iudex prædictus executioni mandare, tanquam ſcripturam propriam eius, cuius manu ſcripta eſſe dicitur. Idemq; fiat, & obſeruetur in qualibet ſcriptura priuata etiam in fauorem tertij, ad cuius inſtantiam facta dicitur. Præterea, vt libri Ciuium, vel Mercatorum, ſeu Artificum tàm prædictæ Ciuitatis, quàm etiam Cortynarum dicantur, & ſint legales, legaliter tenti, ac ſcripti, diſponimus; vt eſſe debeant benè, apteq; ligari habentes cartas ordinatas, ſignatas, & in prima carta inuocato Dei Auxilio annotari debeat, cuius ſint, & ad quid, ſeu quæ ſcribenda fuerint ordinati. Item an nomine proprio, vel ſocietatis, & inter quos: Habeantq; dicti libri Mercatorum, & Artificum alium librum, qui dicitur Il Giornale etiam bene ligatum, vt ſupra habentem cartas ſignatas, in quo ſeriatim, & continuatè ſcribantur data, & accepta, ponaturq; dies, Menſis, & Annus; & dicti libri concordare debeant cum ſupraſcripto libro vulgariter nuncupato Il Giornale; ſintq; dicti Mercatores, & Artifices deſcripti in aliqua ex Artibus dictę Ciuitatis; & tàm, qui ad pręſens deſcripti ſunt, quàm de cætero deſcribendi proprio iuramento promittere debeant de ſe legaliter exercẽdo, & benè, ac iuridicè ſcribendo, nec non ſtatuta Ciuitatis prædictæ obſeruando, taleq; iuramentum, & promiſſio in libro receptionis deſcriptionis annotetur per Camerarium, vel Rectorem dictæ Artis. Et nihilominus arbitrio Dominorum Conſulum pro tempore exiſtentium relinquatur, an fides talibus libris debeat adhiberi. In quibus cauſis librorum prędictorum modo infraſcripto procedi volumus. Citato Reo modo, & forma, prout ſupra de in Ius vocan. compareat Actor in termino, & oretenus petat ſimpliciter rem, vel quantitatem ſibi debitam, exprimatq; cauſam, quare librum, ac partitam, vel partitas tàm principales, quàm relatas, & cauſas producat realiter; Quæ omnia Notarius actuarius in ſcriptis debeat annotare. Reus verò per ſe, vel procuratorem ſpecialiter ad hoc conſtitutum, vt in Tit. de iis, qui alie. nom. interu. ſimpliciter reſpondere teneatur confitendo debitum, & petita per actorem, aut petendo terminum ad faciendum cum dicto actore calculum, & ſoluendum, aut negando debitum, & partitam, ac petita per actorem; Reo per ſe, vel procuratorem, vt ſupra confitente, vel terminum ad calculandũ petente ipſo iure ſtatutus ſit ei terminus quinque dierum, ſi petita quantitas librarum quinque ſummam non excedat, & à quinque ſupra terminus ſit decem dierum, vt diximus infra Tit. De Confeſ. & quibus finitis actori petenti Notarius teneatur apodiſſam grauandi dare. Et ſi citatus fuerit contumax, & dicatur, etiam ſi procurator comparuerit, non tamen habens legitimum mandatum, vt ſupra, vel non produxerit ipſo facto Notarius Bãci teneatur Bullectã actori dare citatum grauare faciendi;

etiam

etiam quod contumacia accuſata non appareat; & ſi dictus reus non propoſuerit querelam, quod non ſunt concordes, ipſe, & Actor infra præfixum, vt ſupra, terminum, tunc eo elapſo Notarius Banci teneatur dare licentiam, ſiue bullettam Actori faciendi dictum reum grauare, ſaluo tamen iure dicto reo oſtendendi iura ſua, ſi qua haberet contra dictum Actorem, etiam ſi exiſteret in carceribus. Si verò reus negaret debitum petitum, cuius quantitas librarum quinque ſummam non excederet in vna partita ſola in aliquo ex dictis libris ſcripta, aut in pluribus partitis ad vnam ſummam reductis non excedentibus ſummam librarum quinque per ſe ipſas, quòd eo caſu Iudex teneatur, & debeat infra duos dies à die talis petitionis factæ ſententiare, & decidere dictam cauſam cum illis terminis, & modis, & expenſarum refectione, prout eidem Domino Iudici videbitur, & placebit; à qua quidem ſententia non poſſit appellari, nec reclamari, aut de nullitate dici, vel opponi, ſed plenam iuris obtineat firmitatem, vt ſupra, Titulo ſecundo diximus. Et ſi quis ſummam diuiſerit in fraudem huius ſtatuti, cadat à ſuo iure, quod haberet contra illum, à quo peteret. Si verò ſumma, quæ peteretur, excederet ſummam librarum quinque, & per eum negaretur, ſtatuimus, quòd Iudex vlterius non procedat, ſed ſtatim ipſo iure ipſa cauſa deuoluta eſſe intelligatur Conſulibus, de quibus ſupra præcedenti libro, & per eos cognoſcatur, & terminetur; & Notarius ipſe ſcribere prædicta teneatur, poſtquam pars petens, vel ſe defendens alteram citare faciat pro vna die terminata coram dictis Conſulibus, & in termino teneatur comparere, & ſimpliciter narrare, quæ facta ſunt coram Iudice, vt conſtat ex Actis Notarij Banci, & producere libros ſuos, ex quibus cauſa pendet, & petere dictam cauſam, & differentiam terminari per dictos Conſules, qui Conſules audita petitione petentis, & viſis iuribus ſuis per eum productis, & auditis obiectionibus, & iuribus productis aduerſæ partis, moneant partes litigantes ad audiendam eorum pronunciam ad certam diem determinatam; & interim ad docendum de omni eorum iure, ſi quid vltra dicere, vel docere volunt: Et ſic in termino dictæ monitionis debeant dicti Conſules, dictam cauſam expedire, & terminare, vel ſaltem infra terminum decem dierum eis ſtatutum ad dictam cauſam terminandam, niſi prorogatus fuerit per partes, & quæ prorogare poſſint, ſub pœna librarum quinquaginta denariorum, in quam ipſo iure intelligantur incurſi dicto termino etiam prorogato elapſo, ſi dictam cauſam non expedierint, & Iudex poſt lapſum dictorum decem dierum ex officio Conſules præfatos, ſi huiuſmodi cauſam neglexerint, vt ſupra, terminare, teneatur, & debeat incamerare per ſimplicem cædulam in Camera Communis Arretij in dictis libris quinquaginta; Cuius pœnæ medietas ſit dicti Communis, & pro vna quarta parte Actoris; & pro alia quarta parte Rectoris totam pœnam ſolui facientis: Et nihilominus liceat Actori reiterare iudicium, prout à principio fecerat forma præſentis ſtatuti ſeruata, vt ſupra. Si verò aliquis ex ſupradictis vellet facere conuenire aliquem de Cortynis coram Milite Capitanei ex ſupradictis cauſis, vel altera earum, liceat eidem hoc facere, dummodo clarè dicat, & ponat quantitatem, quam petit, & ex qua cauſa eidem dicta quantitas debeatur, & librum, vel libros producat, & partitas, & in quo folio: & ſi ille de Cortynis conuentus compareret, & negaret coram dicto Milite, & quantitas petita ſummam librarum quinque non excederet, & quæ non dependeret à maiori ſumma, niſi eſſet pro reſiduo, quòd eo caſu dictus Miles poſſit, & debeat dictam cauſam cognoſcere, determinare, prout, & ſicut poteſt: Et Iudex, vt ſupra, vſque in dictam ſummam, vt ſupra diſpoſitum eſt, & cum obſeruatione omnium

H diſpo-

diſpoſitorum ſupra in eo caſu inter Ciuem, & Ciuem, & nullus poſſit ſummam diuidere in fraudem ſtatuti huius etiam in hoc caſu, & ſi fecerit, ab omni ſuo iure cadat, & ipſo Iure intelligatur eſſe, & ſit priuatus, & in eo amplius non audiatur. Si verò quantitas petita, vt ſupra, coram dicto Domino Milite excederet ſummam librarum quinque, & negata foret per reum, tunc cauſa deuoluta ſit ipſo Iure ad dictos Conſules, vt ſupra. Hoc addito, quòd dicti Conſules debeant dictam cauſam cognoſcere, & terminare infra decem dies vtiles à die factæ petitionis coram eis ſub pœna librarum quinquaginta, in quam ſe ipſo Iure etiam incurſos cognoſcant dicto termino elapſo, ſi cauſam prædictam non expedierint, applicanda, vt ſupra, & per Militem (vt dictum eſt de Iudice) per cædulam in dicta Camera mittere. Si verò dicti Conſules dictam cauſam non expedierint, liceat Actori iterum agitare contra eius debitorem. Si verò dictus reus de Cortynis conuentus coram Milite confeſſus fuerit petita per Actorem, teneatur Miles eidem præceptum facere, quòd ſoluat infra decem dies, & factum eſſe intelligatur, etiam ſi non apparet; & ſimiliter ſi diceret, ſe velle facere calculum cum Actore, teneatur ſtatuere ei terminum dictorum quinque dierum ad dictum calculum faciendum; & præcipere, quòd infra dictum terminum calculationis ſoluat, vt ſupra factum intelligatur: Quibus elapſis dictum reum grauari facere teneatur. Inſuper cum multi Ciues, & etiam de Cortynis homines credant facultates, & merces eorum in Ciuitate, vel Cortynis Arretij non ſuppoſitis Iuriſdictioni Ciuitatis Arretij, qui poſtquam debitum contraxerunt diuerſis ſubterfugiis, & latitationibus ſe à ſolutionibus huiuſmodi faciendis abſtinent in graue damnum, & præiudicium Ciuium, & Mercatorum, & Artificum prædictorum. Volentes igitur ſuper iis ſalubriter prouidere, ſtatuimus, quòd Iudex Domini Capitanei ad petitionem cuiuſlibet Ciuis, vel Comitatini Cortynarum Arretij ſoluentis grauedines in dicta Ciuitate Arretij, vel Florentiæ, vel Cortynis prædictis teneatur, & debeat quemcumque debitorem eius in dicta eius Iuriſdictione repertum de facto capi, & detineri facere, arreſtari, & ſequeſtrari quæcumque eius bona in dicta Iuriſdictione reperta pro quantitate, quàm dixerit dicto Iudici dictus Actor, & nulla alia Iuris, aut ſtatutorum ſolemnitate ſeruata, & ipſum debitorem mittere in carceribus, & in carceribus teneatur, & illum ibidem tenere, donec ſoluerit petita per Actorem, vel idoneum, & ſufficientem Fideiuſſorem coram Iudice prædicto de ſtando iuri cum dicto Actore, & iudicatum ſoluendo præſtiterit: Qui Fideiuſſor debeat approbari, vtrum ſit ſufficiens per dictum Dominum Iudicem, & intelligatur approbatus, ſi receptus apparet, & etiam teneatur dictus reus ſoluere dirictum, & capturam de eo factam; de qua præſtatione Fideiuſſoris debeat eſſe rogatus Notarius Banci cauſarum Ciuilium Communis Arretij, & etiam de omnibus aliis actis faciendis in prædictis, & circa prædicta, & in dicta cauſa; & non alius; & ſi alter eſſet rogatus ſit ipſo iure nulla dicta præſtatio Fideiuſſoris, & omnia inde ſecuta, & debeat Actor citari ad videndum dictum Fideiuſſorem præſtari, perſonaliter, vel ad domum eius ſolitæ habitationis, prout diximus eodem tit: de Intenſi: propè fi: Et dicta Fideiuſſione præſtita teneatur dictus reus ſtatim eligere locum, in quo, & ad quem vult citari, ſi Actor voluerit cauſam contra eumdem reum proſequi, & dicto Actori intimari facere. Quibus omnibus ſic factis, & adimpletis per dictum reum Miles teneatur per Apotiſſam Notarij Banci factam, & commiſſam per Iudicem, dictum reum relaxare à dicta captura, & Actor poſſit poſtea quandocumque infra quatuor menſes incipere, & poſtea proſequi huiuſmodi cauſam contra dictũ reum, & agere contra eum ad Bancum

Iuris coram Iudice proſequendo ordinem ſupradictum, prout diſponitur ſupra inter Ciuem, & Ciuem. Si verò dictus Actor fuerit negligens, & non inceperit cauſam infra quadrimeſtre prædictum, tunc, & eo caſu dictus Fideiuſſor ſit à dicta Fideiuſſione liberatus, prout diximus dicto Titulo de intenſin. Et lata ſententia contra ipſum reum, qui dederit Fideiuſſorem, exequi poſſit contra dictum Fideiuſſorem nulla facta citatione de ipſo Fideiuſſore. Si verò debitor Ciuis, vel Comitatinus in Iuriſdictione Domini Capitanei haberet bona etiam immobilia, citari debeat, prout diximus ſupra eodem libro Titulo de in Ius vocan. & in termino citationis Actor petat, vt ſupra diximus: & in termino citationis dicto reo non comparente contra eum procedatur tanquam contumacem, mittendo Actorem in poſſeſſionem ſuorum bonorum ſecundum quod Titulo de contum. & primo decr. diſpoſuimus. Si verò comparuerit, non audiatur, niſi primò, & ante omnia locum elegerit, vbi, & ad quem volet citari, & vt ſupra intimetur, & hoc facto audiatur, & proſequatur, & fiat ipſo comparente, prout ſupra diſpoſitum eſt, ſtatutum, & ordinatum in quolibet caſu inter Ciuem, & Ciuem ſecundum reſponſiones faciendas per dictum reum ſingula ſingulis congruè referendo: Et quòd in omnibus, & ſingulis cauſis librorum prædictorum ſeruari debeat in omnibus, & per omnia ordo ſupraſcriptus ſub pœna librarum quinquaginta, cuilibet contrafacienti modo aliquo, auferenda; cuius medietas ipſo iure intelligatur eſſe, & ſit applicata Communi Artetij; & vna quarta pars obſeruanti, & alia quarta Rectori totum ſolui facienti, & prædicta omnia, & ſingula extendi volumus, & extendimus ad ſcripturas, & cautiones priuatas.

DE FERIIS. VI.

IN Ciuilibus cauſis infraſcriptis diebus procedi prohibemus, quos feriatos eſſe, & pro feriatis haberi declaramus, videlicet. Omnes dies Dominicos; Dies omnes Apoſtolorum, & Feſtiuitatum Beatæ Mariæ Virginis; Quatuor Euangeliſtarum; Quatuor Doctorum Sanctæ Matris Eccleſię; omnes dies Veneris, & à Feſto Sancti Thomę vſque ad diem Circuncitionis incluſiuè, & quamlibet diem nonam Ianuarij cùm vno præcedente, & vno ſequente: Sancti Antonij: Sancti Sebaſtiani, & Conuerſionis Sancti Pauli: Die Beati Gregorij cuius corpus quieſcit in Eccleſia Cathedrali cum die præcedente: die Sancti Blaſij: Sanctæ Agathæ: Sanctæ Appolloniæ, & diem quamlibet vigeſimāſextam Menſis Februarij: Sancti Ioſeph: Sancti Benedicti: Diem Iouis ante Carniſpriuium vſque ad diem Cineris incluſiuè: A die Dominicæ Paſſionis vſque ad octauam Reſurrectionis: Diem Inuentionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis: Dies Rogationum tàm Aſcenſionem, quàm Pentecoſtem pręcedentium: Diem Aſcenſionis Domini: Dies Pentecoſtes cùm duobus ſequentibus: Diem Sancti Bernardini: Diem Sanctorum Laurentini, & Pergentini cùm duobus pręcedentibus, & vno ſequente: Diem Sancti Ioannis Baptiſtæ cùm vno præcedente, & vno ſequente: Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti: Sancti Bernardi: Sancti Auguſtini: & Decollationis Sancti Ioannis: Diem omnium Sanctorum, & ſequentem, qua fit mortuorum commemoratio: Diem Sancti Saluatoris: Sancti Martini: Sancti Clementis: Sanctę Catharinæ: Sancti Iacobi Interciſi: Sancti Nicolai: Sanctæ Luciæ; Tres dies pręcedentes Introitus, & dies Introitus D. Capitanei, & Dominorum Priorum, ac diem, in qua banniretur Conſilium de mane fieri. Ferias verò meſſium incipere volumus Kal. Iulij,

ac durare per totam diem decimam Menſis Auguſti. Vindemiarum verò die quintadecima Septembris, vſque ad quintamdecimam Octobris incluſiuè, niſi aliter per conſilium generale diſpoſitum fuerit. Dies verò ſupradicti in Honorem Dei, pro Nundinis, Meſſibus, ac Vindemiis ordinati obſeruentur etiam in cauſis coram Dominis Conſulibus vertentibus: In cauſis verò Criminalibus dies in Honorem Dei tantum attendantur. In executiuis autem cauſis, & aliis, prout præſentibus ſtatutis permittitur, Feriæ in Honorem Dei, ac Nundinarum prædictæ dumtaxat obſeruentur. Inſuper ſtatuimus, quòd tribus diebus Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti: Item die Sanctæ Circuncisionis, Epiphaniæ, Purificationis, Die Veneris Sanctæ Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti: Tribus diebus ſanctę eiuſdem Reſurrectionis: Die Admirabilis Aſcenſionis: Tribus diebus Pentecoſtes: Die ſolemnitatis Corporis Chriſti: Die Beati Ioannis Baptiſtæ: ac Sancti Martyris Donati: Die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis: Annunciationis, Natiuitatis, & Conceptionis eiuſdem: Diebus omnibus Dominicis: Diebus Nataliriis Apoſtolorum; Die omnium Sanctorum: Sanctorum Laurentini, & Pergentini, nullus audeat, aut quoquo modo præſumat in Ciuitate Arretij, nec extra dictam Ciuitatem per ſpatium brachiorum ducentorum bobus, aut bubalis iugum imponere: nec cum eis aliquid vehere, aut deferre, ſeu deferri facere per dictam Ciuitatem, aut prope eam, vt dictum eſt. Nec etiam quiſquam cuiuſuis conditionis exiſtat deferre, aut deferri facere poſſit ad dictam Ciuitatem, vel propè dictam Ciuitatem, vt ſupra, aliquam ſalmam licet paruulam infraſcriptarum rerum, videlicet, lignorum cuiuſcumque generis, Vuarum, Agreſti, Olei cuiuſcumque generis, Lapidum, Calcis, Arenę, Carbonum, Palearum, Ferri, panicalis, glandium, & guadi in panibus, ſub pœna librarum quinque den: cuilibet, vt ſupra contrafacienti. Id tamen locum non habeat in Mulionibus, ſeu Vecturalibus deferentibus merces in Ciuitatem, vel per Ciuitatem Arretij: nec etiam locum ſibi vendicet diebus Sabbathi, quibus fit Forum, vel Nundinarum temporibus, nec in ſeptima, octaua, & nona die Menſis Septembris: Simili quoque pœna plectatur, qui apothecam diebus prædictis modo aliquo apertam tenet, ac in ea per ſe, vel alium ſe exercet, vendit, aut emit aliquid, aut quoquo modo aliquem contractum facit, exceptis tamen Notariis, quibus liceat rogare Matrimonia, Tranſactiones, Paces, Treguas, ac vltimas voluntates. Declarantes inſuper, quod ſupra diſpoſitum eſt de Apothecis non aperiendis, locum in his non habere, qui ingreſſus eorum habitationis habent per Apothecas proprias, dummodo prædictis temporibus nil vendant, aut emant, nec ſe, vt ſupra, exerceant: Nec etiam quando die Sabbathi aliqua ex ſupradictis occurrerit, qua die in dicta Ciuitate non eſſet prohibitum Forum fieri: tunc enim Artifices apertas Apothecas retinere vendere, ac emere, vt eis viſum fuerit, & placebit non prohibemus: Forum verò die Sabbathi omnino fieri poſſe nolumus. Si eam euenire contigerit aliqua die ex tribus Paſchæ, Natiuitatis Domini Noſtri, ſeu die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis; Die Sancti Ioannis Baptiſtæ, ſeu Sancti Donati Martyris tunc Forum ſancimus poſſe fieri die Veneris proximè præcedentis. Quilibet autem tàm Capitanei, quàm Damnorum Datorum Notarius, ac etiam Officialis extraordinarius Ciuitatis Arretij de prædictis cognoſcere poſſit, & in pœnis, de quibus ſupra condemnare, & Miniſtri, Officiales, ac Famuli dictorum Capitanei, & Officialium poſſint, ac debeant contrafacientes prædictos accuſare, denunciare, inter quos locum habeat præuentio, & pœna à contrafaciente de facto exigi poſſit. Si verò in prædictis delinquens ab vno ex præmiſſis Rectoribus non fuerit condemnatus in tota quantitate dictæ pœnæ, eo caſu poſſit de eodem

dem delicto per alium ex pręmiſſis cognoſci, & condemnatio in reſiduo dictæ pœnæ ab eo fieri, de quibus omnibus, & ſingulis condemnationibus, quæ ex cauſis prædictis fierent, quarta pars ſit Communis Arretij: quarta Operæ Epiſcopatus dictæ Ciuitatis; quarta facientis de prædictis condemnationem; Reliqua verò Miniſtri, aut Famuli denunciantis, ſiue accuſantis. Statuimus inſuper nullum Ciuem Arretinum, aut Comitatinum Cortynarum Arretij, nec quemuis alium cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtat præter bannitum pro debito ciuili, vt ſupra eod. libro de execut. inſtrum. diximus poſſe, aut debere quoquo modo ex quacumque cauſa, commiſſione, mandato, vel pręcepto grauari perſonaliter, vel in bonis Ciuitatis Arretij, vel eius Cortynis directè, vel indirectè, occaſione, cauſa, ſeu prætextu alicuius debiti particularis perſonæ, aut alicuius vniuerſitatis, nec prætextu obligationis alicuius contractus, aut ſingularis, vel generalis obligationis de perſona, vel rebus factę infraſcriptis temporibus, immo in eis intelligatur pleno iure eſſe liberum, liberumq; habere ſaluum conductum cum omnibus, & ſingulis clauſulis, & aliis, quę in liberis, & ſaluis conductis apponi ſolent, aut poſſunt ſtando, vel veniendo Arretium, vel in Cortynas, & in eis ſtando, & ab eis, & eorum loco quolibet recedendo. Quilibet autem contrafaciens, incidat in pœnam librarum quingentarum den: de facto ſoluendarum pro medietate Magiſtratui Dominorum Octo Practicę Reipublicæ Florentinæ, & pro vna quarta parte D. P. Ciuitatis Arretij expendenda, ſeu conuertenda in ſuppellectibilibus, ſeu vtenſilibus Palatij eorumdem; & pro medietate reliqui, ſeu reſidui Operæ Eccleſiæ Cathedralis Arretij; pro alia verò medietate dicti reliqui accuſatori. Ille etiam, ad cuius inſtantiam contra prædicta fieret, aut factum fuerit, & ad eius inſtantiam factum præſumatur, incidat in pœnam librarum quingentarum ſoluendarum, vt ſupra, cum refectione damnorum, expenſarum, & intereſſe illi grauato realiter, vel perſonaliter, aut modo aliquo inquietato ad declarationem tamen, & taxationem Dominorum Priorum Populi Ciuitatis Arretij, & de prædictis volumus ſemper cognoſci poſſe nulla obſtante præſcriptione; & nihilominus quilibet Actus, qui contra prædicta fieret, ſit ipſo iure nullus non obſtantibus legibus, ſtatutis, pactis, conuentionibus, aut particularibus obligationibus quibuſcumque contra prædicta, & infraſcripta diſponentibus, quibus, & eorum cuilibet per hæc derogamus, & contra prædicta nullius eſſe momenti diſponimus, etiam ſi ſpecialiter de eis, aut eorum aliquibus mentionem fieri oporteret. Tempora autem, ac dies ſunt infraſcripti, videlicet. Tres dies Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum ſex diebus præcedentibus, & ſex ſequentibus; Tres Dies Pentecoſtes cum vno præcedente, & altero ſequente; Dies Aſcenſionis Domini cum pręcedente, & ſequente; Dies ſolemnitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti cum vno præcedente, & ſequente; Dies Beatorum Laurentini, & Pergentini cum præcedente, & ſequente; Dies Beati Ioannisbaptiſtę cum decem diebus præcedentibus, & decem ſequentibus; Dies ſolemnitatis Glorioſiſſimi Martyris Donati cum octo diebus pręcedentibus, & octo ſequentibus; Dies Aſſumptionis, & Natiuitatis Glorioſiſſimæ Virginis Marię cum tribus præcedentibus, & tribus ſequentibus; omnes dies Nundinarum cum duobus præcedentibus, & duobus ſequentibus; Dies Feſtiuitatis omnium Sanctorum cum vno die præcedente, & die, quo Defunctorum fit commemoratio; Dies Conceptionis Beatæ Mariæ; Tres dies Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum duobus diebus ſequentibus, & tribus præcedentibus; Omnes dies Dominici, Dies quælibet Feſtiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; Dies quælibet Feſtiuitatis duodecim Apoſtolorum eius; Quælibet dies Nona Ianuarij cum præcedente, & ſequente;

quælibet dies vigeſimaſexta Februarij cùm vno præcedente, & alio ſequente; Dies Iouis pinguis; Dies Carnispriuij cum vno præcedente,& alio ſequente; quælibet dies Sabbati, vel dies, in qua Forum, vel Mercatum, vt ſupra fieri ordinatum eſt;& quælibet nox; & nox intelligatur à ſolis occaſu vſque ad eius ortum; omnes, & ſinguli dies quadrageſimæ quouſque Veſperæ cantatæ fuerint,& omnes,& ſinguli dies, quibus bannitum fuerit debere fieri generale Conſilium Ciuitatis Arretij: quibus diebus illos tantùm,qui ſunt de Conſilio, liberos eſſe volumus. Item ſtatuimus, quòd omnes, & ſinguli dies,quos Magnifici D.P. Populi, & eorum Collegæ feriatos eſſe declarauerint, ac pronunciauerint, liberi ſint, & in eis, & eorum quolibet competat ſecuritas, ac ſaluus conductus modo,& forma;& prout in illis, quorum ſupra particularis mētio facta eſt: Quibus quidem Dominis Prioribus,& Collegis,ac duabus partibus ex eis liberam volumus facultatem eſſe ſtatuendi,ac pronunciandi omnes,& quaſcumque Ferias,ac dies feriatos,& in caſibus,ac cauſis quibuſcumque prout eis ſtatuendum videbitur.

DE CONFESSIS, ET TERMINO AD CALCVLANDVM. VII.

QVILIBET confeſſus, vel terminum ad calculandum petens,vel cui ad calculandum terminus ſit ſtatutus,ipſo iure habeat terminū quinque dierum ad ſoluendum,vel computum,ſeu calculum faciendum,& eo facto ad ſoluendum; ſi res, vel quantitas petita ſit librarum decem denariorū, & abinde infra. A decem verò libris ſupra terminum habeat decem dierum,quibus elapſis licentiā,ſeu apoſtiſſam grauandi, ſeu grauari faciendi realiter, vel perſonaliter, prout actor voluerit per Notarium actuarium dari poſſe, & debere diſponimus.

DE POSITIONIBVS, ET EARVM RESPONSIONIBVS. VIII.

TENEATVR quilibet Ius dicēs in Ciuitate Arretij de qualibet cauſa cognoſcens veritatem omnibus, quibus poterit modis perſcrutari, & inquirere, & litigantes porrectis ſuo tempore poſitionibus ad reſpondendum ſimpliciter clarè, & diſtinctè compellere, non obſtante quòd poſitiones dicerentur impertinentes, implicitæ, vel non admittendæ: Quæ diſcuſſiones diſputationis tempore conſeruatæ intelligantur. Tempore autem, quo ipſis poſitionibus reſpondetur, abeſſe debeant aduocati, & procuratores tàm actoris, quàm rei, quando principales perſonæ per ſe ipſas reſpondent; Debeatq; primò reſpondere principalis, quando eſt præſens in Ciuitate Arretij, vel propè eam per decem milliaria, & admoneatur reſpondens medio iuramento, quam pœnam incurreret, ſi poſitionem veram negaret, quæ admonitio ſemper facta intelligatur. Concedat tamen Iudex, ſi congruum ei videbitur, tempus ad deliberandum, ſi dubitationis cauſa emerſerit; & maximè vbi poſitio factum continet alienum: vbi verò proprium continet factum illico, & antequam à Tribunali diſcedat,partem ad reſpondendum compellat: Et ſi citatus bis tamen in diuerſis, & pro diuerſis diebus cum cædula comminatoria eidem domui ſuæ habitationis dimiſſa, vel ſaltem ſemel perſonaliter non reſponderit, habeantur ipſo iure pro confeſſatis: ſi autem fuerint poſitiones implicitæ, ſeu duplices, teneatur ipſe Ius dicens ex officio ſuo ipſas diuidere, ſicut de iure viderit conueniens.

DE TESTIBVS. IX.

NOTARIO Teſtium dicta recipienti ſcribere non liceat talis teſtis dixit,ſeu depoſuit, ſicut talis; ſed omnium, & ſingulorum teſtium dicta diſtinctè ponat,ac per ſe ſcribat diem, quo teſtes iurauerint,& diem examinationis,ſeu depoſitionis, & examinari poſſint die qualibet etiam in Honorem Dei feriata, dummodo tempore debito iurauerint. Iudex verò cauſæ ſemper eſſe debeat cum Notario ad teſtium examinationem, ipſosq; diligenter examinare, ac cuiuſlibet teſtis dictum diſtinctè ſcribatur; non autem per hæc verba dixit, contenta in Capitulo vera eſſe, vel per verba ſimilia. Inſuper interrogare, omniq; diligentia teſtes examinare in cauſa ſcientiæ: Contrafacientes autem in prædictis, vel eorum aliquo ſolidorum centum vice qualibet pœna puniatur: Dictusq; Notarius copiam dare debeat publicatarum atteſtationum eius manu propria ſubſcriptam; Quod ſi facere nollet,aut non poſſet, quę libet partium per ſe vel alium, copiam ipſam extrahere,vel extrahi facere poſſit,& dictus Notarius teneatur libros accommodare ad cuſtodiam balitorum abſque alio ſalario; & dicto caſu cuilibet partium liceat recipere copiam per quemcumque Notarium voluerit ſoluendo tertiam partem ſalarij de ipſis copiis illi, qui copias extraxerit, & omnis copiam faciẽs, ſeu deſcribens teneatur, ac debeat ponere in quolibet folio vigintiquatuor virgulas,& in qualibet virgula tot literas, quot tenetur ex forma ſtatuti, loquentis de exactionib.per Notarios faciendis.

DE SAPIENTIS CONSILII PETITIONE. X.

QVILIBET Ius dicens in dicta Ciuitate Arretij in qualibet cauſa Sapientis Conſilium habeat,ſi dubium aliquod in dicta cauſa emerſerit,& de hoc à partibus fuerit requiſitus,communibus expenſis,vel ſi ab vna ex his partibus ſuis tantum expenſis, ſuſpectis dictis partibus, vel alteri ipſarum ſemper remotis,& ſecundum illud Conſilium pronunciare. Si verò pars aliqua diceret ab aliquo proceſſu facto ſe grauatam; & peteret Sapientis Conſilium, teneatur talis Ius dicens, coram quo quæſtio fuerit, ſuſpectis remotis, conſilium habere expenſis petentis, & ſecundum illud in quolibet caſu pronunciare: Quod ſi non fecerit, & vlterius proceſſerit, proceſſus ſit ipſo iure nullus: Et quilibet Conſilium petens ſuper interlocutoria teneatur cauſam grauaminis declarare infra tertiam diem poſtquam Conſilium petitum fuerit; & ex cauſis allegatis, vel earum aliqua; non autem ex alia cauſa debeat Conſultor reſpondere, ſeu conſulere, vtrum is grauatus fuerit. Ipſo autem Conſilio in qualibet cauſa petito teneatur vtraq; pars infra duos ſequentes dies continuos confidatos, & ſuſpectos in cædula deſcriptos Iudici dare, & ſi in vno concordauerint, ille Conſultor electus intelligatur. Vbi verò per partes in dicto termino non fuerit concordatum, alterius partis cædula alteri detur, & quælibet de aduerſarij cædula duos eligat; Quorum fiant quatuor paruę cædulæ, & earum vna ſorte extrahatur: qui ſic extractus Conſultor, vt ſupra, intelligatur. At ſi per alteram ex partibus cædula Iudici non daretur, eligat ipſe Iudex in Conſultorem de cædula ſibi data vnum magis famoſum; & in omni caſu Conſultor ſecretò eligatur, & habeatur. Factaq; Conſultoris electione ſequenti die Iudex ſalarium declaret,illudq; pars Conſilium petens infra quatuor dies continuos deponat, infra quos acta omnino reſcontrari, omninoq; inſacculari debeant contumacia alterius non obſtante. Quam cauſam, &

& proceſſum ipſe Iudex infra tres dies conſultori ſecretò tranſmittere teneatur. Quòd ſi pars conſilium petens in terminis ſupradictis cædulam non dederit, ſalariumq; non depoſuerit, petitioni Conſilij renunciatum intelligatur, poſſitq; Iudex in cauſa procedere; non tamen poſſint partes litigantes, vel earum altera cogi ad aliquod ſalarium dandum pro habendo Conſilio niſi de partium voluntate proceſſerit, vel ſaltem de voluntate vnius partis totum ſalarium ſoluere volentis, vel niſi, vt infra Titulo de Appell. dicetur: Et ſi ſemel Conſilium habitum eſſet Communibus partium expenſis, vel alterius tantum aliud Conſilium peti non poſſit; & poſtquam Conſilium datum fuerit Iudici, vel Notario Actuario, illud dictus Iudex, vel Notarius nullo modo reſtituat Conſultori, ſed proceſſui dictæ cauſæ inſerat, taleq; Conſilium ſit de proceſſu; Et ſemper, & in omni caſu Conſultor ſuper Interlocutoria teneatur Conſilium dare infra decem Dies. ſuper diffinitiua verò infra viginti dies à die præcepti, ſeu monitionis factæ perſonaliter, vel per Nuncium cum apotiſſa, ſeu literis Iudicis domi dicti Conſultoris relinquenda, quod ſi Conſultor non fecerit, perdat ſalarium, eiusq; Conſilium nec ceſſariò Iudex non ſequatur. Poſſit tamen in quolibet caſu maior dilatio concedi etiam ex officio, & quilibet Conſultor ſemper teneatur Iura & Doctrinas, quibus motus eſt, allegare: & quando eſt de Collegio Arretino, vel in dicta Ciuitate, ſeu Cortynis habitans, Notarius depoſitarius dictum ſalarium Conſultori non ſoluat, niſi poſtquam Cõſilium dederit pœna Notario contrafacienti decem librarum imponenda; quę Communi Arretij omnino ſoluatur, & à die Conſilij redditi ſaltem infra duos dies vtiles, vbi de maiori tempore per ſtatuta non eſt prouiſum, ſententia feratur.

DE INSTANTIIS CAVSARVM. XI.

DEBEANT quæcumque cauſę expediri, ac terminari intra tempora his noſtris ſtatutis appoſita: quæ tempora tàm cauſę, quàm Inſtantiæ, & ipſis expedire, ac terminare debentibus præfixa intelligantur, & ſint.

DE EXCOMMVNICATIS, ET EXBANNITIS. XII.

IVDEX non audiat aliquem Actorem excommunicatum, vel bannitum, vel condemnatum pro Maleficio etiam in contumacia, nec habentes Iura ceſſa ab eis poſt excommunicationem, vel Maleficium commiſſum, vnde ſecuta eſt condemnatio, vel bannum: ſufficiat tamen ſolutio, ac abſolutio quandocumque ante ſententiam, & tunc poſſit, & non aliter audiri.

DE NON DESCRIPTIS IN CATASTO, VEL IMMOBILIA NON POSSIDENTIBVS. XIII.

NVLLVS, qui non fuerit ſuppoſitus Capitaneo Ciuitatis Arretij, vel non deſcriptus in Cataſto eiuſdem Ciuitatis, vel Cortynarum eius, vel immobilem ſubſtantiam in aliquo ex dictis locis non poſſidens, poſſit agere contra aliquẽ Ciuem Arretinum, aut Comitatinum Cortynarum prædictarum, vel Capitaneatus Incolam aliqua Actione reali, vel perſonali, vel mixta, niſi primò, & ante omnia etiam nõ requiſitus ſatiſdederit, de Iudicio ſiſti, & de expenſis reficiendis in caſu ſuccumbentiæ, & in caſu reconuentionis, ſi Reus poſſet, aut vellet eum reconuenire; & quilibet actus,

qui

qui per eum fieret in Iudicio,niſi prędicta ſeruauerit, ſit ipſo Iure nullus, & præſtita ſatiſdatione, & fideiuſſione talis Actor, ſi non habuerit domicilium in dicta Ciuitate, vel Cortynis,vel Capitaneatu, etiam debeat eligere locum in Ciuitate Arretij, vbi, & apud quem vult citari,& requiri,ſi contigerit,quòd Reus voluerit eum facere citari ad quoſcumque Actus neceſſarios in Iudicio: quibus omnibus ſic factis,& adimpletis talis Actor gaudeat,& potiatur cunctis beneficiis ſtatutorum, quibus cæteri Ciues Arretini gaudent, & potiuntur. Prędictam autem ſatiſdationem facere non teneatur aliquis ex cauſa ſalarij Famulatus, baliatici, vel operarum, vel vbi miſerabilis perſona peteret,quæ,an ſit miſerabilis, Iudicis arbitrio remittatur, ſuſcepto prius dictę perſonæ Iuramento.

DE ADVOCATIS, ET HIS, QVI ALIENO NOMINE INTERVENIVNT. XIIII.

TENEATVR Iudex pœna periurij non habenti Aduocatum,vel Procuratorem, & ſibi dari petenti dare; peritosq; ſine iuſta cauſa recuſantes compellere cum effectu ad benè,legaliter,& fideliter Aduocationis,& procurationis officium pro eo exercendum in qualibet cauſa tàm ciuili, quàm criminali, & mixta ſub competenti mercede,& recuſantes, vel non ſe, vt ſupra exercentes punire, & condemnare in libris decem, vel vſque in quinquaginta pro modo contumaciæ, ac negligentiæ ipſorum, & prout Iudici viſum fuerit conuenire, & vbi in Aduocatis, ac Procuratoribus partium eſſet diſparitas ad Inſtantiam petentis idem Iudex,quàm melius poterit, & cognouerit conuenire,de ęquo,bono,& idoneo Aduocato,& Procuratore prouideat. Quilibet inſuper procurator,Syndicus,Tutor,Curator,Actor,vel Iconomus, & quilibet alius alieno nomine interueniens in quacumque cauſa, vt ſupra,ſiue à principio,ſiue in eius proſecutione, ſiue Actor, ſiue pro Reo compareat, teneatur primo actu realiter producere mandatum ſuum,Tutelam,Curam,& Actoriam,vel Syndicatum cum omnibus,& ſingulis ad legitimationem perſonæ talis comparentis pertinentibus ſaltem in publicis Abbreuiaturis alicuius ex Notariis Banci in officio tunc exiſtentis, vel in publicam formam alicuius alterius Notarij in Matricula Arretina non deſcripti, dummodo de eius legalitate,& fide per literas Teſtimoniales appareat, & talis producens teneatur in Actis dicere certum nomen Notarij, diem, Menſem, & Annum, quibus talia Inſtrumenta facta fuerunt,& aliter non audiatur & quilibet Actus aliter factus per eum non valeat, nec notificari poſſit per eum, cuius nomine interuenerit: quorum quidem Inſtrumentorum legitimationem perſonæ,vt ſupra, concernentium Notarius Actuarius teneatur dare copiam cuicumque volenti,etiam ſi nullo modo ſua intereſſe conſtiterit, & vbi poſt litem conteſtatam alter ex prædictis,vt ſupra nomine alieno interuenientibus quandocumque interuenerit, & mandatum ſuum, vt ſupra produxerit, ſit ſtatutus terminus ad primam Iuris parti aduerſæ ad opponendum contra producentem Inſtrumenta,eius perſonæ legitimationem concernentia,quorum cognitio, & deciſio in fine cauſę fiat,vt ſupra eod. lib.tit.tertio diximus. Vbi verò coniuncta perſona, vel aliquis alius à lege Mandatum habens interuenerit agendo, etiam non requiſitus teneatur vltra promiſſionem de rato vnum, vel plures, idoneum, & idoneos fideiuſſores præſtare quod is, pro quo interuenerit ratum,gratum,ac firmum habebit,quicquid per eum factum,geſtumq; fuerit,& aliter non audiatur.& quilibet Actus, qui per eum fieret, non valeat quoquo modo,& ſolutio facta tali coniunctæ perſonæ liberet ſoluentem;& obligatio tollatur: Teneatur tamen talis coniuncta perſona ſolutionem recipiens,vel recepiſſe

piſſe confitens, & quilibet fideiuſſor, vt ſupra, præſtitus alteri coniunctæ perſonæ, pro qua egit rationem reddere, & ſatisfacere: & procurator quilibet in cauſis librorum interueniens non audiatur & eius principalis contumax ſit, & habeatur, niſi mandatum ſpeciale habeat ad confitendum, vel negandum, ac terminum ad calculandum petendum, illudq́;, vt ſupra, producat.

DE CVRATORIBVS. XV.

PVPILLIS etiam infantibus, vt ſupra, citatis, ſi Tutore, Curatoreúe caruerint, moneat Iudex eorum proximiores, Agnatos, Cognatos, Amicos, ac Conuicinos, vt ipſis depetendo curatore conſulant, illumq́; Iudex Curatorem decernat, quem pupilli Conſilio dictorum proximiorum, vel maioris, ac ſanioris partis eorum, qui ſunt eis proximiores, vel ipſi proximiores Agnati, Cognati, Amici, & Vicini, cum infantibus Curator dari debeat, petierint. Si verò ipſi pupilli, & eorum, vt ſupra proximiores, Amici, ac Vicini non comparuerint, vel comparentes nullum Curatorem petierint, poſſit, & debeat Iudex ipſis, etiam inuitis, & abſentibus, legitimè tamen, vt ſupra, citatis, vnum, pluresúe Curatores bonæ conditionis, & famæ ad litem, ſeu ad lites tàm præſentes, quàm futuras decernere. Minoribus autem puberibus eum curatorem decernat, quem ipſi nulla etiam facta de proximioribus, ac aliis ſupradictis citatione petierint in termino eidem præfixo, aliter illum, quem Iudex idoneum exiſtimauerit ipſis etiam inuitis, & abſentibus, vt ſupra, decernat, quod ſiue agant, ſiue conueniantur, obſeruari volumus. Debeat etiam Curator ad litem, Tutorem, ſeu Curatorem generalem habenti, vt ſupra dari, his caſibus, quibus Iura Tutorem habenti ſpecialem Curatorem dari poſſe diſponunt: furioſiſq́;, ac Mentecaptis, aliiſq́;, qui ſuis negociis intereſſe non poſſunt; nec non abſentibus, & indefenſis, facta, vt ſupra, proximiorum, aliorumq́; prædictorum citatione, Iudex Curatorem ſimiliter decernat: Pro abſente autem, & indefenſo habeatur, qui, vt ſupra citatus ſpacio expectatus per ſe, vel alium legitimè non comparuerit: Iacenti etiã Hæreditati à præfato Iudice Curatorem decerni poſſe diſpoſuimus, ſi facta prius nominatim eorum citatione, quos proximè ſucceſſionis cauſa cõtingit, vt ſupra, Titulo de in Ius vocan. ac generaliter Præconis voce in contrata defuncti omnium, qui Hęredes eius eſſe volunt, vel pro Hęredibus reſpondere nullus comparuerit, vel comparentes in Termino eis præfixo dixerint, ſe Hæredes eſſe nolle, vel pro Hæredibus reſpondere, aut in dicto termino nihil reſponderint. Qui Curator omnibus prędictis caſibus nullo etiam facto Inuentario; Iuramento tamen ſecundum formam Iuris prę-ſtito, dataq́; cautione omnes Actiones intentare, ſeq́; defendere poſſit.

QVOD SYNDICI COMMVNIS POSSINT CONSTITVERE PROCVRATOREM. XVI.

QVILIBET Syndicus Vniuerſitatum, Villarum, Cortynarum, & Communitatis Arretij, & quilibet habens mandatum à lege poſſit ante litem conteſtatam, & poſt facere, & conſtituere Syndicum, vel procuratorem in omnibus, & ſingulis quęſtionibus, & cauſis coram quibuſcumque Ius dicentibus in Ciuitate Arretij, non obſtante aliqua lege, vel ſtatuto in contrarium loquente, & ſingulę perſonæ ſcriptę in Inſtrumento Syndicatus, ſiue Vniuerſitatis debeant, & poſſint conſtringi in perſona & bonis prodebitis contractis per eorum Syndicum, & contra eas res, bona, & Hæredes fiat executio ad voluntatẽ Creditoris modo, & forma, prout infra eod. lib. de exec. Inſtr.

gua-

guarantigiæ diſpoſuimus, & vbi in aliquo Syndicatu non eſſet appoſitum tempus, quo durare debeat, intelligatur ſolummodo durare per Annum, & non vltra.

DE COMPROMISSIS FACIENDIS. XVII.

SI aliqua quęſtio, lis, vel cauſa eſſet inter Patrem, & filium, vel filios, vel inter fratres, vel inter Patruos, & Nepotes, vel alios conſanguineos uſque ad quartum gradum incluſiuè ſecundum Ius Canonicum computandum, Iudex quocumque Iuris remedio opportuno etiam ex officio de facto cōpellere debeat tales litigantes, ſeu cauſā pertractantes, quòd de eadem, & emergentibus, connexis, & dependentibus ab ea effectualiter compromittant, & compromiſſum faciant de Iure, & de facto in vnum proximiorem eorum coniunctum, vel in duos coniunctos proximiores, aut in duos alios bonos Viros communiter à partibus eligendos, vel vnum à qualibet eligendum, & ſi pars vna petierit, in duos Doctores, & caſu quo dicti arbitri, & arbitratores diſcordes eſſent in ferendo laudum, teneatur Iudex prædictos litigantes ad Inſtantiam petentis cogere, quòd infra duos dies continuos à die factæ petitionis eligant tertium: Si verò non eſſent concordes in dicto termino duorum dierum Iudex debeat, & poſſit eligere tertium hoc modo, vʒ. Iudex ipſe opportunis Iuris remediis partes prędictas cogat ad dādum dicto D. Iudici in ſcriptis vnam cædulam continentem decem Nomina bonæ cōditionis, & famæ; & ſi dictæ partes eſſent concordes in vno, ille vnus in quo concordarent dictæ partes intelligatur eſſe, & ſit tertius: Si verò non eſſent concordes, tunc, & eo caſu teneatur, & debeat dare vni ex prędictis cædulam alterius, & è cōuerſo, & quę liber pars eligere debeat duo Nomina de cædula alterius, & ſic in totum quatuor nomina, de quibus quatuor Nominibus fieri debeant quatuor cædulę, quarum quælibet continere debeat Nomen vnius ex quatuor electis, & quatuor cædulę poni debeant ſecretò in quadam Burſa, ſeu pera, ex qua extrahi debeat vna dictarum quatuor cædularum per Iudicem, coram quo dicta quęſtio verteretur ſorte, & fortuna, & ille ſic extractus de dicta burſa, & qui in ea fuerit deſcriptus ſit, & eſſe intelligatur tertius Arbiter, ſeu Arbitrator, & poſſit, & debeat cogi ad dictum Compromiſſum acceptandum, & quouſq; illud acceptauerit, per dictum Iudicem: qui Iudex ad petitionem miſerabilium perſonarum etiam non coniunctarum cogere teneatur Aduerſarium ad compromittendum de Iure tantùm in decidendo, & de facto in procedendo; & quæ ſint perſonæ miſerabiles, arbitrio dicti D. Iudicis relinquimus. Arbitri, & Arbitratores, & tertius ſic electi in caſibus antedictis teneantur, & debeant, ſeu duo ex eis in concordiam exiſtentes iuxta formam Compromiſſi cauſam, ſeu cauſas terminare, & expedire per laudum. Quæ autem ſupra ſancita ſunt, locum non habeant in cauſis Inſtrumentorum guarantigię, vel habentium vim guarantigię, nec in Cauſis terminatis ſententia, laudo, vel arbitramento inter partes litigātes, & earum Hæredes tantùm; nec compromiſſum peti poſſit factis probationibus in cauſa, niſi contrarium de voluntate partium proceſſerit, & Inſtantia cuiuslibet Compromiſſi inter ſupranominatos facti duorum menſium ſpacio longior eſſe non poſſit, niſi aliter per partes pactum, vel conuentum fuerit: Præterea cum labor omnis premium deſideret, & Arbitri, & Arbitratores à ſuis diſcedant negociis, vt litigantium cauſas diligenter, & integrè audire poſſint, & eas debito fine terminare, quæ fieri nequeunt ſine eorum incommodo, & labore; idcirco decernimus, quòd Iudex cogere debeat partes compromittentes ad ſalarium deponendum pro mercede dictorum Arbitrorum, ſeu Arbitratorum, prout, & ſicut, & tantum, & quantum videbitur dicto Domino Iudici conſiderata qualitate facti, & quantitate rei, de

qua

qua agetur, & litigantium conditione: quod quidem depoſitum fieri debeat poſt triduum à die facti compromiſſi, & electionis tertij apud vnum ex Notariis Actuariis; quod ſalarium conſequi,& habere debeant dicti Arbitri, & tertius à dicto Depoſitario immediate poſt latum laudum ſine aliqua Iuris ſolemnitate, & nullo Iudicis præcepto præcedente, aut interueniente; ſed ipſo facto compelli poſſit dictus Notarius ad dictũ depoſitum dandum: Prædicta autem,quę dicta ſunt de electione tertij, & modo eligendi ipſum tertium,& de coactione, ac ſalario, locum habeant & obſeruentur in quocũque compromiſſo in poſterum faciẽdo inter quoſcumque, tàm de Iure,quàm de facto, quàm etiam de Iure,& de facto, quàm etiam aliter quomodolibet. A ſententiis autem laudis,Arbitriis, ſeu Arbitramentis Arbitrorum,ſeu Arbitratorum ſiquis appellare voluerit,aut de nullitate dicere,aut reclamare,aut ad arbitrium Boni viri recurrere;poſſit, & debeat non obſtante pacto,vel renunciatione aliqua in compromiſſo facta infra decem dies continuos à die lati laudi,ſeu Arbitrij,& ſententiæ,ſeu notificationis, vbi latũ eſt abſentibus partibus,vel earum altera,initiandos;& coram Iudice, & parte citata libellum producere,& coram Arbitris,vel arbitratoribus appellari, aut reclamari non ſit neceſſe,& procedatur ſecundum qualitatem,& naturam cauſæ, vt ſupra diximus, quæ laudi intimatio, vbi requiritur, fiat infra vigintiquinque dies à die lati laudi initiandos de commiſſione Iudicis,& manu vnius Notarij Actuarij,& per vnum ex Nunciis Communis Arretij,& in ſcriptis dimittatur,cui intimatur, & ipſo non reperto domi ſolitæ habitationis dimittatur, vel apud columnam per publicum præconem, & cum dimiſſione tenoris dicti laudi, quando non habet habitationis domum, vt diximus Titulo primo de in Ius vocan.& dicto termino elapſo,& vt ſupra, non notificato laudo, illud ſit nullum,executionemq;, aut obſeruantiam non habeat.

QVOD VICTVS VICTORI IN EXPENSIS CONDEMNETVR. XVIII.

IN omnibus cauſis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, & tàm principalibus, quàm Appellationum victus debeat victori in expenſis condemnari, ſiue ſententia feratur diffinitiua,ſiue non,niſi ex iuſta cauſa abſolui debeat,quam Iudex in sẽtentia exprimere teneatur: Si verò hoc prætermiſerit vice qualibet puniatur in centũ ſolidis Communi Arretij applicandis,& nihilominus victus pro condemnato habeatur, & ab eo dictæ expenſę peti,& exigi poſſint,ac ſi condemnatus fuiſſet:debeant tamen dictę expẽnſæ taxari per eum,coram quo quęſtio verteretur,vel per eius ſucceſſorem & pro legitimis expenſis habeantur,quæ ſolutę eſſent occaſione carceris,ſiue cuſtodum,vel Berroariorum, aut Nunciorum,& pro ſalario aduocatorum, Conſultorum, & Tabellionum pro ſcripturis,aliisq; Inſtrumentis,& pro mandato,& aliis, prout Iudici videbitur:quæ Taxatio fieri poſſit;& debeat per Iudicem ſupraſcriptum,locumq; habeant ſupradicta in cauſis principalibus,& appellationum calumniæ, vel cuiuſcumque generis Iuramento præſtito non obſtante;Teneaturq; Iudex coram quo quæſtio eſſet prædictas expenſas taxare infra tertiam diem, poſtquàm id ab eo petitum fuerit non obſtante, quòd à ſententia fuerit appellatum,vel de nullitate dictum, ſeu recurſum, à qua taxatione appellari non poſſit, nec de nullitate dici, nec Sapientis conſilium peti; & ſi dictus Iudex dictas expenſas,vt ſupra,non taxauerit,eas de ſuo reficere teneatur. Si quis autem tàm Principalis,quàm Procurator aliquem citari fecerit;& ſi citato in termino comparente ille non venerit, citato venienti expenſas Arbitrio Iudicis reficiat qualitate perſonarũ attenta; idemq; ſeruetur,ſi ille qui citari fecerit,comparuerit, & cauſa citationis fuerit,

friuola

friuola, vel inefficax, & Iudici videatur iniuſta: Prędicta autem Iudex faciat ſine aliqua petitione, vel ſcriptura, ſeu iuris ſolemnitate, nec audiatur, niſi prædictis expenſis ſolutis, vel depoſitis: hoc intellecto, quòd vltra expenſas expenſarum, expenſæ, quæ vlterius fierent, peti non poſſint, refici, vel taxari.

DE SENTENTIIS, ET LAVDIS. XIX.

IN Ciuilibus, Criminalibusq; cauſis tàm principalibus, quàm appellationum, ac nullitatum, & laudis de iure tantùm pronunciandis diffinitiuè, clarè, & ſpecificè pronuncietur, ita quod aliqua declaratione, vel liquidatione opus non ſit, & in ſcriptis ſententia recitetur infra tempora in ſtatutis præfixa, & per diffinientem manu propria ſcribatur, vel ſubſcribatur: & Capitanei Iudex, & appellationum, vel nullitatum Iudices, Conſultores, vel Aſſeſſores, & Arbitri de iure iudicantes teneantur infra octo dies à die latæ ſententiæ, vel laudi Notario de tali diffinitiua rogato in ſcriptis, & manu propria dare, dicere, & allegare iura, doctrinas, & quotas, quibus ad diffiniendum moti fuerint, ipſeq; Notarius cuſtodiat talem ſcripturam, & partibus, quarum intereſt copiam petentibus recepta competenti mercedę concedat. Pars autem ſententiam petens, vel laudum ferri, debeat omnino pœnes Notarium Actuarium, vel eum, qui ad laudum ſcribendum vocatus fuerit, ſalarium deponere; cuius ſalarij quantitatem quoad iuris Arbitros Iudicis declarationi committimus, prout ſupra diximus Titulo de comprom. quod ſalarium ſolui non debeat, niſi tantùm motiuis, vt ſupra datis.

DE APPELLATIONIBVS, ET NVLLITATIBVS. XX.

A QVALIBET diffinitiua ſententia, vel vim diffinitiuę habente, à qualibetq; pronuncia, præcepto, vel grauamine tàm in iudicio, quàm extra illato per Magnificum Dominum Capitaneum, vel eius Iudicem, aliumq; Officialem Ciuitatis Arretij tàm in cauſis Ciuilibus, quàm Criminalibus, & mixtis, ordinariis, vel executiuis appellare liceat ad Magnificos Dominos Priores Ciuitatis Arretij, coramq; eis dicere de nullitate infra decem dies, vt infra; ad eos namq; infraſcriptorum ſuorum Conſultorum Conſilio cognitionem primarum appellationum, & nullitatum pertinere compertum eſt. Ab interlocutoria autem non poſſit modo aliquo appellari, vel de nullitate dici, ſed ſi aliqua partium ſe ſenſerit grauatam, petere poſſit Sapientis Conſilium ſuis tamen expenſis cum beneficio repetendi in caſu victoriæ infra quinque dies, à die pronunciationis numerandos, & intra tres dies à die, quo dixerit ſe grauatam allegare cauſas grauaminis ſecundum quas, vel earum alteram teneatur Conſultor conſulere, & non ſecundum alias vllo modo. Iudex verò, coram quo cauſa verteretur, teneatur Conſilium concedere, & ſecundum illud pronunciare. Si verò ſecus factum fuerit, ipſa interlocutoria non valeat vllo modo: & ſi vlterius procedatur, ſit proceſſus ipſo iure nullus; Hoc ſemper intellecto, quòd ab interlocutoria lata de Conſilio Sapientis non poſſit vlterius per viam aliquam reclamari. Idcirco reformantes ea, quæ aliàs ſuper præſenti materia tradita ſunt, ſtatuimus, & ordinamus, quod Conſultores Magn. D.P. ſint, & eſſe debeant tres Doctores Ciues Arretini, qui imburſentur, & extrahantur, prout hactenus conſuetum, & ordinatum extitit; Quorum officium per ſex menſes duret, & pro eorum ſalario habeant pro quolibet eorum, & quolibet menſe libras duodecim à Camerario Doganæ præcedente tamen

ſtantiamento Mag. Dominorum Priorum, & Collegarum quolibet bimeſtri faciendo. Congregari autem debeant dicti Conſultores in Palatio D.P. in Auditorio appellationis ordinato pro cauſis, ſcilicet ciuilibus expediendis ſingulis diebus in dictis Ciuilibus cauſis, vt infra, iuridicis: Pro criminalibus verò ſingulis diebus in eis, vt infra, iuridicis, ſub pœna librarum vnius pro quolibet, & qualibet vice eiſdem de eorum ſalario auferenda, niſi ex iuſta cauſa impediti fuerint ad declarationem dictorum Dominorum Priorum, vel ab eis licentiam habuerint, ſedereq; teneantur ad bancum, & ibi permanere pro rebus ad eorum officium pertinentibus expediendis, quę omnia expedire valeant abſque præſentia D.P. præterquam ſententias diffinitiuas, vel vim ſententiæ diffinitiuæ habentes, quas proferre debeant D. P. de dictorum Conſultorum relatione; Vnoq; ex eis deficiente reliqui duo proſequi, facere, & interloqui poſſint: Et ſi per tres vices continuas aliquis defecerit, alius eius loco extrahatur: qui Conſultores, vel ſaltem duo ex eis teneantur ſub dicta pœna teſtes in cauſis iuratos examinare in Palatio ſecretè, & omnibus aliis remotis: Pro quibus quidem Conſultoribus omnino deponi debeant ſportulæ per partes, pro qualibet relatione in ſcriptis facta, & ſubſcripta manu cuiuſlibet ipſorum, vel ſaltem duorum ex eis modo, & tempore infraſcripto. Debeat namq; in Ciuilibus appellans omnino poſt litem conteſtatam infra duos ſcilicet dies vtiles terminorum in dictis Ciuilibus cauſis infra aſſignatorum ad probandum, poſitionesq;, & capitula, & teſtes producendum, & caſu quo neutra partium per teſtes ſe velle probare allegauerit infra tempus aſſignatum ad inducendum. In criminalibus verò infra decem dies continuos à die producti, vel reproducti libelli deponere in manibus Notarij Palatij, ſi cauſa ſcilicet fuerit librarum vigintiquinque, vel ab inde ſupra in quinquaginta libras quatuor, & ſolidos quinque in totum, & à libris quinquaginta vſque ad centum libras ſeptem, & à libris centum in ducentas, libras decem, & à libris ducentis in quingentas libras quatuordecim, & à libris quingentis vſque in mille libras viginti & vnam, & à libris mille, vſque in omnem ſummam libras vigintiquinque. In cauſis verò, vbi non eſt expreſſa quantitas, arbitrio Magnificorum Dominorum Priorum remittimus. Et ſi contigerit pronunciari per dictos Conſultores inſtantiam deſertam, aut peremptam, tunc dicti Conſultores habeant ſolum dimidiam ſportularum depoſitarum, & alia dimidia deponenti reſtitui debeat. Quod quidem depoſitum, ſi in aſſignato termino, & ſupradicto modo factum non fuerit, proceſſus ſit ipſo iure nullus, & ſententia prima executioni mandetur, ac ſi appellans appellationi renunciaſſet, quod feciſſe intelligatur. Suſpectos autem ex prædictis Conſultoribus per partes allegari poſſe decernimus dumtaxat conſanguineos, & affines vſque in tertium gradum ſecundum Ius canonicum, & Aduocatos, & patrocinantes in cauſa. Si verò in locum ſuſpecti alius extraheretur, ipſum aliud præterquam ſportulas conſequi poſſe nolumus ſalario ordinariè extracto reſeruato. Iuridicos dies pronunciamus in Ciuilibus cauſis tempore, quo ius redditur omnes dies Lunæ, & Iouis: In Criminalibus verò, & mixtis omnes dies Hebdomadæ etiam in Ciuilibus cauſis, & etiam in his Criminalibus, & mixtis olim feriatos, vt infra. Et ſi aduenerit, quòd aliqua ex dictis duobus diebus, vt ſupra, non eſſet iuridica, tunc prima iuridica immediatè ſequens in Ciuilibus, vt ſupra, iuridica ſit, ſingula ſingulis ſemper congruè referendo, niſi aliter per dictos Conſultores ex iuſtis cauſis dies non iuridica in Ciuilibus ſcilicet pronunciabitur. Tempus verò, & horæ, quibus ſedere debeant ſint à Kal. Nouembris, vſq; ad diem Cineris hora vigeſimaſecunda, & à dicta die, vſque ad menſem Maij vigeſimaprima, & à menſe Maij, vſque ad reliquum tempus hora vigeſima: Et ſi dicti

Conſul-

Conſultores defecerint, ſeu aliquis eorum defecerit in dicta hora adeſſe per Notarium Actuarium appunctetur in pœna, de qua ſupra, & ad dictam appunctationem faciendam dictus actuarius ſub eadem pœna teneatur. Volens igitur appellare, recurrere, reclamare, vel de nullitate dicere ab aliqua ſententia diffinitiua, vel vim diffinitiuæ habente, & ab aliquo præcepto, & grauamine, vt ſupra, lata per Mag. D. Capitaneum Ciuitatis Arretij, ſeu Officiales ipſius, vel alios Officiales dictæ Ciuitatis, vt ſupra, infra decem dies à die latæ ſententiæ, vel notificationis in ſcriptis appellationem porrigat coram Mag. Dominis Prioribus, libellumq; appellatorium, cauſas grauaminis, & & nullitatis continentem producat, & ſi in die feriata interpoſita fuerit, prima die iuridica ſequenti citata ſemper parte reproducatur, dictaq; appellatione interpoſita officiũ D. Capitanei, & ſuorum Officialium, vel aliorum Officialium Ciuitatis prædictę, à cuius, vel quorum ſententia, grauamine, vel pręcepto fuerit appellatum, recurſum, & de nullitate dictum omnino conquieſcat, & ligata ſit eius iuriſdictio in executione dictæ ſententiæ, & præcepti: Quæ appellatio, nullitas, & recurſus ſimili modo interponi, & infra tempora prædicta terminari debeat: & ſi intra tempora appellationis, vel recurſus, vel nullitatis dictionis, aut poſt aliquid factum fuerit in præiudicium ipſius, ſit id ipſo iure nullum. Quando autem contigerit appellari à præceptis, ſeu grauamine, debeat procedi, prout in cauſis ciuilibus à libris vigintiquinque, vel executiuis à libris quinquaginta citra: & qui petierit executionem ſententię, vel præcepti, à qua, vel quo fuerit appellatum, reclamatum, vel de nullitate dictum, vt ſupra, cadat ipſo iure à iure ſuo, & vlterius, incidat in pœnam librarum quinquaginta; pro dimidia Communi Arretij; & pro dimidia parti læſæ applicandam; & in eandem etiam incurrat Nuncius, ſi quoquo modo executionem fecerit, ab officioq; remotus eſſe intelligatur. Quam quidem appellationem præfati D.P. admittere teneantur, niſi talis ſit, quæ de iure prohibita inueniatur: & ſi pars aduerſa tempore producti, vel reproducti libelli propoſuerit, eam de iure prohibitam, & non admittendam, quo caſu intra tres dies vtiles, ſi cauſa fuerit valoris librarum quinquaginta, & abinde ſupra, & ſi minoris infra duos dies id docere debeat; quo termino elapſo appellatio prędicta ipſo iure admiſſa eſſe intelligatur, & ſi fuerit aliquid doctum pręfati D.P. infra duos alios dies vtiles declarare teneantur appellationem admittendam, aut non admittendam, vel cognitionem in fine cauſæ reſeruandam, à qua pronuncia appellari non poſſit, vel de nullitate dici, aut Conſilium Sapientis peti modo aliquo; & cauſas à libris quinquaginta ſupra maiores, infra verò minores in Ciuilibus appellamus. Admiſſa igitur appellatione, nullitate, & recurſu prædictis in Ciuilibus, vt ſupra ſtatutus ſit ipſo iure appellato terminus ad ſecundam iuris ad excipiendum, & appellanti ad primam ad replicandum, & ſimiliter appellato ad primam ad duplicandum, ſtatimq; lis pro conteſtata habeatur, & in maioribus cauſis ciuilibus, vt ſupra, terminus vtriq; parti quatuor dierum vtilium, in minoribus trium præfixus eſſe intelligatur ad probandum, poſitiones, capitula, & teſtes producendum, ſi per eos probare velle allegauerit, ad quam allegationem faciendam ſtatuta ſit prima dies iuridica ſubſequens: quibus elapſis duos tantum dies ad faciendum teſtes depoſuiſſe ambabus partibus aſſignamus, eosq; ſtatim pro publicatis haberi decernimus: & ſi aliqua partium, ſe velle reprobare teſtes propoſuerit, tres dies vtiles in maioribus, & in minoribus ciuilibus cauſis, vt ſupra duos vtriq; parti ad reprobandum, & teſtes deponi faciendum ſtatuimus; ad quam allegationem faciendam ſtatuta intelligatur prima dies iuridica ſubſequens: & teſtes, totumq; proceſſum pro publicato haberi pronũciamus, & duos dies tàm in maioribus, vt ſupra, ciuilibus, quàm in minoribus partibus ad inducendũ, & producendũ aſſignamus, & aliũ diem inde ſequentem ad

dicendum contra inducta concedimus, ſtatimq; in cauſa concluſum eſſe declaramus. Si verò neutra partium in dictis ciuilibus cauſis, ſe velle probare per teſtes in dicto termino allegauerit, ipſo iure ſtatutus ſit terminus duorum dierum vtilium vtriq; parti ad inducendum eorum iura cum vno ſequente ad dicendum contra inducta,& in cauſa concluſum eſſe intelligatur: Et ſi aliqua partium in huiuſmodi cauſis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, & mixtis dixerit, ſe habere teſtes, vel inſtrumenta extra Iuriſdictionem in termino probatorio in ciuilibus, vt ſupra, ſtatuto, & in criminalibus infra tres dies proximè futuros à die facti depoſiti ſportularum, vel infra tres dies termini aſſignati ad impugnandum reſpectiuè, & vt infra; Iurans, quòd citra calumniam, exprimens nomina, & cognomina teſtium, & locum, vbi habitant, producensq; capitula, ſuper quibus dicti teſtes examinandi ſunt, petensq; literas dimiſſorias cum termino ad faciendum illos depoſuiſſe, & examen reportaſſe, aſſignetur terminus, & ſi opus fuerit, prorogetur arbitrio ſupradictorum Conſultorum, qui quidem terminus nullo modo in inſtantia cauſæ ſiue ciuilis, ſiue criminalis computetur, vel numeretur: cum pœna tamen in criminalibus, vt in cauſis maioribus primæ inſtantiæ; & quando conſtiterit per calumniam petitum terminum, vt in dicto ſtatuto: A qua quidem aſſignatione termini, vel prorogatione ipſius appellari, de nullitate dici, & conſilium Sapientis peti nullo modo poſſit directè, vel indirectè; ſed ipſa interlocutoria exequatur omnimodo. Qui verò cauſam Sapientis conſilio iudicari vult, prima die iuridica poſt concluſionem in cauſa in ciuilibus tamen; In criminalibus verò prima die poſt diem trigeſimam incipiendo ſcilicet à die producti, vel reproducti libelli vſque ad diem primam termini Iudicibus aſſignati ad expediendam cauſam excluſiuè parte citata petere debeat, quod Conſultores concedant, & pro conceſſo habeatur, ita vt ſcilicet poſt currere incipiant termini ad proſecutionem ipſius aſſignati per ſtatutum de ſapien.conſ.pet. Elapſis autem dictis terminis cupiens ciuilem cauſam expediri infra tres dies vtiles citata tamen parte Dominis Conſultoribus actualiter totum proceſſum pręſentet, & ſententiam ferri petat: quo facto bis tamen, & diuerſis diebus requiſiti Conſultores, vel duo ex eis teneantur in ſcriptis infra tres dies D. P. referre tenorem per eos ferendæ ſententiæ manu Conſultorum dictorum ſubſcriptę pœna librarum vigintiquinque à quolibet, de ſalario cuilibet retinenda. Poſſint tamen dicti Conſultores propter cauſæ difficultatem eorum arbitrio declarandam, in ciuilibus prædictis cauſis dictum terminum per alios tres dies dumtaxat prorogare: In cauſis verò executiuis non excedentibus libras quinquaginta,& in non executiuis vigintiquinque poſſint dicti Domini Conſultores procedere viſa facti veritate, & eorum arbitrio, easq; expedire teneantur infra ſex dies vtiles à die producti, vel reproducti libelli appellatorij, ſub pœna librarum decem eis auferenda, vt ſupra, quem terminum prorogari poſſe nolumus, niſi per alios duos dies etiam de conſenſu partium, quibus elapſis ſententia prima maneat, & exequi poſſit. In cauſis autem librarum vigintiquinque, & citra, ſportulas dicti Conſultores nullo modo conſequantur: Siu verò executio facta fuerit, & ab ipſa facta executione appelletur à libris vigintiquinque citra teneatur appellans ante omnia deponere pœnes Camerarium Gabellæ dictæ Ciuitatis libras decem, à libris vigintiquinque ad centum libras viginti, à centum ad ducentas libras vigintiquinque, à ducentis autem, vt ſupra, vſque in omnem ſummam libras triginta, quas ipſo facto Communi Arretij applicamus, ſi talis appellans in dicta appellatione ſuccumbat, quod depoſitum ſi factum dicto modo non fuerit, appellans non audiatur, ſed ſi in dicta cauſa obtinuerit, depoſitum reſtituatur. Poſſintq; dicti Domini Priores, ac debeant ſub Fideiuſſione idonea de redeundo in carcerem, &

parendo iudicatis ex loco,quo captus detineretur,detentum extrahi facere, ſi ab eo,vel ab alio eius legitimo nomine requirantur. In cauſis verò criminalibus,& mixtis procedere debeant dicti Conſultores de plano,& ſine ſtrepitu,& ſine figura iudicij,& ſola facti veritate inſpecta quibuſcumque diebus etiam in dictis Ciuilibus cauſis,& etiã in his olim feriatis, his ſolis exceptis, & quos ſolos in prædictis criminalibus cauſis feriaros eſſe decernimus,vt ſcilicet ius in eis nõ reddatur,v 3. Omnibus diebus Dominicis. Omnibus diebus Apoſtolorũ: Omnibus diebus Natiuitatis,& Aſſumptionis Beatæ Virginis: Tribus diebus Paſchæ Natiuitatis Ieſu Chriſti: Omnibus diebus Sanctæ Hebdomadæ cum tribus diebus ſequentis Sanctiſſimi Paſchæ Reſurrectionis: Die Aſcenſionis Domini: Tribus diebus ſancti Paſchę Pentecoſtes: Die Corporis Chriſti: Die Sancti Ioannis Baptiſtæ: Die Sancti Donati; & die omnium Sanctorum: Sitq; dictarum cauſarum inſtantia dumtaxat quinquaginta dierum currentium, à die ſcilicet producti, vel reproducti libelli appellatorij, computatis etiam diebus in dictis ciuilibus cauſis, & in ſupradictis olim non ſolitis computari, & etiam, vt ſupra habitis pro feriatis his dumtaxat exceptis, v 3. Tribus diebus Paſchæ Natiuitatis Ieſu Chriſti: Tribus diebus Paſchæ Sanctiſſimæ Pentecoſtes: Die Dominicæ Palmarũ: Diebus Sanctæ Hebdomadæ; & tribus diebus Sanctiſſimi Paſchę Reſurrectionis, qui dies dumtaxat non ſolum, vt ſupra, ſint in prędictis cauſis feriati, ita vt in eis in dictis cauſis non reddatur ius, ſed in dictis quinquaginta diebus non computentur, nec ſint de inſtantia. Producto igitur citata parte libello infra decem dies à die latæ ſententiæ, vel notificationis, & qui ſi in die ſupradictorum dierum feriatorum productus fuerit, prima die ſequente, vt ſupra, non feriata reproducatur, & qui pro reproducto habeatur ipſo iure; habeat appellatus terminum ad primã non feriatam,vt ſupra,ad excipiendum,ſtatimq; appellanti,& appellato aſſignatus eſſe intelligatur ipſo iure,& facto terminus vſq; ad vigeſimumquintum diem incluſiuè dictæ inſtãtiæ ad poſitiones, & capitula,& teſtes producendum,& iurari,& examinari faciendum,& ad inducendum, & per omne genus probationis probandum,& probarum habẽdum,& quicquid poteſt in cauſa allegandum;quo termino elapſo ipſo iure aſſignatus intelligatur terminus vtriq; parti decem dierum ad teſtes ciuiliter reprobandũ,& quaſcumque ciuiles improbationes faciendum, & cõtra inducta dicendum;ſtatimq; dictis decẽ diebus elapſis intelligatur pęnitus cõcluſum in cauſa,ita vt omne reſiduum inſtantiæ reſeruatum eſſe intelligatur Conſultoribus, & Iudicibus ad referendum in ſcriptis,& iudicandum ſub dicta pœna præſentato tamen infra duos dies in dictis cauſis nõ feriatos poſt dictorum decẽ dierum lapſum actualiter toto proceſſu,& hoc,niſi Sapientis Conſiliũ ſuper principali negocio dumtaxat,vt ſupra petitũ ſit,quod vt ſupra peti debeat poſt diem trigeſimam à die ſcilicet producti,vel reproducti libelli,vſq; ad diem primã termini aſſignati Conſultoribus,& Iudicibus ad referendum,& iudicandum,vt ſupra. Per quam tamen petitionẽ Conſilij nullo modo minuatur inſtantia, ſed currat vſque ad complementum dierum trigintaquinque,& vſque ad tẽpus aſſignatum appellanti,& appellato ad fabricãdum proceſſum,vt ſupra:& omnes termini in dictis ciuilibus cauſis ſeruandi,vt ſupra,ſint cũ eorum omnibus qualitatibus tàm partibus,quàm Cõſultoribus ſiue Iudicibus peremptorij,ita vt aliquo eorũ modo, quo ſupra præcisè non ſeruato etiã abſque aliqua interlocutoria tunc ferẽda prima ſententia firma maneat,& omnino executioni mandetur. In criminalibus verò, & mixtis cauſis,producto debito tẽpore,vel reproducto libello appellatorio,& depoſito facto infra decẽ dies, vt ſupra,Iudices teneãtur,& debeant ſuper primo proceſſu,& actis,ſi quæ ſint facta in ſecũda inſtantia,prout Iuris fuerit,vt ſupra ſententiare ſuper meritis,dummodo nõ ſint elapſi quinquaginta dies à die ꝓducti, vel reproducti libelli appellatorij,

quibus elapſis, ſeu non producto libello appellatorio, vel depoſito infra legitima tempora non facto ſententia prima firma maneat ipſo iure, & facto, & omnino executioni demandetur. De omnibus autem, & ſingulis incidentibus, vel emergentibus, & de omnibus in quacumque parte iudicij oppoſitis in fine cauſæ tàm ciuilis, quàm criminalis, & mixtæ, & non antea cognoſcatur, ita vt ſcilicet per prædicta, vel eorum aliquod proceſſus retardari, aut ordo ſupraſcriptus minui, augeriue non poſſit, aut modo aliquo alterari non obſtantibus quibuſcumque oppoſitionibus, aut dubitationibus ſuper quibus modo aliquo antea, vt ſupra interloqui opus non ſit. A ſententiis autem latis per ſupradictos Mag. D. P. tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus & mixtis cauſis, quatenus tamen non ſint conformes, appellari poſſit ad Magnificos Dominos Iudices ſecundarum appellationum Ciuitatis Florentiæ infra decem dies à die ſententiæ, vel notificationis, vt ſupra, ad quos, vel alios Iudices, nullo modo, quatenus conformes ſententiæ ſint, appellatio detur, ſed omnino ipſæ executioni mandentur: Quę omnia ſeruari debeant in omnibus, & per omnia, vt ſupra, non obſtantibus quibuſcumque legibus, ſtatutis, vel reformationibus aliàs forſan diſponentibus, quibus per prædicta vt ſupra reformata expreſsè derogarũ intelligatur. Declarantes à dicto Conſultorum officio omnino inhabiles Doctores omnes, qui quoquo modo etiam per interpoſitam perſonam procuratoris officium exerceant: Conſultoresq́; , vt ſupra in cauſis interuenientes ſportulas cõſequi, ſi ad diffinitiuam, vel vim diffinitiuæ habentem ſententiam, & relationem, vt ſupra in ſcriptis fecerint, & motiua dederint, & non aliter vllo modo.

DE CONTVMACIA, ET PRIMO DECRETO. XXI.

SI citatus in termino non comparuerit, vel non reſponderit in termino ſibi præfixo, & aſſignato, ſi aſſignari opus fuerit, ipſius cõtumacia per aduerſarium etiam non accuſata contumax tamen ſit, & pro contumace habeatur. & præſtito per Actorem iuramento. quòd calumnioſè non petit, ipſo facto contra eum dari poſſit, & debeat licentia, ſeu Apotiſſa realiter, vel perſonaliter grauandi, ſeu grauari faciendi ad meram Actoris voluntatem, & ipſo iure data intelligatur, & ſi perſonali actione actum fuit, primum decretum conceſſum intelligatur. dataq́; cuilibet Nuncio Communis Arretij auctoritas mittendi agentem in tenutam, & poſſeſſionem bonorum huiuſmodi citati, & contumacis pro quantitate debiti petiti, & pro expenſis. Si verò reali, vel mixta agatur primum decretum, & tenuta intelligatur conceſſa in bonis, de quibus in petitione extantibus; aliàs in bonis aliis dicti debitoris, & immiſſus in tenutã pro reali, vel mixta actione incipiat ſtatim lucrari fructus bonorum immobilium, quorum tenutam habuit: In perſonali verò pro quantitate ſui crediti tantùm, & expenſarum ſecundum valorem bonorum acceptorum in tenutam dictę immiſſionis tempore: & ſi valor à die adeptę tenutæ variauerit, lucretur ſemper fructus pro rata ſui crediti, ſecundum valorem bonorum, quorum tenutam habet tempore, quo fructus percipiuntur; ita quòd pro rata crediti tãtum fructus ſemper lucretur; & hoc locum habeat etiam in ciuilis præteritis, & ſtatim facta per Nuncium relatione intelligantur commiſſa præcepta citato contumaci, ſi ipſe dicta bona tenuerit aliter colonis, vel penſionariis de recognoſcendo dictum immiſſum. & ei de fructibus, vt ſupra, reſpondendo pro rata temporis crediti, & expenſarum, vt dicemus infra de ten. & ali. proceſſ. non vitian. dictaq́; præcepta executioni mandentur, vt ſupra diximus titulo de execut. inſtrum. ac dicemus eod. tit. de ten. & ali. proceſſ. non vitian. & vbi fuerint plures tenutam habentes, Iudex de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij quamlibet cauſam diuidat, iſq́; præferatur,

qui

qui priorem ſe docuerit: & omnibus aliis etiam anterioribus in re credita præferatur ille, qui rem ipſam credidit, & in fructibus lucrandis in Iure potior prẹferatur aliis: & immiſſus tenutam, qui fructus non petiit, illos conſequi nõ poſſit, niſi ſolùm pro duobus primis annis, ſi longiori tempore in petendo negligens fuerit, ſed prohibeatur illos in futurum petere: Iudexq́; teneatur omnes tenutam habentes manu tenere, & omnibus, quibus poterit, modis defendere. Liceat tamen cuilibet contumaci quandocumque infra annum qualibet actione conuento, dummodo vigore executionis Inſtrumenti guarantigiæ, vel vim guarantigiæ habentis conuentus non fuerit, & tunc etiam ſi perſonaliter non fuerit citatus, ſuam contumaciam purgare, & parte aduerſa citata vna die pro alia, expenſiſq́; refectis, ac præſtitis fructibus lucratis, aut ipſis depoſitis, datoq́; fideiuſſore de iudicio ſiſti, Iudicatumq́; ſoluendo, primum decretum ſtatim reuocatum intelligatur, & commiſſio grauandi pariter reuocata ſit, omniq́; caſu, vt ſupra præmiſſo contumacia bis tamen, & non vltra purgari poſſit. Poſt annum etiam dicto contumaci perſonali, vel mixta actione conuento contumaciam, vt ſupra purgare liceat, & parte, vt ſupra citata refectis expenſis, data ſatiſdatione, lucratiſq́; fructibus præſtitis, vel depoſitis primum decretum ipſo Iure reuocatum ſit, & intelligatur. Commiſſum verò pro executione contra perſonaliter citatum ſolum reuocetur ſolutione totius crediti, expenſarum, fructuum lucratorum, vt ſupra titulo de execu. Inſtru. diſpoſuimus: Nulli autem primum decretum habenti, & qui bonorum tenutam habuerit, vel habeat quacumque de cauſa etiam ex commiſſione executionis Inſtrumenti guarantigiati, vel vim guarantigiæ habentis licere volumus, reum debitorem ipſius grauari perſonaliter, ſiue in bonis mobilibus, vel immobilibus, ſi illa, quæ ex primo decreto detinet, ſint ſufficientia, & valoris crediti per Actorem petiti, & expenſarum. At ſi reperirẽtur talia bona non ſufficere, nec æquiualere credito per Actorem petito, & expenſis, tunc liceat libere actori reum grauari facere realiter, vel perſonaliter pro reſiduo compenſata ẹſtimatione bonorum cum credito, & conſiderato valore dictorum bonorum tempore primi decreti prædicti. Si verò dubium verteretur inter Actorem, & reum de precio, ac valore bonorum in tenutam ex primo decreto datorum, eo caſu per eos eligi debeant duo amici communes Iudice tertium eligente in caſu diſcordię, qui debeant bona dictæ tenutæ ẹſtimare in termino per partes, vel Iudicem ſtatuendo, & ſi bona prædicta declarabuntur eſſe precij, & eius æſtimationis, quam reus affirmauerit, ſiue maioris, tunc actor ipſe ſoluat expenſas communes, & in quibus ipſe reus damnificatus fuiſſet. Sed ſi declarabuntur bona ipſa minoris eſſe æſtimationis, quàm reus dixerit, tunc remaneat ipſe reus detentus pro reſiduo crediti, & alia bona, in quibus grauaretur remaneant pœnes actorem ex primo decreto, caſu quo realiter grauati fecerit reum vltra bona iam ex primo decreto capta, & detenta; & prædicta fiant ſeruato modo, & ordine de quo ſupra tit. de cau. ciuili, & ear. cogni. vers. Paruas.

DE TENVTA AVCTORITATE CVRIAE HABITA. XXII.

AD Inſtantiam petentis, & iurantis ſua intereſſe Iudex interroget, & ſub quinque librarum pœna compellat quemlibet, quem talis petens nominauerit, ſi habet tenutam de tali re, ad reſpondendum incontinenti, ſi fuerit ille, qui tenutam habuerit, aliàs Iudex ſuo arbitrio dilationem ſtatuat, & ad reſpondendum ſub dicta pœna omnino compellat, & confitentem illam ſe habere, ipſam producere coram eo, & copiam petenti facere, vt ſupra compellat, expenſis tamen petentis, & negantem ipſam

tenutam habere, ſi de ea poſtmodum conſtet, ſtatim incidat in decem librarum pœnã eámq; Communi Arretij ſoluere compellatur, & à tenuta cadat, & fructus inde perceptos petenti, ſi ſua plenè probauerit intereſſe, reſtituat: & ad probandum, quòd petentis interſit, ſolum Iuramentum ſufficiat, & quilibet Notarius, qui tenutam haberet ipſã publicam parti petenti, ſuaq; intereſſe iuranti tribuat.

DE TENVTA, ET ALIIS PROCESSIBVS NON VITIANDIS. XXIII.

NVLLA tenuta per Iudicem Capitanei Arretij pronunciata, nec commiſſio de tenuta diſgumbranda vitietur, ſeu vitiari poſſit, & aliquis proceſſus eo quòd non appareat commiſſio facta nuncio, qui tenutam dederit, vel præceptum de diſgumbrando fecerit, & Iudex cuilibet Nuncio committat, quòd præcipiat laboratoribus, ſeu tenẽtibus bona, de quibus ſit data tenuta, quòd recognoſcant, & de fructibus reſpondeant creditori, vel diſgumbrent; & tale præceptum executioni mandetur, ſicut Inſtrumentum, & in dictis commiſſionibus ſemper addatur per Iudicem, & Nuncium præcipientem, quòd ſi ille, cui præcipitur, ſenſerit ſe grauatum infra tertiam diem, ſi in Ciuitate, & in Cortynis fuerit, & infra quintam, ſi in Capitaneatu, debeat comparere, & ſi comparuerit, de grauamine cognoſcatur, & diffiniatur, prout eod. lib. de execu. inſtr. dictum eſt.

DE SEQVESTRIS. XXIIII.

IVDEX poſſit, & debeat non obſtante aliqua lege, vel ſtatuto facere intenſire bona nedum illius, qui ab Actore ſuſpectus habebitur, ſed etiam cuiuslibet alterius quous ꝗ ſatiſdederit de Iuri parendo, & ſoluendo Iudicatum, dummodo ſatiſdatio fiat infra decem dies à die facti ſequeſtri, quibus elapſis ad ſatiſdandum, niſi de voluntate Actoris minimè admittatur, & ſatiſdatione non præſtita, vt infra, procedatur, & nullus creditor cogatur aliquod pactum, vel conuentionem facere cum aliquo ſuo debitore. Contra Oratores quoſcumque, & vndecumque fuerint nullo modo fiat intenſina, ſeu ſequeſtrum, etiam ſi ipſi debitum contraxerint, nec panni de lecto, nec de dorſo cuicumque debeant intenſiri, vel capi, & Syndicus cuiuslibet loci Cortynarum, & in Campariis propinquior habitator, & in Ciuitate vnus ex correctoribus illius contratæ, in qua factum eſt ſequeſtrum, teneatur ad locum, in quo erunt res intenſitę, ire, & eas in ſequeſtrum, ſeu intenſinam recipere pœnes ſe, & cuſtodire pœna librarum decem applicanda pro medietate Rectori eam exigenti, & pro alia ſequeſtrum fieri facienti, & ſi fuerit bladum, vel fructus, ipſum, vel ipſos teneatur triturari facere, & gubernare expenſis rei ſequeſtratæ, requiſito prius illo, contra quem factum fuerit ſequeſtrum cum duobus Teſtibus, & ſi contra quem factum eſt ſequeſtrum, non fuerit paſſus, incidat in pœnam librarum viginti quinque, quam ipſi ſequeſtrum fieri facienti applicamus pro medietate, & pro alia medietate executionem facienti. Inſuper ſi alicui factum fuerit ſequeſtrum de aliqua re, quæ diceretur apud ſe eſſe, & ipſe non comparuerit coram Iudice ad dicendum eam non habere, vel pœnes ſe non eſſe, ſi fuerit de Ciuitate, vel Campariis infra tertiam diem poſt diem facti ſequeſtri, & ſcripti: Si verò de Cortynis, vel Capitaneatu infra quinque dies modo ſimili computandos, ipſum ſequeſtrum valeat, & teneat in eius præiudicium, & pro confeſſo, ſe habere ipſam rem ſequeſtratam, habeatur, non tamen habeatur pro confeſſo, quòd ſint res illius, contra quem ſequeſtrum factum eſſet.

Si verò comparuerit infra dictũ terminum,& medio iuramento negauerit prius citata
illa perſona,quæ ſequeſtrum fieri fecit,ſe dictam rem habere, vel eſſe illius, contra quẽ
factum eſt ſequeſtrum, & probatum fuerit per eum, qui ſequeſtrum fieri fecit dictam
rem habere,vel habuiſſe tempore ſequeſtri facti,vel illius eſſe,cuius dixerit,incidat ipſe
negans ipſo Iure in pœnam librarum quinque pro qualibet vice,vt ſupra,applicata, &
ipſum ſequeſtrum ſit ratum, & firmum; & ſi comparuerit, & non negauerit compel-
latur medio Iuramento dicere rem,& quantitatem, quam habet: quæ omnia idem No
tarius apud acta ſcribere teneatur. Inſuper quilibet Syndicus Cortynarum, propin-
quiorq; habitator,ac Corrector contratæ in quibus bona ſequeſtranda ſunt,teneantur,
& debeant ſecundum mandatum eis factum per Nuncium ire cum dicto Nuncio ad
loca, vbi ſunt res,& fructus ſequeſtrandi,& ipſum Nuncium inſtruere, & docere ipſas
res,& bona,quorum ſequeſtratio fieri poſtulatur, & in ſequeſtro recipere cum effectu,
ſaluare etiam,& tenere ſecundum mandatum Iudicis, & ſi quid ex prædictis non fece-
rit,ſeu aliquo modo recuſauerit,condemnetur talis non obſeruans in libras decem pro
qualibet vice;& nihilominus teneatur ad reaſſignationem,& reſtitutionem talium bo
norum,& fructuum illi,qui dictum ſequeſtrum fieri poſtulauerit, ac ſi ipſos fructus, &
bona in ſequeſtro recepiſſet;& credatur de quantitate, & æſtimatione ipſorum bono-
rum,& fructuum dicto creditori cum Iuramento,& cum Nuncio,& vno alio teſte de-
ponentibus bona fide de credulitate quantitatis, & æſtimationis rerum, & fructuum
ſequeſtratorum: Et nulla beſtia poſſit alicui vecturali ſequeſtrari, cùm qua apporta-
uerit merces ad Ciuitatem Arretij, niſi pro debito tantum ipſius vecturalis, niſi ipſa
beſtia eſſet furtiua, vel vi accepta: Et quodlibet ſequeſtrum fiat cum dimiſſione cædu-
læ in perſona,vel domi tàm ipſi,contra quem factum eſt,quàm etiam ſequeſtrario con
tinentis nomen Nuncij ſequeſtrantis, & nomen illius, contra quem factum eſt, & ad
cuius Inſtantiam,& quid: Et ſemper Nuncius faciens ſequeſtrum teneatur in relatione
nominare illum, pœnes quem inuenerit tempore ſequeſtri facti rem ſequeſtratam, &
illum,cui rem ipſam commendauerit, & locum,vbi inuenitur, & idem ſeruetur in re-
nuta rerum mobilium, & ſi aliter ſit factum, ſequeſtrum, vel tenura non valeat ipſo
iure: & ſi quis contempſerit ſequeſtrum factum de aliquibus bonis, rebus, ac fructi-
bus,ſeu ſequeſtrum fregerit,& contempſiſſe,ac fregiſſe dicatur, ſi ante præſtitam ſatiſ-
dationem aliquid de rebus ſequeſtratis acceperit,vel amouerit ipſo facto in pœnam li-
brarum vigintiquinque incidat applicandarum pro medietate Cõmuni Arretij,& pro
quarta parte Rectori facienti executionem; & pro alia quarta parte ſequeſtrum fieri fa
cienti: Et faciens fieri ſequeſtrum debeat, poſtquam factum fuerit, vt dicetur infra, li-
tem, & cauſam mouere ſuper re ſequeſtrata, & actione ſibi competenti experiri con-
tra eum,contra quem ſequeſtrum factum fuerit,& Iudex ſuper hoc procedere, & pro-
nunciare debeat illo modo,& forma,& in illis tẽporibus,& in omnibus, & per omnia,
prout infra dicemus:Et teneãtur omnes Nuncij ſequeſtra, quæ per eos,aut alterum eo-
rum fient infra tertiam diem,poſtquam factum fuerit in Ciuitate,vel in Cortynis,& in
Capitaneatu infra quintam diem referre vni ex Notariis Cauſarum ciuilium Ciuita-
tis Arretij,& non alteri ſub pœna librarum decem pro quolibet,& qualibet vice de fa-
cto auferenda, & ſoluenda pro medietate Cõmuni Arretij, & pro alia medietate vten
ſilibus Palatij D.P.Ciuitatis prędictæ. Facto autẽ ſequeſtro,& elapſo termino ad com
parendum,reo contra quem factum eſt ſequeſtrum,vel ipſo comparente,& confiten-
te,aut negante, & conuicto Actor infra tres dies continuos cauſam moueat coram Iu-
dice per viam ſimplicis petitionis; tuncq; reo duo dies ad excipiendum præfixi ſint, ſi
comparuerit,& terminum petierit:elapſis verò dictis duobus diebus,aut reo non com

parente Actori quinque dierum terminus ad liquidandum, producendum, & probandum de Iuribus ſuis ſtatutus intelligatur: reo verò trium dierum ad dicendū cōtra producta probandum, probatumq́; habendum, ſi id ſimiliter petierit: quibus terminis elapſis, ſi bona ſequeſtrata æſtimationem non requirunt, teneatur Iudex infra tres dies ipſa bona dare Actori in ſolutum, ſi de iure ſuo probauerit: Vbi verò æſtimatio requireretur, committere teneatur Iudex infra dictum tempus tenutam ipſorum bonorum, & æſtimationem, ſi bona ſunt in Ciuitate, vel Campariis, Viariis Communis Arretij; ſi verò Cortynis, vel Capitaneatu æſtimatoribus illius Communis, ſeu loci, in quo bona ſequeſtrata reperiuntur: quę quidem æſtimatio fieri, & referri debeat per Viarios infra tres dies; per æſtimatores verò locorum infra quinque ſub pœna librarum decem pro quolibet, pro medietate D. Capitaneo, pro alia parti applicata, factaq́; dicta æſtimatione Iudex infra quinque dies cauſam ipſam expedire debeat, & bona dari in ſolutum Actori, ſi de iure ſuo, vt ſupra probauerit; & vbi fuerit opus, fiat præceptum ſequeſtrario de dando rem, vel quantitatem in ſolutum datam, & executioni mandetur: Et ſi faciens fieri ſequeſtrum citatus ad petitionem eius, contra quem factum eſt, non comparuerit, ſi fuerit de Ciuitate, & perſonaliter citatus, & expectatus per duas horas: ſi verò de Cortynis, vel Capitaneatu, vel de Ciuitate, & domi citatus vna die pro altera teneatur Iudex ſatiſdationem recipere, & ſequeſtrum reuocare; Si verò reus infra dictos decem dies ſatiſdederit, & expenſas legitimas arbitrio Iudicis Actori refecerit, ſequeſtrū reuocetur, & vt ſupra reuocatum intelligatur; Tuncq́; Actor infra triginta dies ſaltem, niſi ferię aliquæ obſtarent, cauſam moueat contra ſequeſtrum reuocari facientem, & eius fideiuſſorem, & motā proſequi ſeruata forma ſtatutorum ſecundum quantitatem cauſæ, & eius qualitatem: Et qui ſequeſtrum fieri fecerit, & non fecerit illud ſcribi infra diem tertiam, ſi factum ſit in Ciuitate, vel Cortynis, & quintam in Capitaneatu, compellatur per Iudicem ad reſtituendum, & damnum, & expenſas declarandas ſacramento illius, contra quem factum fuerit Iudicis tamen taxatione prçmiſſa, & ipſum ſequeſtrum non valeat ipſo iure: In quibus cauſis procedi poſſit, & etiam ſequeſtra fieri quolibet die, & tempore feriis quibuſcumque non obſtantibus.

DE SVSPECTIS, AC FVGITIVIS. XXV.

SVSPECTOS, ac fugitiuos intrari poſſe, atque capi in caſibus per ſtatuta, vel ius Commune permiſſis diſponimus, & capti non relaxentur, niſi de voluntate creditoris, vel de Iudicio ſiſti; & Iudicatum ſoluendo fideiuſſore præſtito, aut ſolutione eius, pro quo captus fuerit, & vbi conſtiterit indebitè iuratum, iurans in duplum expēſatum condemnetur, & per Iudicem cognoſcatur, ac terminetur, quis ſit ſuſpectus, ac fugitiuus, & fideiuſſore prçſtito ſecundum naturam cauſæ procedatur, & ſi captus ſtare voluerit, ſeruetur forma, prout ſupra diximus titulo de cauſis ciuilibus, & earum cognitione.

DE PIGNORIBVS VENDENDIS. XXVI.

DEBEANT conuentiones factæ ſuper pignoribus, & hypothecis vēdendis obſeruari; dummodo etiam poſt lapſum terminum de vendendo, vel reluendo appoſitum requiratur debitor à creditore, quod infra decem dies pignus reluat: Si verò de vendendo, vel reluendo pignore conuentum non fuerit, requiratur debitor à creditore poſt lapſum temporis de ſoluendo appoſitum, quod infra decem dies pignus reluat.

reluat. Si verò debitor fuerit forenſis, non habitator Ciuitatis, Cortynarum, vel Capitaneatus Arretij requiri debeat ad columnam Communis in Platea magna per publicum præconem ſono tubæ, & cum affixione cædulæ continentis dictam termini aſſignationem ad dictam columnam, & forenſis intelligatur, qui non ſubeſt Capitaneo Ciuitatis Arretij. Et ſi in quolibet caſuum prædictorum debitor ſic requiſitus, pignus non recollegerit infra dictum tempus, vel licentiam vendendi non dederit, poſſit creditor, & ei liceat poſtmodum illud ſubhaſtare, & vẽdere bona fide, vel petere, facta ſemper ſubhaſtatione prædicti, illud ſibi adiudicari in ſolutũ pro iuſta æſtimatione coram Iudice facienda per æſtimatores ad hoc electos per Iudicem ſupradictum, & Iudex adiudicare teneatur, & vẽditio, ac adiudicatio valeat, & teneat, ac ſi facta eſſet per debitorem, & ſi quid ſupereſſet, reſtituere teneatur ipſi debitori. Si autem aliquid defuerit, teneatur debitor creditori plenariè adimplere.

DE SECVNDO DECRETO, XXVII.

HABENS tenutam ex primo decreto de aliquibus bonis immobilibus ſui debitoris, ſi illam per annum retinuerit, velitq́; poſt annum venire ad ſecundum decretum, debeat hunc ſeruare modum. Primò enim debeat comparere coram Iudice, & narrare ſimpliciter, qualiter habeat tenutam ex primo decreto contra talem ſuum debitorem de ſuis bonis in tali loco, & iuxta talia confinia poſitis, & quòd intendit venire ad ſecundum decretum, & committi petat bannimentum per dictum D. Iudicem fiendum per publicum præconẽ Ciuitatis Arretij in locis publicis, & conſuetis Ciuitatis prædictæ, & per Nuncium domi ſolitæ habitationis debitoris, quòd ſi quis prętendit ſe habere Ius aliquod ſuper dictis bonis, debeat infra octo dies comparere coram Iudice ad dicendum, ſe ius habere, & dicere, & docere Ius, quod habet, & Iudex prædicta committere teneatur; & cuicumque comparenti, & prædicta dicenti, & facienti intelligatur eſſe, & ſit ipſo Iure ſtatutus terminus ſex Menſium ad agendum ex dicto Iure, & ad ius ſuum proſequendum ſuper eiſdem bonis, & ad dicta, & contra dicta bona. Poſt lapſum verò dictorum ſex Menſium nullatenus audiatur, niſi in proceſſu cauſæ motæ per eum ſuper prædictis, ſi cauſam mouerit infra dictos ſex menſes, & in dicta cauſa ſeruetur ordo per nos iam datus ſecundum ſummam, & quantitatem, prout diximus ſupra titulo ſecundo, etiam ſi reus fuerit contumax, qui tamen, & etiam tenutarius debeant citari ad quoſcumque actus in cauſa faciendos: poſt quos octo dies datos ad dicendum ſe ius habere, vt ſupra Actor faciat citare reum, contra quem habuit, & habet primum decretum pro ſecunda die iuridica perſonaliter, vel ad domum ſolitæ habitationis ſuæ ad audiendum petitionem ſuam, & ad videndum ſibi ſtatui, & aſſignari terminum ad reluendum tenutam, quam habet de bonis ſuis, & in dicto termino comparere debeat Actor, & narrare qualiter habuit, & habet tenutam ex primo decreto contra talem ſuum debitorem; & de quibus bonis; & cauſam, quare ipſa per loca, & confines, vt ſupra, demõſtrando, & quòd lapſus eſt terminus; & petat per Iudicem ſtatui, & aſſignari terminum reo octo dierum ad reluendum bona in tenutã per Actorem detenta; quam tenutam producere teneatur in publicam formam, & Iudex teneatur ſic, vt ſupra dictum eſt, dictum terminum ſtatuere, & aſſignare, quo elapſo, ſi non reluerit, reo ipſo iterum citato perſonaliter, vel ad domum ſuæ ſolitæ habitationis ad videndum peti, & committi ęſtimationem bonorum prædictorum ad petitionẽ Actoris, & Iudex teneatur, & debeat dictorum bonorum æſtimationem, ſi reus fuerit contumax, committere Viariis Ciuitatis Arretij, quòd debeant dicta bona æſtimare infra

octo

octo dies à die notificationis eis factę, quam notificationem eis, & cuilibet eorum fieri committere teneatur dictus Iudex: quam quidem æſtimationem facere, & referre teneantur, & debeant in ſcriptis dicti Viarij infra dictos octo dies citato tamen reo dicto D.Iudici cum iuramento per eos, & quemlibet eorum legitimè prętlito, quòd benè, realiter, & iuridicè æſtimauerunt dicta bona ſub præiudicio animæ ipſorum ſub pœna librarum centum pro quolibet eorum applicanda pro medietate Communi Arretij; pro quarta parte Rectori totum exigẽti; & pro alia quarta parte Actori. Si verò reus comparuerit, Iudex teneatur, & debeat cogere partes ad eligendum duos æſtimatores pro qualibet parte, quorum tres concordes poſſint, & valeant dicta bona æſtimare, & eorum æſtimationem medio, vt ſupra, iuramento referre in ſcriptis teneantur dicto D.Iudici infra octo dies continuos à die commiſſionis eis per partes factę ſub pœna librarũ vigintiquinque pro quolibet eorum, vt ſupra, applicanda: A qua quidem æſtimatione nullo modo poſſit, aut valeat appellari, reclamari, de nullitate dici, vel opponi, aut reduci ad arbitriũ boni viri, ſed plenã iuris habeat firmitatẽ, & ſortiatur effectum, aliquibus in contrariũ diſponentibus nõ obſtantibus: Et facta æſtimatione ſupradicta altero ex ſupradictis modis, ſi infra triduũ reo ad id citato aliquis ſe in emptorẽ obtulerit, Iudex in fine cauſę, ſi creditor ea noluerit, illa vendere poſſit, & debeat dicto offerenti pro precio, vt ſupra, declarato, & de eo ſatisfacere dicto creditori de ſuo credito, & expẽſis, & venditio in dicto caſu plenam iuris habeat firmitatem. Si verò nullus ſe in emptorem obtulerit, debeat Actor in termino citationis de dicto reo factæ libellum ſuum producere, in quo petat ſibi bona prędicta adiudicari in ſolutum ex ſecundo decreto pro quantitate declarati debiti, & expenſis: Quo producto reo comparente, & ſe defendere volente ſeruari mandamus, prout diſpoſuimus ſupra, eod.lib.rit.2.ſecundum naturã cauſæ. Si verò reus fuerit contumax, tunc ſtatim producto libello per Actorem eidem Actori ipſo iure ſtatutus ſit terminus ad probandum, prout ibi diximus, ſecundum naturam cauſæ; in quo termino debeat dictus Actor per omne genus probationis incumbẽtia probare, quibus omnibus viſis, & Iuribus omnibus diſcuſſis Iudex ipſe Actori pro banti bona concedat, & adiudicet in ſolutum pro quantitate declarati debiti, & pro expenſis ſecundum dictam æſtimationem iam factam, & ſemper Iudex in talibus adiudicationibus apponere debeat, ſaluo iure cuiuſlibet tertij, dummodo infra terminum, vt ſupra, appoſitum docuerit, ac egerit, ac proſecutus fuerit, vt dictum eſt; Quod locum non habeat in abſentibus, nec in minoribus, nec in mulieribus conſtante matrimonio, nec etiam in creditoribus conditionalibus, vel in diem; ſed terminus prædictus incipiat currere abſenti immediatè poſt ſuum reditum; & minori poſtquam peifecerit vigeſimumquintum annum; & mulieri viduę poſt dilationem ad dotem reſtituẽdam ſibi, vt infra ſtatutam: Creditoribus in diem, vel ſub conditione purificata conditione, vel die ceſſa. Si verò aliquis habuerit tenutam de aliquibus bonis mobilibus alicuius ſui debitoris, & illam retinuerit per menſem poſt lapſum dicti menſis poſſit deuenire ad ſecundum decretum ſeruata forma prædicta; non tamen ſit neceſſe dictũ bannimentum primo loco fiendum, & vbi bona conceſſa, vt ſupra, in totum, vel in partẽ conuincerentur reo, cuius fuerint dicta bona perſonaliter, vel ad domum in ſcriptis intimatione facta pro euictione prædicta intelligantur eſſe, & ſint omnia alia bona dicti rei ſpecialiter, & & expreſsè hypothecata, & obligata, per adiudicationem prædictã nullum intelligatur factum creditori præiudicium in aliquo ſuo iure. Et ſi aliqua beſtia data fuerit in tenutam; infra decem dies reus non recuperauerit, debeat ipſe creditor illam ſubhaſtando infra ſex dies ſequentes vendere, & in debitum ſuum conuertere, & ſuperfluum ipſi debitori reſtituere; & ſi creditor emptorem non inuenerit, teneatur in tertiam diem eligi

eligi facere per Iudicem duos ex Viariis prædictis,qui ipſam beſtiam debeant infra triduum à die requiſitionis æſtimare,& creditor ipſam beſtiam pro ſe habeat,& ad computum rei ponat, & ſi quid ſuperfuerit ipſi reo reſtituat,& ſi ipſe creditor ſubhaſtationem prædictam non fecerit, teneatur ipſi reo ad diurnam mercedem, & ſolutionem ſecundum qualitatem beſtiarum.

DE TVRBATA TENVTA, ET POSSESSIONE. XXVIII.

SI quis animo,vel intentione poſſeſſionem quorumcumque bonorum alterius turbandi, vel priuãdi cauſa intrauerit,ſeu aliquos actus fecerit,propter quos,vel ipſorum alterum Dominus, ſiue poſſeſſor huiuſmodi bonorum diceret ſe in ſua poſſeſſione turbatum,vel inquietatum, condemnetur,& condemnari debeat per Iudicem Ciuitatis Arretij in libris centum denariorum,ſeu maiori ſumma arbitrio Iudicis,conſiderata qualitate facti, & perſonarum conditione; cuius pœnæ dimidia applicetur Cõmuni Arretij; quarta verò offenſæ parti,& alia quarta Domino Capitaneo dictam pœnam exigenti, & exigere facienti ad emendationem damni, & intereſſe, quod dederit damnum paſſo, prout ſuo iuramento æſtimauerit,vel duobus teſtibus probauerit probantibus de fama,vel ſi quid abſtulerit ad reſtituendum ei,ad quem pertineret;& præſumatur talis poſſeſſio, in qua fuit quis turbatus eius eſſe, qui tempore turbationis, & ante eam poſſidebat & dictam poſſeſſionem liberam, vacuam, & expeditam reſtituere faciat vnà cum fructibus dicto turbato infra quindecim dies poſt latam ſententiam ſuper dicto maleficio. Prædicta autem locum non habeant, quando quis ex pacto ingreſſus fuiſſet rem ſibi obligatam,& hypothecatam,vel quam communem haberet cũ aliquo, & talis turbatio, vel inquietatio non noceat poſſeſſori. Si verò quis intrauerit per vim domum alterius, vel poſſeſſionem aliquorum bonorum, vel aliquos actus fecerit inducentes turbationem poſſeſſionis, condemnetur in libris centum, ſeu maiori ſumma arbitrio Iudicis,conſiderata qualitate facti, & conditione perſonarum. Si verò quis turbauerit, vel moleſtauerit aliquem in ſua tenuta, quam haberet auctoritate Curiæ D. Capitanei Arretij, condemnetur in libris vigintiquinque,ſeu maiori ſumma arbitrio Iudicis,conſiderata qualitate facti,& perſonarum conditione,& ab ipſa moleſtia,& turbatione cum effectu deſiſtere compellatur: hoc addito, & declarato,quòd infra quinquennium omnium,& ſingulorum in præſenti capitulo cognoſci poſſit per accuſationem: elapſo verò quinquennio à die commiſſi maleficij nullo modo cognoſci poſſit per accuſationem, vel inquiſitionem, aut alio modo directè, vel indirectè non obſtante aliqua lege, vel ſtatuto: Et Iudex debeat tales cauſas expedire, & terminare per ſententiam diffinitiuam infra tempora his ſtatutis ſecundum naturam cauſæ præfixa ſub pœna librarum centum applicandarum pro vna tertia accuſanti, & aliis duobus tertiis Conſeruatoribus legum Ciuitatis Florentiæ.

DE NOMINANDO DOMINVM IN IVDICIO. XXIX.

QVILIBET conuentus reali actione, qui nominauerit Dominum in iudicio dicendo ſe poſſidere nomine alterius,teneatur id quod proponit infra decem dies continuos à die reſponſionis computandos per inſtrumentum,ſiue ſufficientes teſtes, vel proprium iuramentum probare, quod ſi non fecerit, puniatur ipſo facto in decem libris, & nihilominus citetur,conueniatur, nominetur, & contra eum

procedatur, prout cauſa requirit, qui ſi fuerit contumax priuetur poſſeſſione dictæ rei, & applicetur petenti ſaluo iure in proprietate cuilibet.

QVOD DECENNALIS POSSESSIO SVFFICIAT REIECTA EXCVSSIONE. XXX.

SI creditor probauerit debitorem ſuum, vel Actorem ſucceſſiuè poſſediſſe rem petitam per decem annos pacificè, ac quietè, computata poſſeſſione vnius cum poſſeſſione alterius, ſufficiat in hypothecaria, ac ſi probaſſet per triginta annos debitorem poſſediſſe, vel poſſeſſionem cum titulo habuiſſe, & qui voluerit prius hypothecaria, ſeu ſaluiano agere contra quemlibet poſſeſſorem, etiam diſcuſſione non facta, ſit hoc licitū facere, dum tamen nulla obtinenti in hypothecaria fiat reſtitutio, niſi primò ſatisfiat reo de expenſis neceſſariis, vel vtilibus factis in re hypothecata per extraneum poſſeſſorem bonæ fidei, & iuſto titulo lege aliqua non obſtante.

DE PRAESCRIPTIONIBVS. XXXI.

QVAELIBET actio realis, vel mixta, quodlibet ius petendi ſpacio duodecim annorum tollatur; dummodo poſſidens habeat iuſtum titulum, & bonam fidem, & præſumatur bona ad poſſidentem pertinere: In perſonalibus verò quodlibet ius, vt infra, tollatur mulieribus, mortuis viris ſuis, quoad receptionem dotis, & donationis tempora non currant, nec decurſa ſint, niſi poſt vnum annum, vt titulo de dotis promiſſ. Ad reſtituendum dotem aſſignatum computandum, vel poſtquam non habitauerit cum communibus filiis, vel virorum præmortuorum, ſeu dictorum virorum Hæredibus: minoribus verò vigintiquinque annis, & aliis aliena defenſione indigentibus, non habentibus tutorem, vel curatorem, vel defenſorem, & abſentibus durante minoritate, ſeu abſentia, nulla decurrat, nec intelligatur eſſe decurſa præſcriptio: Creditor ex cauſa mercedis poſt biennium; ex cauſa verò librorum poſt quinquennium non audiatur, & præſumatur facta ſolutio, niſi infra dictum tempus in iudicio debitū fuerit petitum; poſt quod iterum, vt ſupra, inducatur, ſi fuerit negligens in petendo. Et ſi aliqua vniuerſitas habuerit, vel habere dixerit ius paſturandi, ſeu lignandi, ſeu aliquem vſum in curtis, ſylvis, paſcuariis, vel aliis rebus alicuius Domini, talis vſus, ſeu conſuetudo non præiudicet in aliquo ipſi Domino, vel ei, ad quem res pertinet, & tali perſonæ, vel vniuerſitati poſſit prohiberi, & præcipi facere, & per Iudicem compelli, quod à tali vſu abſtineat cum effectu, & amplius non vtatur, niſi qui talem vſum haberet, oſtenderet ius habere in proprietate dictæ rei, vel ſibi conceſſum fuiſſe ab eo, ad quem res pertineret, & in dicto caſu poſſit talis Dominus probare dominium per duos teſtes, vel per vnum, & famam publicam; & vbi non eſt memoria in contrarium, ſola publica fama ſufficiat.

DE NOVI OPERIS NVNCIATIONE. XXXII.

SI alicui facienti ædificare, vel Magiſtris ædificantibus interdictum fuerit, ne ædificetur per iactū lapidis, vel alio modo, & ille, qui ędificauerit, vel ædificari fecerit, voluerit ſatiſdare de demoliendo, ſi apparuerit eum iniuſtè ædificaſſe, teneatur Iudex recipere ſatiſdationem, & dare ei licentiam, cui interdictum fuerit, ædificandi non obſtante aliqua contradictione, niſi denuncians poſſideret rem in qua ædificaret, quam

quam poſſeſſionem probare teneatur infra octo dies abſque ſolemnitate iuris, quod ſi non fecerit, recipiatur ſatiſdatio, & in opere procedatur, & ad petitionem cuiuſlibet partis teneatur Iudex cauſam committere Diffinitoribus Ciuitatis Arretij, per eos decidendam, ac terminandam in omnibus, & per omnia, prout ſupra, ſuperiori libro diximus de off.diff. quæ commiſſio fiat etiam ad petitionem denunciantis etiam non poſſidentis, dummodo iuret calumnioſè non petere, & talis denunciator debeat mouere iudicium, & remedio ſibi competenti agere infra tres menſes à die præſtitę ſatiſdationis, quando eſt ſatiſdatum aliàs à die nunciationis factæ numerandos, quod ſi non fecerit vlterius modo aliquo non audiatur.

DE FIDEIVSSORIBVS. XXXIII.

QVILIBET fideiuſſor de iudicio ſiſti intelligatur etiam de iudicatum ſoluendo, & perpetuò duret eius obligatio tàm in principali, quàm appellationum inſtantiis, & intelligatur liberatus, ſi Actor contra principalem, & fideiuſſorem prædictum iudicium non mouerit infra quatuor menſes à die fideiuſſionis, & motum ſecutus non fuerit ſecundum naturam cauſæ, & qualitate. Et quilibet principalis, & eius hæredes cogantur tàm perſonaliter, quàm realiter ad voluntatem fideiuſſoris pro eo obligati, & ſuorum hæredum facta fide Iudici de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & nulla citatione facta de ipſa obligatione, & fideiuſsione, ipſos fideiuſſores, vel ſuos hæredes extrahere indemnem, ſeu indemnes conſeruare, ſi terminus in inſtrumento fuerit elapſus. Si verò terminus non fuerit appoſitus, vel ſi terminus fuerit ad voluntatem creditoris, tunc debitor principalis, vel eius hęres perſonaliter, & realiter ad voluntatem fideiuſſoris ſtatim, quòd fuerit pro parte creditoris citatus; & vbi non eſſet citatus ſtatim elapſis duobus menſibus à die fideiuſſionis, cõpellatur, & in quolibet caſu principalis, & eius hęredes poſſint detineri perſonaliter in omni loco, vbi reperti fuerint etiã in domo, & omni die nõ obſtantibus quibuſcumque feriis, vel exceptione aliqua, lege, vel ſtatuto: Et ſi aliquis fideiuſſor aliquid ſoluerit occaſione fideiuſſionis, teneatur ille, pro quo fideiuſſerit, & eius hęredes conſeruare eum, & ſuos hæredes indemnes ab omni eo, quod ſoluerit, & damnis, & expenſis, & intereſſe, de quo intereſſe ſtetur iuramento ipſius fideiuſſoris, vel ſuorum hæredum, Iudicis tamen taxatione pręmiſſa: & teneatur Iudex ad petitionem fideiuſſoris, vel ſuorum hæredum ante condemnationem, & poſt facere detineri principales, pro quibus fideiuſſerit, ſi ſuſpectos habuerit, & dare nuncios, & Berroarios, qui tales capiant, & detineant, donec ſoluerint, vel eos extraxerint de obligatione; Prædicta tamen non vendicent locum in fideiuſſoribus, ſiue defenſoribus perpetuis quoad extractionem fideiuſſionis, ſed quo ad conſeruationẽ indemnitatis, & alia locum habeant; & idem ſit in eis, quod in aliis fideiuſſoribus: Et ſi plures fideiuſſores fuerint obligati, & creditor aliquem liberauerit, vel alicui pactum de non petendo fecerit, non teneantur fideiuſſores alij pro parte liberati, & tale pactum eis proſit; & idem ſeruetur in fideiuſſoribus alicuius vniuerſitatis, vel alicuius forenſis; & Capitaneus, & Iudex non cogat aliquem fideiuſſorem, vel promiſſorem prætextu alicuius promiſſionis factæ in criminalibus cauſis, niſi vſque ad quantitates his ſtatutis determinatas; & idem ſeruetur per omnia in illis, qui etiã principaliter pro aliquo ſe obligauerint, vel pro aliquo interuenerint quoquo modo; dummodo talis deſcriptus, vel eius hęredes proprio iuramento affirment pro illo alio interueniſſe, vel ſoluiſſe, niſi contrariũ fuerit probatum per reũ, & in, & pro dicta cõſeruatione indemnitatis intelligantur bona dicti principalis, & eius hæredum obligata à die interceſſionis,

ſeu Fideiuſſionis factæ quoquo modo, & contra eum, vel eos, & eorum bona procedatur, ac ſi verè eſſent obligati, & obligata ex inſtrumento guarantigiæ: & idem intelligatur reſpectu eius, qui ius haberet à tali Fideiuſſore, vel obligato, vt ſupra, vel eius hæredibus: Et liceat creditori prius Fideiuſſorem, quàm principalem, vel ambos ſimul conuenire, & exigere nulla excuſſione facta, & vbi ſunt plures Fideiuſſores, vel alij in ſolidum obligati, & vnus totum ſoluere coactus ſit habeat regreſſum ſoluens contra confideiuſſores, vel Correos pro eorum ratis, vbi principalis, vel eius hęredes ſoluendo non ſunt.

DE IVRE REDDENDO CONTRA TVTORES, ET ALIOS. XXXIIII.

TVTORES, & eorum hæredes teneantur in fine cuiuſlibet anni etiam non requiſiti reddere rationem adminiſtrationis tutelæ duobus ad minus promixioribus coniunctis pupilli coram Iudice, vel reddere ſe paratos, & libros, & neceſſaria offerre; aliter reuocari de facto poſſint per Iudicem, quando eidem opportunum fore viſum fuerit, & pupillis, vel adultis poſt finitam tutelam, vel curam, vel eorum hæredibus, & coram Iudice, & duobus eorum proximioribus, vt ſupra. Et Iudex habeat plenam Iuriſdictionem, & poteſtatem procedendi in dictis quæſtionibus, & inquirendi veritatem omnibus modis, quibus poteſt; & poſſint compelli, & compellantur tutores, & curatores, & eorum hæredes, ac fideiuſſores ad reſtituendum quantitatẽ, in qua eſſent obnoxij; non tamen per tormenta: ſaluo, quòd ſi deinceps prædicti adulti, vel aliquis eorum, vel hęredes ipſorum non petierint rationem ſibi reddi infra quinque annos poſtquam peruenerint ad legitimam ętatem vigintiquinque annorum, non poſſint dicti quondam pupilli, vel adulti contra dictos tutores, & curatores, ſeu fideiuſſores, vel eorum hæredes, ſeu bonorum poſſeſſores ipſas rationes reddi petere, nec reddere teneantur; ſed ſint auctoritate præſentis capituli, & eſſe intelligantur poſt dictos quinque annos à dicta ætate legitimè computandos ab ipſis rationibus, & tutelę, ſeu curæ adminiſtrationibus liberi, & abſoluti.

DE IVRE REDDENDO CONTRA PROCVRATORES. XXXV.

SI aliquis procurator, vel geſtor negociorum alterius de bonis ipſius, cuius procurator erat, vel negocia gerebat, aliquid perceperit quocumque modo, ſeu confeſſus fuerit ad ſe aliquid perueniſſe, reſtituere compellatur, & habeatur talis confeſſio pro plena probatione, & efficaci promiſſione; & ſic mandetur executioni contra ipſum confeſſum, & eius hæredes, & bona in omnibus, & per omnia, ſicut ſolemne inſtrumentum continens præceptum guarantigiæ, & veniant bona talis procuratoris, vel negociorũ geſtoris præſentia, & futura in obligatione illi, pro quo recepit pecuniã: Et idem intelligatur, & fiat contra Actores, Curatores, & fideicommiſſarios, & eorum hæredes, & bona, & bonorum poſſeſſores, & ſi Dominus ſteterit per quinque annos, quod à dicto procuratore, vel alijs, vt ſupra, non petierit rationem, ſeu adminiſtrationem illam, de cætero petere non poſſit, nec habens iura ceſſa ab eo, vel qui habuerit in præteritum, nec etiam creditores talis Domini ipſum procuratorem, ſeu alios, de quibus ſupra, vlterius moleſtare poſſit dicta occaſione, & intelligatur eſſe dictus procurator, & alij ab ipſa adminiſtratione liberè abſolutus, & abſoluti: & Dominus,

&

& etiam ceſſionarius dictam abſolutionem ad petitionem talis procuratoris, & aliorum, vt ſupra, nihilominus de facto facere compellatur de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij: Habeat tamen dictus ceſſionarius regreſſum ſaluum, & integrum contra cedentem. Et hæc omnia locum habeant, & obſeruentur in Syndicis Vniuerſitatis cuiuſcumque conditionis exiſtant.

DE IVRE REDDENDO CONTRA DEPOSITARIOS. XXXVI.

SI alicui fuerit datum aliquod depoſitũ, & de ipſo non fuerit ad effectum, ad quem factum fuerit, ſatisfactum, teneatur, & debeat talis depoſitarius reſtituere totum depoſitum non ſolutum ipſi, pro quo depoſitum fuerit, & tales depoſitarij compellantur ad oſtendendum libros rationum ſuarum ad petitionem deponentis, prout, & qualiter Iudici videbitur: & prædicta fiant qualibet die etiam feriata in honorem Dei, & viſa veritate, & de facto, & omni pœnitus ſolemnitate ommiſſa. Et omne depoſitum poſſit fieri pœnes quamcumque perſonam; dummodo per Iudicem approbetur; nullumq; ſalarium ſibi ſolui petere poſſit is, apud quem fit depoſitum.

DE CONTRACTIBVS SIMVLATIS. XXXVII.

QVOSCVMQVE Contractus, obligationes, & inſtrumenta per violentiam celebrata teneatur Iudex facta quærela, & ſibi de prædictis facta fide, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij caſſare, & caſſari facere ab eis, vel ab eo, quibus, vel cui facta eſſent, & eos, vel eas, & ea nullos, nullas, & nulla pronunciare; & eidem in cuius fauorem celebrata ſunt præcipere, ſub pœna librarum quinquaginta, & plus arbitrio dicti Iudicis, quòd rem reſtituat, & inſtrumenta faciat cancellare, & inſuper reficere fructus inde perceptos, & poſſit probari dicta violentia, & ſufficiat per legitimas probationes, vel veriſimiles præſumptiones prout dicto Iudici viſum fuerit expedire; etiã intelligatur violentia, quando quis ingreſſus fuerit poſſeſſionem. & bona alicuius per violentiam, & ob illam cauſam peruenerit ad poſſeſſionem, ſiue ad ipſos contractus, & aliis modis arbitrio dicti Iudicis: & in prædictis poſſit procedi non obſtante contumacia rei, & eodem modo procedatur, & fiat in contractibus ſimulatis per legitimas, & claras probationes, & prout dicto Iudici, vt ſupra, viſum fuerit. Et ſufficiat pactum de retrouendendo cum modicitate precij ad præſumendum ſimulatum cõtractum, & modicitas intelligatur, vbi eſt minoritas precij in tertia parte, & in ſolito fœnerari contrahente cum pacto prędicto ſufficiat minoritas precij in quarta parte, nec in pręmiſſis conſideretur res eſſe minoris precij ex onere pacti de retrouẽdendo appoſiti: & in probatione precij, ſi de maiori, ac minori precio factæ fuerint probationes, Iudex ſecundũ mediocritatẽ arbitrio ſuo valorẽ declaret, nec maius, aut minus preciũ attẽdere debeat.

DE TVTORIBVS, ET EORVM OFFICIO, ET RERVM PVPILLORVM ALIENATIONE PROHIBITA. XXXVIII.

NVLLA alienatio fieri poſſit de rebus immobilibus pupillorum, nec compromiſſum ab aliquibus tutoribus ſine auctoritatẽ, & decreto Iudicis, ſed omnia cum conſenſu, & auctoritate eius fieri poſſint, & debeant ſubhaſtatione tamen facta.

Et tutores, qui citra hęc, vel aliquod prædictorū fraudem cōmitterent, ſiue dolum, puniantur banno decē librarum, & plus, & minus inſpecta qualitate delicti, & ſubſtātia pupillorū, in qua fieret fraus, & inſuper damnū, quod inde idem pupillus haberet, dicti tutores reſtituere teneantur pupillo; & ſi aliquis contractus, vel inſtrumentū excepto inſtrumento abſolutionis tutelæ, appareat inter tutorem, & pupillum factum infra ætatem vigintiquinque annis, dicti quondam pupilli de quacumque alia re, quod Iudici videretur in fraudem, vel detrimentum pupillorum celebratum aliquibus præſuntionibus, vel Iudicis, Iudex compellat tutorem ipſum ad reddendum rationem in totum; & prędicta inſtrumenta in fraudem pupillorum caſſanda, & irritanda ſint, ac ſi nullo modo facta fuiſſent, & præſentibus ad minus duobus de melioribus, & ſapientioribus ſuis conſanguineis, & amicis reddere debeat rationem adminiſtratæ tutelæ, & adminiſtrationis geſtæ, ſcilicet de omnibus, quæ ad eius manus peruenerunt ex prædictis, & oſtendat tutor librū rationis, & inuentarium, & omnia inſtrumenta, quæ habet, & ſcripturas: Et ipſa ratione diligenter reddita corā dictis duobus coniunctis, vel amicis, pręſentet ſe Iudici, & coram eis fiat abſolutio, & inſtrumentum factum inde auctoritate interpoſita per Iudicem valeat, aliter non. Et quilibet tutor teneatur quolibet anno etiam non requiſitus, ſaltem ſe offerre, vt ſupra diximus, reddere rationem ſuę adminiſtrationis coram duobus ex proximioribus coniunctis, vel amicis, & ſcribere per manum vnius Notarij introitus, & expenſas ſummatim ipſius anni: teneatur etiam ſatis dare his, quorum intereſt, de his, quorū reperiretur obnoxius: & omnis tutor teſtamentarius, ſiue legitimus, vel datiuus teneatur iurare, tractare ſine fraude, & malitia ſecundum formam iuramenti tutelæ, & inuentarium facere, fideiuſſorem pręſtare, ſiue remiſſa fuerit ſibi ſatiſdatio per teſtatorem, ſiue non, & omnem pecuniam, quæ ad eorū manus peruenerit occaſione eorum adminiſtrationis, conuertere in emptionibus prædiorum, & ad vtilitatem pupillorum, quorum bona adminiſtrare debuerunt; quod ſi non fecerint, teneantur reſpondere pupillo ad rationem duorum denariorum pro qualibet libra, & quolibet menſe; & quilibet tutor, ſiue tutrix finito tempore tutelę etiam non requiſitus coram Iudice denunciet, quòd ipſe, vel ipſa geſſit tutelam talis pupilli, ſiue talium pupillorum, & quòd ipſe Iudex congregare faciat conſanguineos, & affines pupillorum, quorū tutelam geſſerit; & eos cogere teneatur, vt eligant duos ex eis, vel plures ſecundum quantitatem negocij ad arbitrium Iudicis, qui electi teneantur intereſſe rationi tutoris, ſiue tutricis, ipſaq; facta, & approbatā per Iudicem prædictum abſoluantur prædicti tutores, ſiue tutrices, & aliter non poſſint abſolui, & ſi aliter abſolutio fieret, non valeat, nec teneat, nec iūri pupillorum ſiue puberum derogetur.

DE PRODIGIS. XXXIX.

NVLLVS poſſit dici, vel haberi prodigus, niſi fuerit approbatus per Iudicem & etiam interueniente aſſertione trium proximiorum coniunctorum illius, qui peteretur dici, vel appellari prodigus, qui tales coniuncti ſint bonæ conditionis, & famæ, & maiores vigintiquinque annis: quo ordine ſeruato banniatur publicè per Ciuitatem Arretij, & aliter quis dici prodigus, vel haberi non poſſit: & quòd nulla perſona poſſit contrahere cum eo, de quo fuerit bannitum per Ciuitatem in locis conſuetis: & ſi contraxerit poſt ipſum bannimentum contractus ſit nullus, & nullius valoris, ſi probatum fuerit de banno per publicum inſtrumentum manu Notarij cauſarum ciuilium Communis Arretij factum, & non per alium Notarium.

DE FILIORVMFAMILIAS, ET MINORVM OBLIGATIONE. XXXX.

NVLLVS filiusfamilias etiam emancipatus minor vigintiquinque annis poſſit ſe alteri obligare ſine licentia patris expreſſa: Filius tamen familias maior vigintiquinque annis,& Mercator, vel Artifex,qui ſciente patre cōtraxerit; & præſumatur ſcientia patris,ſi ſimul cùm patre habitaret etiā ſine licentia patris poſſit, ſe eſſe ctualiter obligare. Et nullus minor vigintiquinque annis patrē non habens poſſit,ſe alteri obligare,niſi in pręſentia Iudicis,& cùm eius cōſenſu,& etiā de conſenſu vnius cōiuncti maioris vigintiquinque annis bonę conditionis,& famę, quæ ad eius obligationem ſufficiant interuenire; & ſimiliter nullus habitus, aut dictus prodigus. vt ſupra, titulo proximo diximus, poſſit ſe alteri obligare, niſi in præſentia Iudicis prædicti, & cum eius conſenſu, & cùm conſenſu duorum ſuorum proximiorum maiorum vigintiquinque annis bonæ conditionis, & famæ, niſi in caſu dotis ſuę vxoris, & donationis, & reſtitutionis dotium prædictorum filiorum familias, & prodigorum. & aliter obligatio facta per prædictos præſumatur, & habeatur ſimulata, ac ficta, & facta ſine conſenſu; & contractus tunc dolo initus intelligatur; & ſufficiat probare ætatem per librum Fraternitatis, in quo omnes ferè baptizati ſcribi conſueuerunt.

DE OBLIGATIONE MVLIERVM. XXXXI.

QVONIAM nouimus minores,& filiosfamilias, & mulieres variis modis à contractibus circumueniri, & decipi, ſtatuimus, quòd nulla mulier,ſiue vidua,ſiue maritata per ſe, vel cum viro ſuo, vel pro viro poſſit ſe obligare,aut creditori viri conſentire ſimul, vel ſeparatim, vel alio modo ſe obligare, & obligatio non valeat, nec teneat, & nullum ſortiatur effectum,niſi interueniat conſenſus patris,ſi patrem habet; & ſi patrem non habuerit, interueniat conſenſus fratris maioris vigintiquinque annis bonæ conditionis, & famæ, & ſi patrem, vel fratrem non habuerit, cùm conſenſu duorum magis cuniunctorum vſque ad quartum gradum ſecundum ius canonicū, & bonæ conditionis,& famæ & in defectu propinquiorum prædictorum cum conſenſu Dominorum Rectorum Fraternitatis,vel maioris partis eorum,& aliorum duorum proximiorum vltra quartum gradum, vel vnius eorum, ſi duo non extarent, & aliter obligatio facta præſumatur,& habeatur ſimulata,ac ficta,& metu facta, & ſine conſenſu.Planè vbicumque mulier conſenſu patris,ſi patrem habeat,vel fratris maioris vigintiquinque annis bonæ conditionis,& famæ quando patrem non habet; vel duorū proximiorum coniunctorum: ſeu Dominorum Rectorum, ſi patrem, vel fratrem non haberet,ſe obligauerit,vel obligatæ forent, vel conſenſerint, vel renunciauerint iuri hypothecarum,non poſſint ipſa,vel filius eius,vel nepotes,vel alius de liberis,vel hæredes ipſius,vel alicuius eorum contrauenire vllo modo vigore inſtrumenti dotalis, vel pactorum eius lege aliqua, vel ſtatuto non obſtante; quod locum habeat in præteritis, præſentibus, & futuris.

DE OBLIGATIONE SOCIORVM. XXXXII.

QVILIBET ſocius alicuius negociationis,mercātiæ ſiue artis,in qua, ſeu de qua ſocium,vel ſocios habeat,& contraxerit obligationem,dominium, poſſeſſio,&

actio

actio ipſo iure,& etiã directa queratur alteri ſocio,& ei,qui ius haberet ab illo, ita quod agere poſſit,& exigere cum effectu ab illis,ſeu illa perſona,quę promiſſionẽ,ſeu obligationem, ſeu contractũ feciſſet,ac ſi ipſe, vel ipſi contraxiſſent,vel ſtipulati eſſent,& eius hæredes , & eis poſſit fieri ſolutio: Et ſi dictus debitor alicui ex dictis ſociis, vel ius habentibus ab eis ſoluerit, ſit ab obligatione abſolutus, & liberatus, & obligationem , de qua etiam facta fuerit ſolutio alicui ſociorum, vel ei, qui ius haberet ab aliquo ex ſociis faciat, ſi petatur, Iudex ipſam cancellare ſaluo iure ſociorum inter ſe. Et ſi contigerit aliquem,ſeu aliquos quoſcumque recepiſſe,vel recipere aliquam obligationem,ſtipulationem,ſeu promiſſionem,vel contractum, ſeu actionem nomine alterius acquiratur, vt ſupra,ius,actio,dominium,& poſſeſſio illi, ſeu illis etiam ignorantibus, quorum nomine ſtipulatio facta eſſet,& obligatio,ſeu actio recepta eſſet,ita quod poſſit agere,petere, exigere, & actionẽ acquirere aliquo iure non obſtante: Et inſuper quilibet ſocius etiam in ſolidum teneatur ex obligatione , vel contractu pro altero ex ſociis celebrato, pro dicta ſocietate,vel conuerſis in ea:& dictorum ſociorum bona pro prędictis intelligantur obligata,ac ſi per inſtrumentum contractum fuiſſet. Factores tamen dictos ſocios non poſſint obligare,niſi quatenus eis mandatum fuerit,& intelligantur ſocij, qui inuicem pro talibus ſe tractant , & publicè pro ſociis habentur. Et ſi quis contraxerit nomine alterius,præſumatur pecunia fuiſſe illius,cuius nomine contractum fuerit, niſi contrarium appareat manifeſtè . Et ſi quis contraxerit nomine minoris vigintiquinque annis , ipſe contrahens poſſit agere nomine dicti minoris; & Notarij habentes inſtrumenta poſſint dare illa taliter contrahenti, & ipſe contrahens rem , vel quantitatẽ promiſſam,& capere,& exigere,& de exactis, & receptis quietare ; teneatur tamen minori petenti de receptis , & ſolutis cum effectu rationem reddere .

DE REBVS COMMVNIBVS, ET EARVM DIVISIONE. XXXXIII.

RERVM Communium,vel Communiter retentarũ præſcriptio,aut ætas, vel priuilegium prouocationis non obſtent,quo minus diuiſio fiat,& habenti rem cõmunem debeat dari pars illum contingens expedita iuxta ſe,ſaluo melioramento,ſi ibi fuerit, & habenti maiorem partem de re communi pars ſua dari debeat libera, & expedita tota continua ab vna parte ſaluo melioramento,vt prædicitur,& ſi res non poſſet commodè diuidi,detur tota habenti maiorem partem pro iuſto precio libera, & expedita,vt dictum eſt,& vbi partes fuerint ęquales, & non patiatur commodam diuiſionem,volens illam diuidere,teneatur totam rem æſtimare, & dare electionem rei, vel precij conſorti,& electio fieri debeat infra triduum, quo termino elapſo res ipſa remaneat æſtimanti pro æſtimatione facta; & qui totum habuerit , teneatur infra menſem conſorti dimidium precij ſoluere,quo elapſo etiam nulla facta citatione Notarius bullectam concedere teneatur. Et ſi aliquis habens turrim, vel palatium Communia, vel inutilia,& deſtructa requiſitus fuerit ab aliquo ſuo conſorte reædificare,& recuſauerit, compellatur diuidere cum ſuo conſorte inde ad vnum menſem,& ſi commodè, vt ſupra diuidi non poſſe fuerit iudicatum,ſeruetur,& fiat,prout dictum eſt proximè. Inſuper quicumque habens plateam communem , ſeu caſellinum , ſiue muros , & voluerit ædificare domũ in ipſis, vel reficere, vel perficere, ædificare, vel murare,& conſors requiſitus recuſauerit, vel intra ſex mẽſes ædificare non inceperit,& de perficiendo intra terminum à Iudice ſtatuendũ, idoneè non ſatiſdederit, conuenienti appoſita ſemper pœna,dictus requirens poſſit,& valeat ædificare,ac perficere, dummodo ſatiſdet de complendo,

plendo, vt ſupra, & de modo, & qualitate ædificij, ſi non conuenerint, ſtetur Iudicio Diſfinitorum prædictorum, qui poſſint, & debeant cui ipſis videbitur honoratius ædificāti, vel perficienti facultatem dare ſatiſdatione, vt ſupra, ſemper accedente, & condemnare ædificantem ad precium non ædificanti per eos declarandum, & ſoluēdum infra terminum etiam per eos ſtatuendum, quo termino elapſo licentia grauandi conceſſa intelligatur; & per quemlibet Notarium Banci dari valeat apotiſſa, ſaluo quod dictum eſt de re communi emenda, & vendenda. Et ſi aliqua refectio neceſſaria fuerit in aliquo molendino, vel gualcheria, vel in eorum cluſis, vel baregnis quod, vel quam habeant plures conſortes, & aliquis de conſortibus noluerit ad expenſas conferre, requiratur per illum, vel illos ex conſortibus, & expectent per quindecim dies; & ſi conſors non fuerit in concordia de refectione, ille conſors, qui talem requiſitionem fecerit, poſſit facere neceſſarias, ſiue vtiles expenſas ad refectionem ipſius rei, & tandem lucretur fructus rei, quàmdiu reſtitutæ fuerint expenſę. Et habentes poſſeſſiones vbicumque cōmunes teneantur ipſas inter ſe diuidere: & ſi alter ex conſortibus vellet ab aliis diuidere in groſſum ab vna parte, & non minutatim quamlibet rem per ſe, audiatur faciendo duas partes, & vel plures, ſi plures ſunt conſortes, dando optionem ſuo conſorti, ſeu conſortibus, ſi plures ſunt, accipiendi vnam partem, quam voluerit: Et ſi aliquis fuerit vocatus ſuper diuiſione rei communis faciendæ per duas citationes factas perſonaliter, vel ad domum dummodo citatus fuerit in Ciuitate Arretij, vel diſtrictu, vel etiā extra, ſi fuerit perſonaliter citatus cum ſpacio decem dierum intet citationes ambas, & non venerit, ſed contumax fuerit, poſſit, & debeat ad diuiſionem rei communis in contumacia ſic vocati deueniri, vz. quòd eligātur duo diuiſores de propinquioribus eorum, inter quos petitur ipſa diuiſio fieri, qui debeant ipſam rem diuidere benè, & ęqualiter, & prout melius, & conuenientius fieri poterit, & factis cædulis de ipſis partibus, ipſæ cædulæ dentur ad ſortem ipſis conſanguineis ſic electis, & vnus habeat vnam cædulam pro parte vnius, & alius pro parte alterius, ſicut ſcriptum fuerit, & talis diuiſio ſit firma, & rata, & improbari non poſſit. Electio verò cōſanguineorum fiat per illum, qui petit diuiſionem fieri, & per alium, à quo petitur diuiſio facienda; & in contumacis abſentia Iudex eligat; & ſi dicti duo non eſſent concordes, eligatur tertius, vt ſupra, per Iudicem, cuius ſententię parere debeant: Et prædicta locum habeant in omnibus ædificiis, & rebus communibus Ciuitatis, Campariorum, & Cortynarū Arretij non obſtantibus pactis, inſtrumentis, iuribus, & ſtatutis in conrrarium loquentibus.

DE SOCCITIS ANIMALIVM. XXXXIIII.

QVILIBET, qui animalia in ſoccitam dederit, vel receperit pacta inita ſeruare debeat, & ſemper intelligatur obligatus ipſe recipiens animalia in ſoccitam benè, & diligenter nutrire, gubernare, & cuſtodire pariter, & eorum fœtus, & de fructibus debitis temporibus danti in ſoccitam reſpondere, & rationem reddere, & dicta animalia, & eorum fœtus ad Ciuitatem Arretij ducere ad omnem requiſitionem illius, qui ea dedit: & pro obſeruantia omnium, & ſingulorum ſupra, & infra ſcriprorum intelligantur eſſe, & ſint omnia, & quęcumque bona talis in ſoccitam recipiuntur obligara: Et ſi caſus interitus alicuius ex dictis animalibus caſu fortuito, aut aliter ex diuino iudicio euenerit, tunc dictus retinens prædicta animalia teneatur, & obligatus ſit infra tres dies à die interitus cuiuſlibet animalis notificare ipſi, qui dedit dicta animalia interitum animalis, ſeu animalium, & portare pellem, ſeu pelles ad domum prædicti, qui dedit, ſi ſint talia, & eius generis animalia, quæ excoriari conſueuerunt, aut

pet

per alia ſigna cuiuſcumque generis animalia ſint certum facere dictum, qui dedit, de interitu dicti animalis, vel animalium: & prædicta non faciendo intelligatur tale animal, vel talia animalia peremptum, & perempta culpa, & defectu prędicti retinentis in ſoccitam, & teneatur, & obligatus ſit emendare dictum animal, ſeu animalia dicto danti, & damna, & intereſſe ad æſtimationem duorum amicorum à partibus eligendorum; &, ſi non concordauerint, Iudex teneatur tertium eligere, & duorum ex eis declarationi ſtetur: Et Iudex Domini Capitanei Ciuitatis Arretij, & etiam ius dicens illius loci, in quo fuerint dicta animalia, requiſitus teneatur, & obligatus ſit ſine libello, & ſine figura iudicij iuſtitiam adminiſtrare, & emendationem talium animalium, & damna, & intereſſe refici facere, vt ſupra declarata: A qua declaratione appellari, vel aliter recurri non poſſit, ſed illa poſſit, & debeat, vt ſupra, exequi, & executioni mandare. Inſuper nullus retinens animal, ſeu animalia in ſoccitā cuiuſcumque loci, & conditionis exiſtat, poſſit, & valeat vendere, permutare, aut aliter alienare dictum animal, ſeu dicta animalia abſque expreſſa eius licentia, qui dedit in ſoccitam, ſub pœna florenorum triginta, auri larg: vice qualibet, qua contrafecerit applicandorum ipſo facto, quo contra fecerit, pro medietate Communi Arretij; & pro vna quarta parte Officiali exigenti: & pro alia quarta parte illi Domino, qui animalia in ſoccitam dedit pro ſuis damnis, & intereſſe, & ſimilem pœnam incurrat emens, vel permutans, vel aliter contrahens cùm prædicto vendente, retinente dicta animalia ad ſoccitam, ſi ſcienter contraxit: Et Iudex Domini Capitanei, aut alterius contrahentis habeat facultatem arbitrandi, & pronunciandi, ſi ſcienter, vel ignoranter contraxerit ex veriſimilibus coniecturis, ſi probationes directæ haberi non poſſunt: & nihilominus talis contractus dictorum animalium ſit ipſo iure nullus; & dicta animalia à quocumque poſſeſſore vendicari poſſint, & ſufficiat illa vendicanti probare eadem in ſoccitam dediſſe, & emens ſcienter precium, quod exoluit, aut aliam aliquam rem, quam dedit, perdat, & cedat lucro illi, qui in ſoccitam dederit. Et ſi dicta animalia alienata haberi non poſſint per eum, qui animalia in ſoccitam dederit, teneatur, & obligatus ſit talis venditor, & alienans dicta animalia ipſi, qui dedit emendare vltra ſupra dictam pœnam, & ad omnia ſupraſcripta cogi poſſit, & valeat ſine ſtrepitu, & figura iudicij, vt dictum eſt. Et finita ſoccita vel vbi dans, vel recipiens ad diuiſionem venire voluerit, teneatur in ſoccitam retinens, volente eo, qui dedit, ducere ad Ciuitatem Arretij animal, vel animalia dictæ ſoccitę, & eorum fœtus, & diuidere volens teneatur imponere precium, & prouocatus habeat terminum dierum trium ad reſpondendum, vtrum velit pro dicto precio; & talis prouocatus volens dilationem dictorum trium dierum ad reſpondendum, teneatur dare fideiuſſorem de reducendo dicta animalia, ſeu animal ad dictam Ciuitatem, vel de dando fideiuſſorem ſoluendi alteri id, quod ſibi obuenerit infra quindecim dies, & aliter animalia ſecum ducere non valeat: Si verò prouocatus noluerit pro dicto precio, tunc qui illa dedit, & cui remanſerunt, teneatur dicto, qui ea retinuit, ſoluere, quod ſibi obuenit infra octo dies, & cum ſatiſdatione, ſi ipſe iam retinens petierit; & elapſis quindecim diebus prædictis ſi domino nō fuerit ſatisfactum, liceat ei precium æſtimationis petere, aut animal, ſeu animalia pro eadem æſtimatione facta repetere, & accipere, prout ſibi magis placuerit: & in prædictis omnibus, & ſingulis procedatur, & procedi debeat ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & infra tempus, & terminum quindecim dierum.

QVOD HABENS MVRVM COMMVNEM REFICERE, ET COMMVNICARE TENEATVR. XXXXV.

SANCIMVS, quòd quicumque habuerit aliquem murum communem non ſufficientem in ædificando in eo domum, vel inclinantem potius ad ruinam, quàm ad perpetuam firmitatem, poſſit ille, qui domum ædificare voluerit, vel timeat de ruina, ipſum murum de nouo reficere ad calcem, & cogere, & cum effectu compellere talem conuicinum, cuius eſt dictus murus communis cum eo, ad reficiendum dictum murum, vt ſupra, de nouo communibus expenſis eorumdem in ea altitudine, in qua eſſet dictus murus antiquus, dummodo talis conuicinus non ſit nimis pauper, & inſufficiens ad dictum murum reficiendum, quod in prouiſione Iudicis remaneat, recepta prius de paupertate, & inſufficientia fide legitima. Prædicta autem moderatio locum habeat in primo caſu dumtaxat, non autem cum murus videatur inclinare ad ruinam; quinimmo ſemper ad refectionem compellatur: & prædicta facere teneatur Iudex ſub vinculo iuramenti facta ſibi fide de prædictis, de plano, & ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Et quicumque habuerit murum proprium in Ciuitate Arretij iuxta aliquam plateam, ſiue caſellinum, vel domum, quæ non habeat murum ex illa parte alterius, & ille, cuius fuerit platea, ſeu caſellinum, vel domus, voluerit emere dimidium dicti muri, teneatur Dominus muri ei communicare dictum murum, & dimidiam ipſius vendere, ſi ipſam emere voluerit precio competenti, non obſtante quòd Dominus talis muri per teſtamentum, vel alium modum, lex neceſſaria, conditionalis, vel pœnalis fuerit impoſita, quòd murum non poſſit vendere, & ſi quando vendiderit, priuetur iure ſuo, vel aliam pœnam incurrat, quo caſu lex, vel prohibitio ſit nulla, & auctoritate, & vigore huius ſtatuti pro non impoſita habeatur, & venditor nullum ius perdat, vel pœnam incidat ſic vendendo: & ſi de precio non fuerint concordes huiuſmodi contrahentes tunc qui libet eorum eligat vnum bonum magiſtrum lapidum ſuper æſtimatione, & declaratione precij ſupradicti, qui ſi fuerint concordes benè quidem, aliter per Iudicem tertius eligatur, & ſtetur dicto duorum ex dictis Magiſtri computata perſona tertij: & ad prædicta facienda, tàm partes, quàm æſtimatores de plano compellantur per Iudicem cum effectu; nec tamen locum habeant, ſi ille, cuius fuerit platea, ſiue caſellinum, ibi domum voluerit, aut ceperit ædificare, & de ipſa facienda, & complenda præſtet ad mandatum dicti Iudicis idoneam cautionem. Et quilibet habens domum, & iuxta eam habeat conuicinum, qui velit ædificium notabile ædificare, vt ſupra, compellatur tali conuicino pro iuſto precio vendere, de quo ſi non fuerint concordes ſtetur Iudicio Diffinitorum, quorum iudicio ſtetur, quod dicatur notabile ædificium, & ſecundum declarationem teneatur ædificare, volens idoneè cauere de illud conſtrui faciendo infra tempus etiam à dictis Diffinitoribus ſtatuendum.

DE BONIS NON VENDENDIS INREQVISITIS VICINIS. XXXXVI.

HABENS domum, turrim, caſellinum, plateam, hortum, vel clauſtrum in Ciuitate, vel Corrynis Arretij iuxta aliquam domum, turrim, caſellinum, plateam, hortum, vel clauſtrum alterius, vel aliquod prædictorum, vel aliquam rem immobilem communem cùm alio volens illam, vel eius partem vendere, ſeu quocumque

Titulo

Titulo pręterquam donationis alienare ordinem infraſcriptum ſeruet, v 3. Quòd citatis omnibus conſortibus; & conuicinis prædictis pro prima, vel ſecunda die vendere volens compareat coràm Iudice, & notificet talibus citatis, quòd ipſe intendit vendere talem rem, vel res, & ſi quis eorum vult emere, quod citius vult, & intendit eis vendere, quàm alteri extraneo: & ipſo iure intelligatur terminus ſtaturus trium dierum dictis citatis ad dicendum, vtrum velint emere, qui tamen terminus non comparenti intimetur cum bina cædula continente ad cuius inſtantiam, & ad quid citatus, quarum vna relaxetur per Nuncium perſonæ, vel domi; altera detur Notario, vt diximus ſupra Tit. primo. Si verò nullus comparet, tunc talis, qui vendere obtulit, poſſit, cui ſibi placebit, liberè vendere, & ſi infra duos tunc ſequentes menſes non vendiderit, ſi poſtea vendere voluerit, teneatur iterum ordinem, de quo ſupra, obſeruare, & facta oblatione, de quà ſupra, in omni caſu, quod vnus ex conſortibus, vel ex vicinis velle emere dixerit ei, vel cui. vt infra, vendere obtulit, talis offerens cogatur omnino vendere, & è contrario etiam talis, qui emere velle dixerit, teneatur omnino emere. Si verò citati, vel eorum pars comparuerint, & dixerint ſe velle emere, Iudex, & diffinitores Communis Arretij partibus monitis teneantur, & debeant videre res vendendas, & habeant dicti Iudex, & Diffinitores, vel maior pars eorum omnium auctoritatem examinandi, cognoſcendi, terminandi, & iudicandi, cui ex dictis comparentibus emere volentibus huiuſmodi res magis conueniat, & infra tunc trés dies iudicare, declarare, & terminare, cui magis vendi conueniat, & intelligatur magis conuenire conſorti, vbi communis res vendi offertur, & conſors coniunctus præferatur conſorti tantùm; & vbi pares eſſent conſortes, & coniuncti, præferantur proximiores, & quoad vicinos vicinus, & coniunctus præferatur vicino tantùm: & vbi fuerint plures conuicini, & coniuncti ſimul præferantur proximiores; & vbi ſunt vicini tantum, pręferatur habens plures confines, & data paritate ille præferatur, cui magis, vt ſupra, fuerit declaratum conuenire, & coniuncti hoc caſu vſque ad quartum gradum de iure Canonico, & incluſiuè tantùm comprehenſi intelligantur, & vbi vnus ſolus dixerit, ſe velle emere, tunc ei fiat venditio, & vbi vẽditurus. vt ſupra, cũ empturo de precio nõ conuenerit infra triduũ à die, quo emere dixerit, vel factæ, vt ſupra, declarationis, dicti Diffinitores ſimul cùm duobus amicis cõmunibus eligendis pro qualibet parte infra tres dies proximè ſequentes à die intimationis computandos teneantur, & debeant declarare precium, & valorem talis rei, & illud, quod per eos, ſeu duas partes eorum fuerit declaratum, plenum habeat effectum, & pro illo precio declarato teneantur prædicto vendere, & vt ſupra, emere; quos diffinitores, & amicos communes in prædictis, aut circa pręd icta negligentes Iudex teneatur, & debeat ad petitionem cuiuſlibet, vel alterius partium prædictarum cogere etiam ſub pœna ſuo arbitrio imponenda, vel detinendo, ne diſcedant de palatio, quin prius dictum precium declarauerint. Si verò per aliquem contra hoc ſtatutum factum fuerit, vel fuerit facta aliqua emptio de aliquibus ex prædictis rebus præſenti ſolemnitate, & ordine non ſeruato, talis vendens, vt ſupra, contrafaciens, & non ſeruans prædicta, ipſo facto incidat in pœnam librarum centum communi Arretij cùm effectu ſoluendam; & nihilominus talis venditio ſit ipſo iure nulla, & ad faciendam venditionẽ talis rei conuicino, vel cui fuiſſet declaratum, & iudicatum, vt ſupra, congruentius conuenire, omnino cogatur; & in omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis procedatur, & procedi debeat ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij; & etiam de omnibus, & ſingulis ſupradictis fiat ſcriptura manu vnius ex Notariis Actuariis cauſarum ciuiliũ Communis Arretij, & non per aliquem alium, & ſi ſecus fiat, non valeat, & non teneat modo aliquo: Et dicti Diffinitores, & amici communes pro eorum mercede, tàm ad

declarandum

declarandum cui magis res conueniat, quàm etiam ad eius precium declarandum debeant habere id, quod fuerit declaratum per Iudicem, quod ſoluere teneatur ille, cui fuerit vendenda: Quando verò pręfati Diffinitores,& amici communes declarauerint precium dictæ rei vendendæ, tunc,& eo caſu ſalarium ipſorum ſolui debeat eis,ſecundum quod fuerit declaratum per Iudicem pro medietate ab emptore, niſi cōtrahentes aliter inter ſe conuenerint. Et nulla venditio facta contra formam pręſentis ſtatuti dici poſsit nulla, niſi infra annum à die factæ emptionis,& ſcientiæ numerandum.

DE ARBORIBVS EXISTENTIBVS IN BONIS ALTERIVS. XXXXVII.

OMNES habentes arbores in terra alterius teneantur, & debeāt ipſas arbores vendere illi,vel illis, quorum ſunt terræ pro precio declarando per duos communiter eligendos,& compellantur, dummodo terra ſit maioris valoris, quàm arbores in dicta terra exiſtentes; & ſi arbores eſſent maioris valoris, quàm terra illius, vel illorum, cuius,vel quorum eſſet terra, teneantur illi, vel ille, cuius, vel quorum eſſet terra prædicta,vendere illam terram illi, cuius eſſent arbores prædictę, & modo prędicto,& vt cognoſcatur,quæ ſit melior,an terra, an arbores, ſtetur dicto dictorum æſtimatorum,& ſi in valore eſſent æquales,Iudicis ſit hoc declarare, ſaluo quod nullo modo ad res libellarias hoc trahatur: prædicta autem Iudex teneatur terminare,& obſeruari facere ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij.

DE ARBORIBVS VGGIAM FACIENTIBVS. XXXXVIII.

IVDEX teneatur ſub pœna vigintiquinque librarum facere remouere omnes arbores,& ſepes coercere, ita quòd à terra quatuor pedum altitudinē non excedant vggiam facientes vicinis ſuis,qui eſſent propè terram, vel domum alterius per mediam tabulam, & prædicta facere teneatur infra octo dies à die querelæ ſibi factæ exceptis arboribus producentibus fructus,quibus veſcantur homines, exceptis etiam oppiis, & ſalicibus,& aliis arboribus exiſtentibus circa quodcumque flumen etiam torrens:& liceat vnicuiq; ſine pœna, & banno recolligere fructus arborum conuicinorum pendentium ſuper terram de ramis pendentibus ſuper ſuo,ſtando in ſuo,& ſuper ſuo terreno.

DE TERRIS CIRCVNDATIS, SEV CONFINATIS. XXXXIX.

IVDEX Ciuitatis Arretij teneatur cogere cùm effectu omnes habentes terras iuxta terram alterius, ita quòd terra alterius confinet cùm ſua à duabus partibus, vel vltra ipſam, vendere illi, cuius terra, vt ſupra, confinat pro competenti precio, de quo, ſi non conuenerint, eligat vnuſquiſque vnum ad ipſum precium terminandum, & ſi fuerit opus,eligatur tertius per dictum Iudicem, & ſtetur dicto duorum: Et hoc intelligatur ſi dicta terra,quę vendi petitur,ſit quatuor ſtariorū ad tabulam,& ab inde infra in campariis, & in Cortynis ſex ſtariorum ad tabulam, vel ab inde infra; in Comitatu verò octo ſtariorum ad tabulam, vel inde infra; dummodo in quolibet dictorum caſuum terra,quæ, vt ſupra, cofinat, ſit vltra duplum terræ petitę vendi, & in ea non ſit domus, vel capanna, in qua habitetur: Nec poſſit talis ad hoc citatus dictam rem, vel partem eius alienare; & ſi aliter fecerit, non teneat, & ipſo iure alienatio ſit nulla.

Et ſupradicta teneatur Iudex facere fieri obſeruare cùm effectu omnibus tamen requirentibus infra octo dies de plano, ſine ſtrepitu,& figura iudicij.

QVOD PROPINQVIOR AD VIAM DEBEAT DARE NON HABENTIBVS. L.

HABENTES poſſeſſiones, ad quas non habetur iter deſtinatum,poſſint quemlibet habentem propinquiorem poſſeſſionem ad viam publicam cogi facere talibus viam,vt ſupra,non habentibus dare,ac concedere,ſeu ſemitam per locum magis conuenientem in latitudinem brachiorum duorum precio conuenienti æſtimatione duorum bonorum hominum de contrata, quorum vnus eligatur pro vna parte, & alter pro altera; & ſi fuerit opus per Iudicem tertius eligatur, & hæc fiant infra vnũ menſem à die petitionis: & ſi ille,cuius eſſet dicta terra, non ſeruaret, quæ dicta ſunt, elapſo menſe liceat tali ſic emere volenti, eiuſq; famulis, ac laboratoribus, per terram, vt ſupra,propinquiorem ire,& redire ſine aliqua pœna,& etiam cùm beſtiis per terram conuicini,& per locum minus damnoſum,& in latitudine prædicta;& in prędictis procedatur ſummariè,ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſolaq; facti veritate inſpecta.

DE POSSESSIONIBVS OCCVPATIS SINE TITVLO. LI.

CVM multi habeant antiquiſſima inſtrumenta multarum poſſeſſionũ ad eos ſpectantium poſitarum in Comitatu, & Cortynis Arretij, quæ ſunt occupata per Communia locorum,Cortynarum,& Comitatus,vel per ſingulares perſonas ſine titulo,quæ inſtrumenta cõtinent ita antiqua confinia,quę ad pręſens nõ reperiũtur; tamen poſſeſsiones exiſtunt in loco:& quia nõ poſſunt ſpecificè deſignari, nec ipſarum identitas probari,occupantur in damnum,& præiudiciũ Dominorum,Iudex quacumque temporis præſcriptione non obſtante, niſi poſsidens triginta annorum ſpacio ſe tueatur, teneatur cùm effectu cogere quodlibet ex dictis Communibus,in quibus tales poſſeſsiones extiterint ad petitionem habentis talia inſtrumenta, quòd aſsignet,& aſſignare debeat tantas poſſeſsiones, quantas dicit dictum inſtrumentum in loco,in quo magis veriſimiliter videretur,quòd tales poſſeſsiones exiſterent non obſtante,quòd ab alio occupentur ſine iuſto titulo,vt ſupra. Et hoc facere teneatur de facto,& ſine ſtrepitu,& figura iudicij,ſub pœna centum lib.applican.pro medietate Communi Arretij, & pro vna quarta Rectori totam exigenti,& pro alia parti: Et talis aſsignatio obſeruetur etiam per quamlibet perſonam detinentem,vel poſsidentem, vt ſupra.

DE TERRIS LOCANDIS, TABVLANDIS, ET TENVTA NON DANDA. LII.

SI Dominus, vel locator, vel qui debet,vel ſolitus eſt recipere affictum,vel cenſum voluerit tabulare terram, quam emphyteota, vel conductor tenet ab eo ad liuellum, vel cenſum, teneatur Iudex cogere detemptorem, ſeu conductorem ad dictam terram tabulari faciendam, & fieri debeat tabulatio prædicta expenſis vtriuſque partis, niſi conductor eſſet pauper,& eo caſu ſit in prouiſione Iudicis, cuius expenſis fieri debeat;& fiat per vnum tabulatorem:& quod à nullo creditore cuiuſcumque conductoris,vel emphyteotæ,vel aliquo alio poſsit auferri bladum pro facto conductoris,

vel emphyteotæ per tenutam,vel intenſinam, vel aliter quocũque modo, quin primò ſatisfaciat Domino de affictu,vel diricto,vel cenſu,quem debet recipere à conductore; & ſi daretur tenuta per nuncium,vel intenſina fieret contra aliquem conductorem, laboratorem,vel emphyteotam de aliquo blado antequàm Domino, vel locatori ſatisfa ctum eſſet de affictu, penſione, vel diricto;& præſumatur bladum eſſe de terris locatis ad affictum,vel ad laborandũ ipſa tenuta, vel intenſina in dicto caſu ſit ipſo iure nulla. Item teneatur conductor renouare libellũ,& in eo ponere terras tabulatas, ſi dominus voluerit: Et ſi per tutorem,vel curatorẽ,vel aliam perſonam legitimam facta fuerit re nouatio alicuius libelli quocumque tempore in poſterum,ſeu reaſſignatio terrarum, & poſſeſſionũ, ex quibus debetur affictus,cenſus, vel aliquod aliud reale ſeruitiũ; valeat, & teneat, ac ſi legitimè facta eſſet per principales perſonas: & ad tollendam omnẽ ma litiam cõductorum,& eorũ,qui debent aliquem affictum,cenſum, vel aliud reale ſeruitium, nulla præſcriptio decurſa ſit in præteritis, nec currat in futurum locatoribus, ſiue Dominis,& liceat petere,& exigere cenſum,& affictum,& quodlibet aliud reale ſeruitium; pœnam, reaſſignationem poſſeſſionum,& bona, ex quibus prędicta, vel aliquod prędictorum deberentur; ſicut præmittitur præſcriptione aliqua etiam longiſsima, & cuiuſcumque temporis non obſtante,ſaluo eo, quod diximus ſupra Titulo proximo.

DE CAVSIS LABORATORVM, ET CONDVCTORVM. LIII.

QVILIBET laborator, ſiue affictuarius perpetuus,ſiue ad tempus,vel ad certam partem reddendam, teneatur ipſas terras ei, vt ſupra,locatas congruis temporibus etiam nõ requiſitus benè, & ſollicitè laborare, & colere cum illa diligentia, quæ expedierit benè, & vtiliter; & in colendo, laborando, & letamen dando, bladum ſarculo extirpando, & mundando,& foſſata mittendo: & generaliter in omnibus ſpeciebus laborerij, quæ ad bonum ſpectant colonum, & terra requirit omnibus expenſis dictorum laboratorum,niſi aliter actum fuerit inter locatorem,ſeu dominum, & laboratorem. Inſuper teneatur dicti laboratores,quando ad certam partem fructuũ conduxerint,poſtquàm bladum meſſum fuerit,de terra nõ extrahere, vel extrahi facere, quin primò requirant locatorẽ,vel dominũ, & ſi voluerit,aſsignent ei partẽ ſuam in campo, & ſi noluerit in campo,teneatur portare bladum ad aream ad triturandum, & de area non mutare,vel extrahere locatore,vel domino inrequiſito. Et ſi dicti laboratores hęc omnia nõ obſeruauerint,& locator,vel dominus inde damnum aliquod ſuſtinuerit, teneatur ipſum damnum ei emẽdare ad iuramentũ dicti locatoris,conſiderata cõditione, & qualitate facti,& perſonarũ,& rei, de qua agitur;& nihilominus cõdemnetur quilibet, & pro qualibet vice in decẽ libris pro medietate Cõmuni Arretij;pro alia locatori: Qui etiam laboratores teneantur ante annũ,in quo terminus cõductionis cõpletur, denunciare, & notificare per totũ menſem Ianuarij, quòd ipſas terras nolunt plus tenere, & ſi nõ denunciauerint, vt dictũ eſt, teneantur dictas terras ſeminare,& laborare ſecundum formã pactorum initorum inter eos,& locatorem,& de fructibus reſpondere ipſis locatoribus,vel dominis ſecundũ formam pactorũ;ſi locatores ipſarum terrarũ voluerint,& eis placebit:& idẽ intelligatur in locatore,quãdo non intendit, quòd laborator bona plus teneat:& dictus laborator teneatur nouo laboratori liberas domos,& ſtabula,in quibus poſſit habitare,& animalia retinere,medietatemq; bonorũ arbitrio boni viri dimittere: & ſi vltra medietatẽ ſoluerit, reſpõdere teneatur ipſi locatori de fructibus in duplo,& linatinã, & fabarinã dicimus cũm Maſgiaticis venire: & vbi paſturas,& lu-

pinos ſeminauerint, leuare teneantur per totũ menſem Februarij: & vites exiſtentes in bonis grano, & bladis ſeminatis curet illas nouus laborator, & niſi aliter doceat, laborator receſſurus præſumatur habuiſſe fructus ſuam conductionem ſequentes, & nouo laboratori dimittat. Inſuper cùm multi laboratores intrent ad laborandum podetia, terras, & bona alterius, & ipſa poderia, terras, vel bona non petant à poſſeſſore, & poſtea ipſis laboratis, & detentis per plures ac plures annos dicant eſſe ſuas, ad reſiſtendum tantæ fraudi, & maliriæ ſtatuimus, quòd Iudex teneatur ad petitionem poſſeſſoris cogere tales laboratores ſummariè, ſine ſtrepitu, & figura iudicij ad reſtituendum tales res tali poſſeſſori, vel domino facta prius fide per ipſum, quòd dicta bona fuerint ſua, vel ad eum pertinuerint quoquo iure per duos teſtes ſaltem de publica fama, vel vnum teſtem de veritate, vel per inſtrumentum diuiſionis, ſeu locationis ipſarum terrarum, vel poteris, niſi laborator oſtendat à domino iuſto Titulo habuiſſe: & ſi dictus laborator negaret prædictas res eſſe talis poſſeſſoris, & poſtea probetur, vt dictum eſt, condemnetur in vigintiquinque libris dicto poſſeſſori applicandis; & nihilominus prędicta reſtituat cum fructibus inde perceptis, damnumq; reficiat. Si verò aliquis laborauerit terram ad aliquem pertinẽtem ipſo non conſentiente, vel inſcio, teneatur ei, ad quem dicta res, & terra pertinet modis, quibus ſupra fructus, & reddi tus præſtare ſecundum modum, & conſuetudinem contratæ, & facultatem rei; & ſi conuentus occaſione fructuum terrarum negauerit ſe huiuſmodi terras laborare, vel ſi confiteatur, & non fuerit in concordia de quantitate fructuum perceptorum ex dictis terris, ſtetur, & credatur atteſtationi duorum bonorum teſtium de contrata, qui ſciant dictas res, deponentium de quantitate fructuum ſecundum credulitatem eorum: & quòd laboratores, qui ad mediam, vel aliam partem fructuum terras retinuerint ab aliquo, non poſſint ſe tueri aliqua præſcriptione temporis etiam longiſsima: & locatori, & hæredibus eorum teneãtur illam poſſeſsionem liberam reſtituere modis omnibus, non obſtante mutatione finium aliquorum, & aſsignare Domino, vel locatori, & dare partem; & ſi non fecerint puniantur vice qualibet centum ſolidis, vt ſupra, applicandis.

DE LABORATORIBVS NON COLENTIBVS VINEAS. LIIII.

QVILIBET colonus, & laborator tàm affictuarius, quàm etiam partiarius teneatur, vt infra, colere terras vineatas per eũ cõductas, v 3. potare per totũ menſem Martij ſub pœna ſolidorũ triginta pro quolibet ſtariore ad tabulam Arretinam, ligonizzare per totũ menſem Aprilis ſub eadẽ pœna, & pro quolibet ſtariore ad tabulã prædictã, ligare per totũ menſem Maij ſub pęna ſolidorum viginti pro quolibet ſtariore ad tabulã, vt ſupra; occare per totũ mediũ menſem Iunij ſub eadẽ pœna, & pro quolibet ſtariore, ſimili modo cultiuare botticellos teneantur ſub infraſcriptis pœnis, & tẽporibus potare per totum mẽſem Martij ſub pęna ſolidorũ decẽ pro quolibet ſtariore, vt ſupra. Fundi in quo ſint, ligonizzare per totũ menſem Maij ſub eadẽ pœna, & quolibet ſtariore, ligare per totũ mẽſem Maij ſub eadẽ pœna, & quolibet ſtariore; occare per totũ menſẽ Auguſti ſub pęna ſolidorũ decẽ pro quolibet ſtariore, vt ſupra. Declarantes inſuper, quod ſtariora ad tabulã botticellorũ intelligãtur terreni, ſiue terræ, ſuper quibus ſunt botticelli: Et quòd Notarius Damnorũ datorũ teneatur dictis tẽporibus perquirere, & inueſtigare poſſeſſiones, & bona, quibus deficerẽt huiuſmodi laboreria, & quoſcũque colonos, ſiue laboratores taliũ poſſeſsionum per eos conductarũ, vt ſupra, teper-

tos negligentes, & prædicta non ſeruantes in aliquo prędictorum laboreriorum grauari facere qualibet hebdomada, donec dictus colonus portet ſibi apotiſſam à Domino rerum huiuſmodi, qua appareat, quòd debeat per dictum Notarium cancellari; & nihilominus talis Notarius habeat pro ſuo labore ſolidos quatuor pro quolibet laborerio debito tempore non facto; nec pro prædictis poſſit dictus Notarius aliquem condemnare in aliquam aliam pœnam applicandam alteri, niſi tantum, vt ſupra, diſpoſitum eſt: quæ licentia, ſiue bulletta de facto exequi, & executioni mandari debeat per Militem Domini Capitanei Ciuitatis Arretij contra dictum colonum pro dicta pęna ad petitionem locatoris earum. Si verò Notarius prædictus non haberet notitiam de prædictis per ſuam inuentionem, liceat locatori prædicto denunciare ipſi Notario, quemlibet colonum ſuum de quacumque in præmiſſis negligentia, & ſi conductor tali caſu non probauerit denunciationem ſuam, teneatur ſoluere omnes expenſas factas per colonum tàm pro grauamentis, quàm pro aliis neceſſariis, & ſoluat Notario prædicto pro cancellatura dictos ſolidos quatuor: ſi verò probauerit, fiat, vt ſupra. Et quia multi laboratores ſuper terris eis locatis ad laborerium ad certam partem fructuũ inſciis Dominis, & ignorantibus earum, ſeminant rapos, guadum, faraniam, & lupinos, & ſimilia, & de eis nihil dant Dominis ipſarum terrarum in graue damnum ipſorum Dominorum, laboratores prædicti teneantur eiſdem locatoribus ſoluere pro quolibet ſtariore ad tabulam bonorum exiſtentium in Campariis ſolidos viginti, & exiſtentiũ in Cortynis pro quolibet ſtariore, vt ſupra, ſolidos quindecim, & cum multi laboratores conducant terras ad laborandum, ſuper quibus ſunt oliuæ, & in ipſis terris ſeminant granum, vel aliud bladum, & ſeminato frumento, vel alio blado colligunt oliuas, demum ſecant bladum, ſiue granũ, & aliquando ipſo ſecato ligonizzant oliuas, aliquando non; animaduertendo, quòd non eſt conueniens, quòd pro vna tali laboratura, & cultura ipſi debeant habere medietatẽ oliuarum: Idcirco ſtatutum eſt, quòd dicti laboratores ſecato blado debeant terras laborare ter iuxta oliuas, ſemel per totum menſem Iulij, ſemel per totum menſem Auguſti; & ſemel per totũ menſem Septembris, & dare cuilibet oliuæ ſalmam vnam letaminis per totum dictum menſem Septẽbris, & ſi prędicta non fecerint, ex oliuis dicti anni nihil habere debeant dicti laboratores, ſi locator, vel dominus hoc elegerit: Si verò pœnam pecuniariam, vt ſupra, maluerit, dicto locatori teneatur dare pro quolibet ſtariore, vt ſupra, vbi ſunt oliuæ ſolidos decem pro qualibet vice, qua contrafecerit in aliquo prædictorum laboreriorũ, & poſitionis letaminis iuxta oliuas prędictas: Et inſuper etiam teneantur dicti laboratores, qui cõducunt terras, ſuper quibus exiſtunt oliuæ, & in ipſis terris nihil ſeminant, ſed ſolum cultiuant reſpectu oliuarum, illas quater in anno laborare cũm bobus, & bis ligonizzare circa dictas oliuas ſemel per totum menſem Maij, ſemel per totum menſem Auguſti, & dare ſalmam vnam letaminis pro qualiber ſub pœna perditionis oliuarum, vel ſolidorũ decem pro qualibet oliua ad electionẽ, vt ſupra, dicti locatoris, ipſiq; ſoluendarũ pro qualibet vice; qua fuerit negligens in prædictis, vel altero prædictorum. Et cum etiam multi laboratores ſint negligẽtes in recolligendo fructus arborũ, & eorum negligentia locatoribus poſſeſsionum noceat, ſtatutum eſt, quòd laboratores, qui cõducunt terras oliuatas, & olioueta, teneantur oliuas colligere per totũ medium menſẽ Decembris, ſub pœna ſolidorũ quinq; pro qualibet oliuarum arbore, quę non fuerit collecta applicanda locatori dictarum oliuarum: & cum multi laboratores ſint negligentes in colligendo nuces ad ipſorum commodum, & damnum locatoris, quia colligunt nuces per ſe ipſas cadentes, & de ipſis nihil aſsignant Dominis: Idcirco ſtatutum eſt, quòd laboratores nuces exiſtentes in bonis ſibi locatis teneantur colligere per totam diem vigeſimam menſis Septembris.

Quo tēpore elapſo poſſit locator eas colligere, & nihil dare dictis laboratoribus: & de omnibus, & ſingulis ſupradictis de olivetis, & oliuis, & earū cultura, & nucibus cognoſcere poſſit Notarius Damnorum datorum Communis Arretij ad quærelam Dominorum, vel locatorum, quam probare teneantur, & ipſa probata debeat condemnare talem negligentem in ſupradictam pœnam locatori talis rei, & in expenſis ſua taxatione: & in prædictis quærelis procedere debeat ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſolum viſa veritate: A qua condemnatione non poſſit appellari, reclamari, de nullitate dici, aut opponi, nec conſilium ſapientis peti: & Notarius prędictus ſtatim facta condemnatione prędicta, teneatur locatori, vel Domino talis rei dare licentiam propterea grauandi talem laboratorem etiam pro expenſis; & Miles Domini Capitanei debeat dictam licentiam executioni mandare de facto contra tales laboratores condemnatos. Si verò locator non probauerit ſuam quærelam, ipſe Notarius condemnet eum in expenſis cauſæ dicto laboratori, quas taxare teneatur incontinenti, & dare licentiam dicto laboratori de grauari faciendo talem Dominum pro illis, quam dictus Miles de facto exequi debeat contra dictum locatorem, vel dominum.

DE REBVS LIBELLARIIS IN BONO STATV MANVTENENDIS. LV.

QVILIBET conductor tàm libellarius, quàm ad tempus modicum; & etiam ad certam partem fructuum colonus teneatur bona conducta in bono ſtatu tenere, & meliora reddere, & ſi aliquis contrafecerit, teneatur dare quantitatē pecuniæ conuentæ in inſtrumento, vel alia ſcriptura locationis: Si verò inſtrumentum, vel ſcriptura non appareat, puniatur banno centum ſolidorum, quæ pœna ſit ipſius locatoris, vel eius hæredum, & in omnibus prędictis caſibus teneantur conductores, vel hęredes eorum emendare damnum locatori, vel Domino, & eorum hæredibus: Et nullus affictuarius, vel conductor, vt ſupra, aut colonus poſſit, vel debeat arborem aliquam, vel vineam, quæ exiſtat in podere, vel terris, quas habet, vel tenet ad affictum, vel conductam, vt ſupra, incidere, vel deuaſtare ſine expreſſa licentia Domini, vel locatoris, vel hæredum ipſius; & qui contrafecerit, puniatur pro qualibet arbore, vel vite in libris quinque, vt ſupra, applicandis, & damnum Domino, vel locatori, ſeu habenti eorum iura emendare teneantur: Poſſit tamen libellarius arbores caducas, & aridas ſine licentia Domini incidere: Et ſi terra in emphyteoſim data, vel ad affictum retenta creuerit per alluuionem, vel alio modo, quòd ipſum augumentum ſit in eo ſtatu, & in eo caſu retineatur, & habeatur quoad omnia, ſicut erat, & eſt terra primò affictuata, ſeu per affictum retenta, vel in emphyteoſim conceſſa, aut, vt ſupra, locata; & illud augumentum teneatur conductor, vel eius hęredes ponere in libello, aut locatione, ſi Dominus voluerit.

DE LABORATORIBVS CONDVCENTIBVS AB ALIIS. LVI.

SI quis rem, quæ fuiſſet in bonis, & de bonis alicuius, vel iuſto Titulo ad aliquem pertinuerit, vel pertinuiſſet, intrauerit ad laborandum, & ſeu conduxerit ab illo, & poſt talem introitum, vel conductionē dictam rem conduxerit, vel conduceret à quouis alio, talis conductor, qui, vt ſupra, vel intrauerit, vel conduxerit, teneatur dictā rem reſtituere, & eius actualem poſſeſſionem tali, ad quem pertinuerit, vel à quo conduxerit,

duxerit, liberam, & expeditam reddere non obſtante, quòd ipſam non poſſideat, & nullum præiudicium factum eſſe intelligatur dicto primo locatori, vel ad quem, vt ſupra, pertinuerit: Et Iudex de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſine libello recepta fide de prædictis, vel aliquo eorum facere, & executioni mandare teneatur ſub vinculo iuramenti, ſub pœna centum librarum pro quolibet, & qualibet vice de facto contrafacienti auferenda; pro medietate Communi Arretij, & pro alia parti ſoluenda.

DE INTERDICENTIBVS NE POSSESSIONES COLANTVR. LVII.

NVLLA Communitas, vel ſpecialis perſona alicui, vel laboratori ipſius interdicat, ne ſuam terram, potere, vel poſſeſſionem, v3, domum, molendinum, gualcheriam, ſyluas, pratum, & cæteras poſſeſſiones laboret, vel laborari faciat, ſiue fructet, vel poſſideat pro ſuo libitu voluntario, ſub pœna, & banno quinquaginta librarum contrafacienti, applicanda ipſi, cui fuit interdictum. Si vero contigerit aliquem Ciuem Arretinum habere aliquam poſſeſſionem, vel poſſeſſiones, vt dictum eſt, & dictas poſſeſſiones non poſſet facere laborari, nec inueniat, qui laboret eas, vel fructet propter timorem Vniuerſitatum, vel ſpecialium perſonarum, tunc compellatur Vniuerſitas, & Communitas, in cuius curia dicta bona exiſtant dictas res laborari facere, & fructus ipſarum poſſeſſionum Dominis, & eorum Nuncijs, ſiue partem fructuum, vel reddituum aſſignare, quos percipere potuerunt ex poſſeſſionibus, & rebus prędictis, ſicut Dominus ſolitus fuerat habere, vel ſit veriſimile, ex dictis poſſeſſionibus, & rebus poſſe habere, vel extrahi: & ſi prædicta non fecerit dicta vniuerſitas condemnetur in vigintiquinque libris, quæ pœna ipſi Domino applicata ſit, & nihilominus compellatur ad reſpondendum de fructibus dicto tali Domino, vt ſupra dictum eſt.

DE INSTRVMENTIS LIBELLARIIS. LVIII.

OMNES libellariæ, & affictuum, etiam ad modicum tempus, vel ad certam partem fructuum colonorum obligationes, conuentiones, & pacta in omnibus, ſicut in ipſis continetur, obſeruentur. Et ſi emphyteota, vel conductor receſſerit, & ſteterit abſens, vel affictum non præſtiterit per tres annos, cadat à ſuo iure, ſi dominus voluerit, & idem obſeruetur in affictuario, & etiam penſionario, vel inquilino, vel partiario, ſi ceſſauerit ſoluere per menſes decem & octo, & ſi in inſtrumento pœna aliqua certa non contineatur, vel inſtrumentum non appareat, nihilominus ad duplum teneatur ipſi Domino, vel locatori, ſi ipſe conductor affictuarius, vel penſionarius, ſiue inquilinus, vel partiarius non ſeruauerit, quæ in obligatione continentur, ſeu cõtineri ſolent, & quæ fieri debent de natura contractus ſecundum conſuetudinẽ Ciuitatis Arretij; quæ pœnæ toties cõmittantur, quoties nõ ſeruauerit, quæ debet, vt ſupra.

DE EXECVTIONE INSTRVMENTORVM LIBELLARIORVM. LIX.

TENEATVR Iudex omnia inſtrumenta libellaria, & locationes, confeſſiones, & reaſſignationes poſſeſſionum executioni mandare, tàm in omnibus contentis in inſtrumentis, quàm in pœna, & expenſis quemadmodum inſtrumenta alia:

&qui rem aliquam conduxerit,ſeu ad certam partem, vel ad fictum ad certum tempus, vel cenſum receperit, & illa vltra illud tẽpus retinuerit, teneatur pro rata temporis ad rationẽ partis penſionis affictus,ſeu cenſus promiſſi,& recollecti,& mandentur executioni in prędictis,ac ſi in eo nominatim recepta,& promiſſa eſſent ſaluis ſemper aliis cõuentionibus ſuper pœnis,& aliis inter partes factis,& omnia bona talium pręſtantium, ſeu præſtare debentium partem,affictum, cenſum, vel penſionem, vel aliud ſeruitium, quę haberet tempore, quo prædicta pręſtare cepetit, vel poſtea acquiſierit, intelligantur ex tunc tacite obligata ipſis Dominis, vel locatoribus,vel aliis prædicta recipere debentibus. Et inſuper ſi aliquis peteret ab aliquo affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium, & conuentus negauerit ſe pręſtare debere affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium, & poſtea conuictus fuerit, puniatur in vigintiquinque libris; & Iudex Capitanei,qui pro tempore fuerit in prędictis, & quolibet prædictorum inuiolabiliter obſeruandis, & executioni mandandis contra negantes affictum, vel non aſſignantes, vel fraudem, vel dolum aliquem committentes circa materiam ſupradictam plenum, & liberum arbitrium habeat inquirendo, & puniendo cum accuſatione, & ex ſuo officio,& prout ſibi videbitur non obſtante aliqua tẽporis pręſcriptione: Et cum nonnulli terras, domos, molendina, & res alias ad certam partem, vel ad affictum ad tempus, vel in perpetuum, ſeu libellum conduxerint ſub certa parte, vel affictu, & etiam penſione; & cum ab eis dicta pars,vel affictus,ſeu penſio petitur,dicunt ſe ad eas cogi non poſſe cum ipſi tempore contractus initi, ſeu locationis factæ fuerint minores vigintiquinque annis: & ſinguli conductores cuiuſcumque conditionis fuerint, ſiue ſtatus quarumcumque rerum teneantur dominis earum de pręmiſſis integraliter reſpondere non obſtante quòd tempore celebrati contractus,ſeu locationis factę non fuerint ætatis annorum vigintiquinque,dum tamen fuerint ætatis ſexdecim,ſed ad ipſam penſionem, vel affictum, & alia conuenta cogantur, & ad affictum perſonaliter, & realiter, ac ſi fuiſſent maiores vigintiquinque annis tempore prædicto, & ſi præmiſſa aliqua ratione, vel exceptione recuſauerint ſoluere Dominis, vel locatoribus, vt promiſerunt, poſſint Domini agere ad ſortem, pœnam, & damnum,& expenſas,& intereſſe;& prædicta conuincere,& exigere à talibus conductoribus, & hæredibus eorum, ac ſi præfati fuerint maiores vigintiquinque annis, quando talis conductio,vel locatio extitit celebrata: Et hoc capitulum ſit præciſum, ita quod mutari,ſeu interpetrari non poſſit aliquo ſtatuto,ſeu ordinamento facto,vel faciendo,quod in contrarium loqueretur non obſtante; & non obſtante etiam; quòd conductor tempore conductionis ſe non obligauerit in præſentia Iudicis Capitanei,vel eius auctoritate: & hoc locum habeat in pręſentibus, præteritis, & futuris locationibus, & conductionibus factis: Petens autem affictum, dirictum, cenſum,penſionem,vel aliud reale ſeruitium,non poſſit petere niſi pro tempore decem annorum proximè præteritorum à ſua petitione computandorũ. Et ſi emphyteota, ſeu affictuarius,vel mediarius,vel ad certam partem fructuum conductor à Domino, ſeu locatore infra annum poſſeſſionem rei locatæ, affictatæ, vel in emphyteoſim conceſſæ non petierit,poſſeſſionem ipſius amplius petere non poſſit, vel affictum retinere, niſi dominus haberet illam poſſeſſionem apud ſe, vel alij poſt locationem conceſſerit, vel alienauerit:& præſumantur bona locata tradita conductori, & patientia præſtita,& per ipſum conductorem fructata, niſi ipſe conductor contrarium probauerit.

DE

DE REASSIGNATIONE BONORVM FACIENDA. LX.

SI conſuetus ab aliquo, vel eius antiquis affictum, vel cenſum recipere, vel eius hæredes petierit à dicto ſolito ſibi dari, vel ſuis hæredibus reaſſignari ſibi rem, ſiue poſſeſſionem, vnde dictus affictus, vel cenſus præſtaretur, & non reaſſignauerit illas, teneatur Iudex per duos homines, vel plures ad voluntatem dicti conſueti recipere vel habere, ſeu ſucceſſorum eius vicinos locorum cogere, ipſis, ſeu ſucceſſoribus eorum aſſignare de poſſeſſionibus ipſius in tantam quantitatem, quod benè, & ſufficienter poſſit reddi affictus, vel ſeruitium, quod conſueuit exhiberi ſaltem in duplo, & etiam cogere ipſam terram aſſignatam, ſeu æſtimatam retinere pro dicto conſueto affictu, vel ſeruitium recipere, vel ſucceſſore ſuo, & ſibi cartam facere libelli de affictu, & ſeruitio conſueto annuatim ad ſenſum ſapientis ſui, quando de prædictis fuerit requiſitus à dicto conſueto dictum affictum, vel ſeruitium accipere, vel hęredibus eorum: Et ſi aliqua perſona petierit coram Iudice ſibi aſſignari ab aliqua perſona potere, domum, vel terras, vel alias res dicendo ipſas ignorare, ex quibus affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium afferat ſibi debere, vel ſuis antiquis, vel auctori debitum fuiſſe, teneatur Iudex exigere à perſona, à qua petita fuerit aſſignatio, iuramentum, & fideiuſſorem, & exacto fideiuſſore, & præſtito iuramento de benè, & legaliter aſſignando præcipere eidem, quòd inde ad octo dies proximos aſſignet benè, & legaliter ſub pœna, & banno librarum decem. Et prędicta locum habeant, ſiue à perſona à qua peteretur aſſignatio cõfiteatur, quòd ipſi, & ſui antiqui deberent, vel conſueti eſſent hactenus pręſtare affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium, ſiue non confiteantur: & teneatur Iudex illam perſonã, à qua petita eſſet aſſignatio punire, & cõdemnare in dicto bãno, ſi malè, vel fraudolenter aſſignaret, vel aliquã machinationẽ non aſſignando, vel malè aſsignãdo cõmiſerit, vel neglexerit aſſignare, ſi perſona, à qua peteretur aſſignatio, vel ſui antiqui hactenus præſtiterint petenti, vel ſuis antiquis, ſeu auctoribus affictũ, cenſum, vel aliud reale ſeruitium; & nihilominus compellat ipſum Iudex, ſi, vt ſupra, non reaſſignauerit ad faciendum reaſſignationem, & libellum ipſi petenti. vel ad reſtituendum, vel dandum potere, ſi dominus petens reaſſignationem voluerit ſibi bona reſtitui, niſi detentor, vel eius antiqui, qui conſueti ſunt detinere, probent res predictas à petente aſſignationem fieri, vel eius auctore, aliquo iuſto titulo habuiſſe, & ſi non probauerit, vel deneget, vel contendat reſtituere ea, quæ reaſſignata ſunt dicto petenti reaſſignationem, teneatur ipſa perſona, à qua petitur reaſſignatio ad affictum, vel cenſum præſtandum pro temporibus præteritis, & ad pœnam decem librarum pro quolibet anno, quo non ſatisfecent de prædictis, niſi minor, vel maior reperiretur pœna pręmiſſa nulla temporis præſcriptione obſtante: Et ſi aſſignationes factæ eſſent ad inſtantiam vnius de cõſortibus in iudicio, ſiue extra iudicium, dummodo de ipſis appareat publicum inſtrumentum, proſint non ſolum recipienti, ſed etiam conſortibus, vel conſorti, ad quorum, vel ad cuius inſtantiam dictæ aſsignationes factæ non eſſent nulla temporis præſcriptione obſtante: Aſsignationes verò factæ per publicum inſtrumentum extra iudicium de terris, domibus, ſeu rebus aliis per eorum detemptorem, ſeu per eos, quorum antiqui conſueuerunt tenere, vel præſtare affictum, vel cenſum, vel aliud ſeruitium teneant, & valeant, ac ſi factę eſſent in iudicio ſolemniter.

DE

DE RENOVATIONE LIBELLI. LXI.

SI ille, cui ſolita fuit ſolui penſio, vel affictus, vel ſeruitium aliquod preſtari, vendiderit ius ſuum alicui, vel alio titulo dederit, & ille, qui ſic acquiſierit, noluerit, quòd conductor, vel eius hæredes, ſeu ſucceſſores recipiant libellum, ab eo cogantur ipſum libellum ſuſcipere ſecundum formam primi libelli, ſi libellarium appareat inſtrumentum pro mercede, & penſione ſolita præſtari pro dicta re. Si verò inſtrumentum libellarium non appareat, compellatur ad inſtat aliorum libellariorum, & ſufficiat illi, qui dicit ſibi deberi affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium aſſignari, probare per quatuor teſtes de publica fama, quòd ipſe, vel eius anteceſſor ſolitus fuerit ſoluere, vel præſtare. Si verò emphyteota, penſionarius, vel conductor voluerit libellum petere ſibi fieri à Domino, vel locatore, & ab iura ipſorum habentibus, cogantur Domini, vel locatores, vel eorum ſucceſſores libellum ei facere, & renouare, vt dictum eſt ſupra: Et ſi aliqua perſona habuerit ius ſuum, ſiue acquiſierit in libellaria ab aliquo conductore, & requiſita fuerit ipſa perſona à dicto Domino, vel locatore, vel eius hæredibus, à quibus primò tenuerat auctor ſuus, vel ab aliquo, qui haberet iura ipſius Domini, vel locatoris ex aliqua cauſa cogatur, ſub pœna centum ſolidorum cartam libelli accipere à prædictis inde ad octo dies, poſtquam fuerit requiſita, quam pœnam locatori, vel habentibus iura Iudex de facto dari faciat à prædicta perſona, ſic requiſita, vt dictum eſt, ſi cartam prædicti libelli non acceperit, vt dictum eſt; & ſi Dominus, locator, vel eius hæredes, ſeu ſucceſſores voluerint ſibi libellum renouari à conductore, vel eius hæredibus, ac ſucceſſoribus, teneatur Iudex, vt ſupra compellere conductores, vel hæredes ipſorum ad ipſam renouationem ſecundum formam antiqui libelli, vel ſolitam omnibus expenſis Domini, vel locatoris, vel ſucceſſoris, qui eum petierit renouari.

DE PROBATIONIBVS CIRCA LIBELLARIAM. LXII.

AD probandum rem eſſe libellariam, cenſualem, emphyteoticam, vel conductam, vel quòd aliquis teneat ad affictum, cenſum, vel penſionem ſufficiant, & pro plena probatione habeantur confeſſiones factę à conductoribus, ſeu eorum ſucceſſoribus, vel antiquis de danda, ſeu pręſtanda aliqua quantitate bladi, vel pecunię ſeu alterius rei nomine affictus, cenſus, vel penſionis: & ſi conductor, vel eius ſucceſſor habeat cartam libelli, & Dominus, vel locator, vel aliquis eorum voluerit facere exemplare, compellantur conductores, vel eorum hæredes, & ſucceſſores dictam cartam libelli exhibere eis, vt eam valeant exemplare, qua exemplata faciant reſtitui, & ad idem etiam teneantur locatores, vel eorum hæredes ipſi conductori, ſi conductor non habuerit dictum libellum; & ſi aliquis tenuerit terram ad affictum ab aliquo, vel aliquibus, vel aliquod aliud reale ſeruitium præſtare debere de terra, & dixerit, ſe habere aliquas terras inter terras Domini, vel locatoris ſibi non adiudicentur, ſed præſumantur Domini, vel locatoris, niſi legitimè probauerit ad ſe, vel ad ſuos antiquos ex aliquo iuſto titulo perueniſſe ab aliquo, vel aliquibus, cuius, vel quorum dictæ terræ fuerint. Et ſi in inſtrumento libellario poſitus fuerit conductor pro confine rei, non præiudicet hoc Domino, ſed intelligatur, & pręſumatur res talis, quæ eſt poſita pro confine iuxta rem locatam eſſe Domini, niſi probauerit conductor, ſe illius

rei

rei dominium acquiſiuiſſe ab aliquo Domino ante locationem: & ſi aliquis diceret ſibi affictum, vel cenſum deberi ab aliquo, & inſtrumentum libelli non habeat, ſufficiat ſi probet Iudici cenſum, vel affictum ſolitum fuiſſe per duos annos, licet non continuos, per vnum teſtem bonæ famę,& opinionis, cùm publica fama, quæ ſit in contrata, vbi ſunt res, à quibus aſſerit ſibi deberi dictum affictum, vel cenſum, vel ſuis auctoribus, vel per quemlibet alium modum ſine fraude, & malitia, qua probatione facta compellatur affictum, vel cenſum ſoluere, & inſtrumentum libellarium inde facere ille, à quo petitus fuerit dictus affictus, vel cenſus, & quæcumque partium contendentium de affictibus habeat aliquod inſtrumentum, vel probationes alias, vnde poſſit probatio aliqua fieri de iure alterius, ſiue non, vel alia perſona teneatur de ipſo inſtrumento, vel rationibus copiam præſtare, vel facere illi, pro quo faceret, ſumptibus tamen eius, pro quo faceret non obſtante, quod diceretur, vel allegaretur quòd inſtrumentum, vel rationes ipſæ ad eum non pertinerent, vel quòd de iure de ipſis copia fieri non deberet: & ſi aliquis peteret ab aliquo, vel aliquibus ſeruitium, vel affictum, vel cenſũ & poſtea ille, ſeu illi, à quibus petebatur, tranſegerit cùm vno, vel pluribus conſortibus, aliis pro eorum parte acquiſitum intelligatur: & ſi Dominus, vel locator ius conceſſerit alteri ex legitima cauſa,& poſtea litigauerit de re illa,& lata fuerit ſententia pro eo, vel contra eum, non præiudicet, nec proſit ei, cui conceſſio facta fuerit, & quòd inſtrumenta diuiſionis iam facta,& celebrata, in quibus contineatur, quod inter ſe diuiſerint, vel partem vnius alteri dederit, vel aſſignauerit, quæ dicebatur deberi ab aliquo, habeatur pro plena probatione; dummodo illi conſortes ſint bonę famæ,& legales viri: & intelligantur omnia immobilia per conductorem, vel ſolitum ſoluere, vt ſupra, vel eorum hæredes poſſeſſa eſſe libellaria,& affictuaria, niſi per teſtes, vel inſtrumenta probatum fuerit ab aliquo emiſſe, vel acquiſiuiſſe,& hoc intelligatur, ſiue Dominus ſit, qui locauerit, ſiue hæredes eius, ſiue qui ius ſuum habuerit ab eis: & ſi aliquis dixerit, ſibi ab aliquo deberi affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium, de quo non appareret inſtrumentum libelli, vel vnde debeatur, mortuo emphyteota, vel conductore filius, vel ſucceſſor alius teneat aliqua bona, vel terras, intelligantur,& præſumantur dictæ res affictuariæ, vel cenſuales, niſi talis filius, vel ſucceſſor probauerit legitimè res, & terras à vero Domino, & iuſto titulo acquiſiuiſſe, vel non aſſignaret Domino ſufficientes, & idoneas poſſeſſiones ſaltem in duplo; & idem intelligatur in libellis antiquis, vbi non continentur res, vel bona, de quibus deberet præſtari affictus, vel cenſus, vel aliud reale ſeruitium, de quibus pręſtetur affictus, vel cenſus prædictus.

DE ALIENATIONE REI LIBELLARIAE. LXIII

QVAELIBET alienatio rei immobilis facta ſine conſenſu Domini, vel locatoris, vel ſoliti recipere affictum, vel cenſum, vel eius hæredum non valeat, nec prædictis noceat, quin rem ſic alienatam vendicare poſſint à quolibet poſſidente, & nulla temporis pręſcriptione obſtante, niſi vbi venditio, & alienatio facta fuiſſet Dominis, vel locatoribus non ignorantibus, & ſaluis, ac reſeruatis eorum iuribus: Et emptor, vel alio titulo acquirens canonis ſolutionem, vel ſeruitij præſtationem Domino, vel locatori pręſtiterit, & traſferatur poſſeſſio rei alienatæ in vendicantem, ſtatim cum probauerit inſtrumentum locationis, vel aliter de ea, vt per hęc noſtra ſtatuta ſine libelli oblatione, & iuris ſolemnitate ſummariè cognoſcendo, & ei, qui alienauerit, teneatur Iudex auferre pro banno viginti quinque libras, & ſolui faciat dicto vendicanti; in quo banno condemnetur, qui alienauerit, etiam quòd confeſſus fuerit

prædictam rem pro aliquo detinere, vel poſſidere aliqua præſcriptione non obſtante, vel diceret rem alienatam ad affictum, vel cenſum non tenere, in qua etiam pœna hæredes alienatis condemnetur, ſi alienator non fuerit condemnatus, & nihilominus alienator, vel hęres eius rem ſic alienatam acquirere dicto vendicanti omnino cogatur, & eos, ſiue eum in priſtinum ſtatum reducere, ſeu reponere; Et ſi qui ſoliti ſunt recipere affictum, vel hæredes alicuius eorum dicant aliquem Notarium inter ſuas abbreuiaturas, vel ſibi commiſſas habere aliam abbreuiaturam continentem alienationem rei, ſeu poſſeſſionis, de qua ſupra, & poſtulet ſibi exhiberi copiam talis abbreuiaturæ continentis alienationem rei prædictæ non obſtante, quod dicatur abbreuiaturam non pertinere ad petentem ſatisfacto prius Notario de ſua mercede, idem Notarius copiam teneatur exhibere: Et ſi conductor, vel eius hæredes alienauerit, vel tranſtulerit rem conductam in aliquem non ſubiectum iuriſdictioni Capitanei Arretij, puniatur pœna quinquaginta librarum, vt ſupra applicandarum, & inſuper rem ſic tranſlatam, & alienatam reacquirere teneatur, vt ſupra: Et ſi aliquis affictuarius, vel emphyteota vendiderit, vel aliàs alienauerit aliquam partem terrarum poſitarum iuxta dictas terras dicendo, ad ſe pertinere, & ſui iuris eſſe, & maximè inſcio ſolito, vt ſupra, recipere, ſeu Domino, vel locatore non prius certiorato de venditione, vel alienatione in quocumque caſu eſſet talis alienatio, vel venditio non valeat, nec teneat, ipſum inſtrumentum factum inde ſit irritum, & nullius valoris, & talis etiam venditor, vel alienator condemnetur in decem libris, & emptor, qui emit talem rem ſcienter poſitam iuxta terram, quam tenet ad affictum conductor prædictus in centum ſolidis condemnetur, vt ſupra applicandis, & ipſa terra redeat ad dominum, vel proprietarium, vel locatorem nulla temporis pręſcriptione obſtante: Et cadat ipſe venditor, vel alienator à iure libellario, ſi domino placuerit, & etiam emptor, qui ſciens rem eſſe libellariam tanquam liberam emit ab emphyteota non requiſito, vel certiorato prius ſolito recipere, vel domino, vel locatore rei locatę, ſeu eorum hęredibus ſimilem per omnia pœnam incurrat: Et ſi, aliquis habuerit ad libellum potere, vel rem aliquam, de qua teneatur præſtare aliquid nomine affictus, vel cenſus, & potere ipſum, & rem ipſam receperit ab aliquo alio, ſeu aliis ad libellum ipſe, vel hæredes eius, teneatur Iudex eum repellere à iure, quod habet in libello, & ſi Dominus, vel locator potius voluerit eum condemnari, condemnetur in vigintiquinque libris, vt ſupra, applicandis, & teneatur Notarius, qui fecerit libellum ſecundum cancellare abbreuiaturam inde factam, & inſtrumentum ſit nullius momenti, & valoris; & ſi Notarius non cancellauerit dictam abbreuiaturam ſecundam, tollat ei dem Iudex pro banno decem libras, & nihilominus dictam abbreuiaturam cancellare compellatur: Et quicumque habuerit terram, vel potere ad libellum, ſeu ad affictum, non poſſit ipſum potere, ſeu terram, vel partem poteris alicui affictare, vel alteri locare ſinē voluntate ipſius Domini, vel locatoris, vel ſoliti recipere affictum, vel cenſum vltra duos annos, quòd ſi contrafecerit cadat à iure ſuo ſibi competenti: quod potere, & res affictuatæ, vel locatæ, ſi Dominus voluerit, reuertantur ad Dominum, locatorem, vel hęredes eius, niſi memoratus conductor, affictuarius, ſeu emphyteota infra menſem, poſtquam fuerit requiſitus à Domino, vel locatore, vel eius hæredibus, vel alio, cui præſtatur affictus, vel cenſus, ſeu hęredes alicuius eorum dictam conceſſionē affictus, ſeu locationis cùm effectu reuocauerit, & dictum potere, & terras ad manus eius reduxerit, quo facto ſi amplius affictuauerit, cadat ſine aliqua requiſitione faciēda ab omni iure ſibi competēti, & hoc ſi dominus voluerit, niſi eſſet pupillus, aut perſona, quę nō poſſit, vel quam nō deceret ſuo corpore laborare: Et libellaria res, de qua pręſtatur affictus, vel cenſus non poſſit ſpecialiter obligari, vel pignorari per emphyteotam,

vel conductorem, ſiue affictuarium, nec cadant res prædictæ in obligationem aliquam ſpecialem, vel generalem, quam facerent ſupradicti, vel hæredes eorum, ſeu qui ius ſuum haberet ab eis: Nec etiam poſſint dictę res ex primo decreto capi, vel in tenutam dari, niſi Dominus expreſsè conſentiat; & hęc locum habeant in præſentibus, præteritis & futuris; poſſit tamen emphyteota, vel conductor, ſiue affictuarius obligare Dominis, vel locatoribus, vel etiam aliis de conſenſu Dominorum pręſtando emphyteotæ, vel conductori volenti obligare, vel ius ſuum in alium tráſferre facta prius requiſitione per ipſum emphyteotam ipſi Domino, vel locatori, ſiue ius ſuum habenti, & teneatur Dominus pręſtare conſenſum, & ſit in arbitrio Iudicis, an malitioſè agatur per locatorem prædictum, vel non in dicto conſenſu præſtando: Et ſi aliquis habens aliquem affictum, penſionem, vel cenſum, voluerit res ſibi locatas vendere, & requiſierit Dominum, vel quaſi Dominum, vel legitimum adminiſtratorem, quòd conſentiat alienationi, quam facere vult de tali re taliter cōceſſa, & talis Dominus, vel quaſi, vel adminiſtrator non conſenſerit venditioni, vel alienationi in termino triginta dierum, & non fecerit inſtrumentum, & inde fuerit alienatio facta per illum, qui detinet talem rem, teneatur Iudex non cogere ſoluere affictum, vel cenſum, ſeu penſionem, donec factus fuerit libellus, vel inſtrumentum conceſſionis. Et ſi Dominus habuerit res proprias à duabus partibus iuxta rem, quam locauerit, teneatur conductor eidem vendere ius ſuum ad dictum duorum legalium hominum eligendorum per Iudicem, dummodo res locata fuerit vnum ſtarore ad ſtarium, & ab inde infra. Et prędicta omnia, & quodlibet prædictorum locum habeant, & per omnia obſeruentur non obſtáte aliquo iure, quod in contrarium loqueretur; & nullus affictuarius, emphyteota, vel conductor, ſiue hæredes alicuius eorum debeant aliquam rem emere, ſeu acquirere iuxta terram, vel terras, quam, vel quas haberet ad libellum emphyteota, vel conductor, de qua præſtat affictum, vel cenſum, poſtquam dictas res ceperit tenere iure cōductionis ipſe, vel eius antiqui in emphyteoſim, & ſi contrafecerit, puniatur banno quinque librarum, vt ſupra applicandarum; & inſuper res ſic emptas perdat, & deueniant ad dominum, ſiue locatorem, vel alium, cuius affictus præſtabatur, ſaluo quòd ſi conductor acceperit rem prædictam conductam menſuratam, non prohibeatur acquirere iuxta rem conductá, ſi terram, quam acceperit, paratus fuerit, integrè Domino reaſſignare, & reaſſignauerit; & ſi quis contempſerit terram, vel aliam poſſeſſionem reſtituere, de qua bladum, vel aliquos fructus eiusdem occaſione præſtitit in aliqua quantitate magna, vel parua, puniatur in decem libris, & nihilominus petenti poſſeſſionem reſtituere compellatur, niſi ipſa poſſeſſio ad alium venerit facto ipſius petentis: Et ſi emphyteota, colonus, vel affictuarius, vel conductor referre vellet quæſtionem dominij contra Dominum, vel locatorem, ſiue hęredes, vel ſucceſſores alicuius eorum, vel retentionem ipſius rei aliqua ratione prætendere, non audiatur; & ſi probatum fuerit à locatore, ſoluat pro banno referens quęſtionem decem libras ipſi Domino, vel locatori, & ſeu eius hæredibus, ac ſolitis recipere, & ad ipſam reſtituendam præcisè compellatur: Et ſi res locata ad cenſum, vel ad affictum, ſeu penſionem conducta, vel per ſolitum ſoluere poſſeſſa, poſtea reperiatur pœnes alium, qui ipſam aliquo modo habuerit ab ipſo conductore, vel ab alio, qui affictum, vel cenſum, ſeu penſionem, vel hæredibus, ſeu ſucceſſoribus eorum præſtiterit; non poſſit talis ſucceſſor referre quęſtionem de dominio locatori, vel ei, cui de re ipſa præſtitit affictum, cenſum, vel penſionem, & hæredibus, & ſucceſſoribus eius, vel negare, quòd ſint eius res: Et teneatur Iudex, coram quo quæſtio vertetur ſummariè, ſine iuris ſolemnitate ei, qui hactenus ſeruitium, ſeu affictum, vel cenſum, vel ſaltem penſionem per duos annos licet non continuos receperit, vel hæ-

 redi,

redi, vel ſucceſſori ſuo reſtitui facere etiam ſi non probaret, quòd poſſeſſor habuerit cauſam à conductore, vel ſolito ſoluere, vel eius hæredibus; nihilominus reſtituatur talis poſſeſſio locatori, vel ei, qui hactenus affictum, cenſum, vel ſeruitium receperit, & ei, qui ius ſuum habuerit etiam ſine ſolemnitate, vt dictum eſt, à quolibet poſſidente, qui poſt locationem, & ſolutionem affictus, vel cenſus, vel ſeruitij præſtationē rem cœperit poſſidere nulla temporis præſcriptione obſtante, nec aliquo iure poſt factam locationem, vel ſolutionem, vt ſupra, nec ab eo, qui conſuetus eſt recipere ſeruitium, vel ab hæredibus eius, ſeu facto conductoris, vel hæredum, ſeu ſucceſſorum alicuius eorū: poſſit ſe tueri poſſeſſor; quam rem ſi vendicauerit à poſſidente, non teneatur reſtituere cōductori, vel hæredibus eius, ſi facto cōductoris, vel hæredū eius ad aliū res locata, vel eius poſſeſſio venerit; & nihilominus cōductor, vel hęredes eius integrè ſeruitiū ſoluere teneatur, ſaluo tamē poſſeſſoris iure, quod haberet aduerſus eū, vel eius hæredes, à quo cauſā haberet, ſiue emptione, ſiue alio titulo; nō obſtante, quod res talis eſſet euicta ſine iuris ordine, vel alia ſolemnitate, vel probatione, ſed liberè poſſit proſequi iura ſua aduerſus eum, vel hæredes eius, à quo eam habuerit, ac ſi omnia ſolemniter proceſſiſſent.

DE CONVENIENDIS AFFICTVARIIS, ET ALIIS. LXIIII.

QVONIAM ferè ſemper contractus affictuum perpetuorum, cenſuum, & temporalium locationum, ſocietatumq; ab Arretinis, Comitatinisúe Cortynarum, aliisq; quibuſcumque cùm hominibus, & perſonis veteris Comitatus Arretinæ Ciuitatis fieri conſueuerunt in Ciuitate prędicta, & ſecundū ſtatuta eiuſdem Ciuitatis: Idcirco ſtatutum eſt, quòd quilibet laborator, ſeu perpetuus affictuarius, aut temporalis, aut ceſsionarius, aut penſionarius, aut quilibet alius partiarius, colonus, aut inquilinus quorumcumque bonorum prędictorum poſitorum quocumque loco etiam poſsit cōueniri pro prædictis cauſis, aut altera earum, & præmiſsis omnibus, & ſingulis, & etiā pro ſoccitis cogi, & grauari realiter, vel perſonaliter per Capitaneū Ciuitatis Arretij, & eius curiam ad petitionē cuiuſcumque prędictorū pro omni, & quacumque quantitate animalium, affictus, diricti, cenſus, & pēſionis ſibi, aut alteri eorum debita, & etiam pro præſtantiis factis dictis laboratoribus per quoſcumque, vt ſupra, expreſſos, & nihilominus talis affictuarius, cenſuarius, colonus, inquilinus, ac ſoccius valeat pro prædictis cauſis in foro ſuo, & per eius Iudicē ad petitionē dictorum Arretinorum, Comitatinorum, & aliorū quorumcūque, vt ſupra, grauari, & cogi, & talis Iudex teneatur ſecundū formā ſtatutorum Arretinorū in præmiſsis omnibus, & ſingulis procedere, ac terminare aliquibus priuilegiis, immunitatibus, legibus, ſtatutis generalibus, ſiue particularibus in cōtrariū diſponentibus non obſtātibus, & ſi tales eſſent, quæ ſpeciali derogatione indigerent.

DE SVCCESSIONE LIBELLARIA. LXV.

NVLLVS filius, nepos, vel pronepos tàm maſculus, quàm fœmina alicuius defuncti poſsit abſtinere ab hæreditate defuncti in prȩiudicium Domini, vel locatoris, & eius hęredū, cū ſemper teneātur tales filij, & filiæ, ſi Domino, vel locatori placuerit, pręſtare talē affictum, vel cenſum, quē conſuetus erat, & præſtare tenebatur defunctus; hoc tamen nō præiudicet talibus abſtinentibus talis defuncti, ſi hæreditatem repudiauerint, in aliis debitis defuncti, ad quæ defunctus eſſet obligatus: Et ſi aliquis ex teſtamento, vel ab inteſtato etiam extraneus hæreditatem alterius receperit,

qui debeat aliquem affictum, vel cenſum, vel aliud reale ſeruitium, vel perſonale facere de aliqua re, teneantur tales ſucceſſores, vel hęredes talis defuncti eas præſtationes Domino, vel Dominis, vel eorum hæredibus facere, & pręſtare, ſicut debebat, & tenebatur ipſe defunctus, & ſi placuerit Domino libellũ renouare, recipere, tanquam ſi eſſet filius legitimus, & hæres talis defuncti, & ſolummodò bona hæreditaria intelligantur eſſe, & ſint obligata: Et ſi plures ſint fratres, vel fuerint, & ipſorũ maior tempore, quo hæreditas patris eorum erat cõmunis aliquam rẽ alicui locauit, res ſic locata præſumatur eſſe, & ſit communis ipſorum fratrum, niſi frater maior probauerit aliunde ad ſe perueniſſe, quàm ex hęreditate patris. Cumq; igitur particulares ſolutiones nõ modica afferant incõmoda ſtatuimus, quòd hęredes, emphyteotę, cenſuarij, vel affictuarij perpetui, vel ſoliti ſoluere affictum, cenſum, vel aliud præſtare ſeruitium in ſolidum teneantur ſoluere, & pręſtare, ſaluo iure hæredis ſoluentis contra hęredẽ non ſoluentem; & hæredibus ſoluentibus idem ius fiat contra hęredes nõ ſoluentes, quod fieret Domino, vel locatori de affictu, vel cenſu, vel altero ſeruitio contra affictuarium, vel colonum, & cuilibet, vt ſupra, ſoluenti ius à Domino ceſſum intelligatur, & habeatur contra hæredes non ſoluentes. Ad ſucceſſionem libellariam non admittantur, niſi recipientes, & hæredes eorum maſculi legitimi, & naturales in infinitum deſcendentes, quibus maſculis deficientibus etiam fœminæ admittantur legitimæ tamen, & naturales, & vt ſupra, in infinitum deſcendentes.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO. LXVI.

FILIAE fœminæ, vel deſcendentes ab eis ad ſucceſſionem patris, aui, vel proaui ab inteſtato defuncti non veniant exiſtentibus filiis, vel filio, ſiue liberis maſculis per maſculinam lineam ex defuncto: non exiſtentibus verò filiis, vel liberis maſculis, vt ſupra, filiæ fœminæ vna, vel plures, aut ab eis deſcendentes ſuccedant patri, auo, vel proauo in duabus tertiis partibus tantùm hæreditatis, & non vltra: In alia verò ſuccedat frater perſonæ defunctæ, de cuius hæreditate agitur vtrinq; coniunctus, vel ex latere patris tantùm vnus, vel plures, ſi extant; ſin autem filij maſculi ipſorum: Hoc declarato quòd exiſtentibus fratre, vel fratribus, qui, vt ſupra, ſuccederẽt, & ex alio fratre, vel fratribus, filio, ſeu filiis ſuccedant vnà cum patruo, vel patruis in ſtirpes, & non in capita. Defuncta verò matre, auia, vel proauia ab inteſtato non ſuccedant fœminæ, vel deſcendentes ab eis maximè fœminæ, maſculo, vel maſculis exiſtentibus ex eadem, & in quolibet caſuum prædictorum, in quo fœminæ in totum excluderentur, debeant congruè dotari ſecundum facultatem patrimonij, & perſonarum qualitatem, ſi dotatę non ſint, & omnino alimentari etiam congruè per excludentem, donec nupſerint, & matrimonium conſumauerint, & ſi maritari, vel dotari nollent, ſed aliam vitam honeſtam, vel in domo patris, vel fratris vnius, vel plurium cùm ipſis habitare, pater, vel frater, ſi voluerit ipſa, congruam eidem portionem aſſignare debeat ſecundum facultatem patrimonij, & conditionem perſonarum, cui aſſignationi ſtare debeat tacita, & contenta, & ſi nõn ſubeſſet iuſta, vel rationabilis cauſa, quæ ipſam rationabiliter excuſaret, teneatur talis mulier cùm patre, vel fratribus habitare; & ſi nõ dotarentur, vel alia cõgrua portio non aſſignaretur, poſſint ipſæ fœminæ conuenire debitores hæreditatis, & petere, & cõſequi bona hæreditaria, donec cõgruam dotem, vel congruam portionẽ fuerint conſecutę, non obſtante aliqua obligatione, ſeu alienatione de bonis hæreditariis facta, ſufficiat tamen in quolibet prædictorum, & infraſcriptorum caſuum, quòd ſit congruè dotata à quocumque etiã à ſe ipſa, quàmuis de bonis illius, à cuius hęreditate excluditur

non ſit dotata,& vltra conſequi non poſſit vllo modo. Quę dos, vel portio congrua declarari debeat per duos proximiores cõiunctos, & quatuor ex Rectoribus Fraternitatis pro confidatis datos, vel quatuor ex dictis ſex infra decem dies à die electionis, quorum declarationi omnino ſtetur appellatione, ac reclamatione remota. Mater inſuper ad ſucceſſionem filij, vel filiæ, vel deſcendentium ex eis ab inteſtato decedentium non admittatur exiſtente fratre, vel ſorore defuncti, vel defunctæ vtrinq; coniuncto, vel ex latere patris tantùm, vel filiis ipſorum, vel patruo: poſſit tamen mater excluſa de bonis talis defuncti habere,& percipere alimẽta, ſi non haberet, vnde ſe cõmodè ſuſtentaret. Non exiſtentibus autem prædictis, & exiſtentibus fratre patruele, ſeu patruo magno vno vel pluribus perſonę defunctę ſuccedat tantùm ipſa mater, ſi vidua reperiatur, in quarta parte bonorum, deducto tamen ære alieno,& plus petere non poſſit: declarantes, quòd in reſiduo ſuccedant ſimul frater patruelis, & patruus magnus vnus, vel plures: Fratre verò, vel ſorore defuncto, vel defunctis ab inteſtato ſorores, vel earum deſcendentes ad ipſius ſucceſſionem non veniant ſuperſtite fratre, vel fratribus vtrinq; coniunctis, vel ſaltem ex linea paterna, ſeu filiis maſculis ipſorum; ſed ipſę ſorores, ſi congruè non ſint dotatæ, dotari debeant, vt ſuperius dictũ eſt: Et ſi prędicti non extarent, ſed extaret patruus, vel patrui perſonæ defuncti, ſuccedant ipſæ ſorores, vel earũ deſcendentes in dimidia tantum hæreditatis: Et poſsint sẽper ſorores in caſibus, in quibus in totum excluduntur, redire,& ſtare, dùm in viduitate permanſerint, in domo fratris, vel alterius, à cuius hęreditate penitus excluduntur, ſine filiis tamen ipſarum;& quod eſt dictum ſupra de filiis, vel filiabus,& ab eis deſcendentibus fratribus, patruis, fratribus patruelibus,& aliis intelligatur legitimis,& naturalibus legitimo matrimonio natis,& filij, ſiue nepotes, vel alij ſuccedentes ab inteſtato, quãdò ſunt fœminę vna, vel plures, quę dotari debeant de bonis defuncti ſecundum formã præſentis capituli, teneantur,& debeant manu publici Notarij,& fideliter infra mẽſem à die mortis dicti defuncti, etiam ſi requiſiti non fuerint, inuentarium facere de omnibus bonis dicti defuncti; cui ſuccedunt,& fœminæ excluduntur; Ne fœminæ prædictæ poſsint de prædictis in aliquo defraudari, vel decipi vllo modo, aliàs nõ faciens teneatur ad congruã dotem in duplo ei, quàm dotare teneretur, ſi dotari non deberet, vt ſupra, dictũ eſt, ſoluat eidem fœminæ pro pœna ad inſtar congruę dotis;& nihilominus etiam ſi requiſiti non fuerint ad petitionem dictarum fœminarum, ad dictum inuentarium faciendum cõpellantur: Et quilibet intelligatur inteſtatus, vel ab inteſtato decedere, vel deceſsiſſe, qui nullum fecit teſtamentum, etiam ſi talis ſit, qui teſtamentum facere non potuerit,& ſufficiat mortem probari per librum Fraternitatis noſtræ Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, in quo ferè omnes mortui deſcribi conſueuerunt. Natis quoque ex quocumque illicito coitu ſuccedant proximiores, ac ſi nati eſſent ex legitimo coitu, non tamen eos, qui generauerunt, comprehendi, aut vocari volumus. Saluo quòd hoc capitulum non vendicet ſibi locum, nec poſsit in aliquo derogare capitulo ſupradicto de ſucceſsione libellaria, ipſumq; capitulum ſupradictum in omnibus libellariis obſeruetur.

QVOD MARITVS VXOREM EXPELLENS EAM ALERE TENEATVR, NISI PRO ADVLTERIO. LXVII.

QVICVMQVE expelleret vxorem ſuam, vel malè tractaret ſine iuſta, vel rationabili cauſa, ſiue ſit maritus, ſiue ſocer,& eam non tenuerit,& receperit, ſicut quis deberet vxorẽ ſuam, vel nurum; ſi requiſitus ab ipſa muliere, vel aliquibus ex proximioribus ipſius infra decem dies non ſatisdederit ad arbitrium Iudicis ſub cer-

ta pœna de bene tractando eam in perſona, & rebus, teneatur ipſi mulieri pręſtare alimenta ad rationem florenorum decem pro centinario dotis promiſſę, & vbi dos promiſſa non eſſet, arbitrio maioris partis Dominorum Rectorum Fraternitatis, quæ alimenta præſtentur à viro mulieri in principio cuiuſcumque menſis,& cauſa iuſta, & rationabilis illa dicatur, quam Iudex declarauerit: Et in pręmiſſis debeat de facto,de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij abſque aliqua ſcriptura cognoſcere, & compellere. Item ſi aliqua mulier fuerit inculpata de adulterio à viro ſuo, & talis infamia ſibi probata fuerit per quindecim teſtes bonæ conditionis,& famę, non teneatur vir eam alere; dotem tamen pro illa tali infamia non perdat, ſed ipſam dotem petere non poſſit conſtante matrimonio. Si verò legitimè adulterium probatum fuerit, tunc perdat mulier dotem, donationem, & alimenta. Et ſi qua mulier fuerit condemnata pro adulterio,& etiam pro contumacia perdat dotes ſuas, & donationem propter nuptias.

DE ABSTINENDA, VEL REPVDIANDA HAEREDITATE. LXVIII.

FILIVS, vel quilibet alius, ad quem ex teſtamento, vel ab inteſtato delata eſt hęreditas,bona defuncti detinens hęres eius intelligatur,niſi infra triginta dies à die mortis Iudicem adierit,bonaq; hæreditaria,vel eorum partē pro ſui crediti quantitate à curatore,qui iacenti hæreditati præſentium ſtatutorum forma ſeruata dari debeat, poſtulauerit; bona autem iuxta æſtimatorum declarationem,quorum vnus à curatore prædicto,alius ab hæreditatis creditore, vel creditoribus, ſeu eorum maiori parte eligatur, & de eis creditori aſſignari volumus, qui niſi infra terminum eis præfixum declarauerint, tertius à Iudice eligatur, & duorum ſtetur declarationi: At prædictum triginta dierum terminum mulieribus, niſi poſtquam ad inſtantiam creditoris citatæ fuerint; Minoribus,ac pupillis abſentibus ex iuſta cauſa, furioſis, aliiſq;, qui ſua negocia curare nequeunt, currere nolumus niſi à die dati tutoris, vel curatoris, qui ad vnius etiam creditoris inſtantiam dari debeat. Si quis verò vltra bona ſibi conſignata aliquid ex dicta hæreditate tenuerit, celauerit, interuerterit, diſtraxerit, aut conſumpſerit, vel per eum factum fuerit, quòd quid ex hæreditate amoueatur, vt hæres creditoribus hæreditariis teneatur,ac viginti librarum denariorum pœna mulctetur; cuius medietas Communi Arretij; quarta accuſatori; reliqua creditori applicata ſit, quam pœnam etiam incurrat conuentus, vt hęres, qui ſe hæredem negauerit, ac poſtmodum conuictus fuerit. Nulli inſuper licere volumus hæreditatem adire, vel ei ſe immiſcere cùm beneficio legis, & inuentarij, ſed ipſam abſolutè adire, eiúe ſe immiſcere, aut repudiare debeat.

DE DOTIS PROMISSIONE, AC RESTITVTIONE. LXIX.

MVLIERE tranſeunte ad ſecundas nuptias,& in ſecundo matrimonio moriente cùm filiis, filij primi matrimonij de dote dictæ mulieris eorum legitima portione debita iure naturæ non fraudentur,ſed eam habere debeant, etiam ſi eorum mater à quocumque fuerit dotata, & nihil poſſint plus petere non obſtante aliqua lege,vel ſtatuto: Et ſi ſine filiis deceſſerit ex dicto ſecundo matrimonio, filij primi ad dimidiam admittantur,& ſi vidua deceſſerit tanquam de hęreditate fiat, vt diximus Titulo de ſucceſſ.ab inteſt. Conſtante verò matrimonio,vergente marito ad inopiam,

vel malè inchoante vti ſubſtantia ſua, vel abſente marito, & eius abſentia durante otiū, forenſe mulieres poſſint, vel tenutam capere de bonis virorum cum quarto pluri, vel bona defendere à creditoribus earum poſterioribus,& pro earum dotibus,& donationibus propter nuptias;quorum bonorum æſtimatio fiat per duos bonos viros communiter ab ipſis mulieribus vnum,& ab ipſis creditoribus,& eorum maiori parte alterum, & Iudex eligat tertium, ſi illi duo non æſtimarent in termino aſſignato; & in caſu adeptæ,vt ſupra,tenutæ non alatur de bonis viri, ſed fructus ſuę tenutæ, ſi ipſos perceperit,pro alimentis ſibi ſufficiant: Et in omni caſu tàm conſtante matrimonio,quàm ſoluto, ſi quis creditor viri vellet ſoluere, & ſolueret in pecunia numerata talibus mulieribus dotes ſuas, & donationes propter nuptias, teneantur dictæ mulieres dicto creditori cedere iura ſua cùm idoneo defenſore, & ſecundum prædicta intelligantur eſſe facta pacta inter contrahentes, ſiue fiat inſtrumentum,ſiue non,& pacta aliter facta non valeant. Et ſi aliqua mulier fuerit dotata per patrem,& benè, & congruè,& quantum patiuntur facultates ipſius,& qualitas mulieris, vel dotata congruè per fratrem non poſſit ipſa mulier, nec eius hæredes repetere dotem matris à dicto patre ſuo, vel fratribus ipſius mulieris vtrinq; coniunctis, vel ipſorum deſcendentibus maſculis,vel eorum iura habentibus. dummodò tempore repetitionis frater vtrinq; coniunctus, vel ipſius deſcendentes maſculi extent. Vbi verò frater ex patre tantum, vel eius deſcendentes maſculi tempore dictæ repetitionis extarent, & eſſet, vt ſupra, congruè dotata, poſsit ſolùm reſiduum dotis maternæ repetere, quando omnibus filiarum dotibus computatis, dos matris maior eſſet. Nec etiam perſona, vt ſupra, excluſa poſsit bona patris defendere in præiudicium creditoris, vel creditorum. Et de cætero præmortua vxore vir lucretur dotes in totum,vel in partem,vt ſupra,& ipſe teneatur ſoluere, & facere expenſas funeris vxoris præmortuę. Soluto matrimonio,& carnali copula conſumato morte vxoris non ſuperexiſtentibus filiis vna, vno, vel pluribus ex communi matrimonio maritus per ſe lucretur, & habeat medietatem promiſſæ dotis,& alia medietas reſtituatur filiis primi matrimonij vni,vel pluribus,& eis non exiſtētibus hæredibus dictæ vxoris reſtituatur. Si verò ex communi eorum matrimonio filij ſuperefſent vnus, vna, vel plures, tunc maritus ipſe pro filiis, vt ſupra, totam dotem promiſſam lucretur, & ipſi filij teneantur dare legitimam portionem filiis primi matrimonij eorum fratribus vterinis à quocumque dicta mulier fuerit dotata. Si verò matrimonium, vt ſupra, conſumatum, morte viri fuerit ſolutum filiis vno, vna, vel pluribus non exiſtentibus mulier ipſa lucretur de bonis mariti ad dotis reſtitutionem obligati tantam quantitatem pecuniæ, quanta eſt ſexta pars dotis promiſſę, ſi dos ipſa fuerit ſoluta, vel habita pro ſoluta, vel confeſſa: Si verò non fuerit ſoluta, vel habita pro ſoluta mulier nihil lucretur: ſi verò pro parte dos ipſa ſoluta fuerit,aut confeſſa,vel habita pro ſoluta,tunc mulier lucretur tantum,quantum eſt ſexta pars eius,quod ſolutum,aut confeſſum erit, habitumue eſt pro ſoluto nomine donationum propter nuptias: Et ſi filij vnus, vna, vel plures ex tali communi matrimonio extarent, tunc, & eo caſu lucretur mulier quartam partem tantum dictæ ſextæ partis donationis prædictæ. Inſuper quia ſæpe contingit, quòd dotes promittuntur,& conuentis temporibus non ſoluuntur marito, ne ipſe matrimonij onera ſuo damno ſuſtineat, tunc promiſſę, & non ſolutæ dotis, maritus, & ſui hæredes pro intereſſe, quod tot æſtimamus, poſsint petere cōtra promittentes, & eorum hæredes, & conſequi pro quolibet anno florenos quinque pro centenario florenorum promiſſorum incipiendo à die conſumati matrimonij,ſi in inſtrumento dotis terminus non eſſet appoſitus; ſi verò eſſet appoſitus terminus prima die poſt finitum terminum inter partes conuentum, & ſi dotis declaratio, vel terminus arbitrio tertij fuerit commiſſa,

miſſa,

miſſa, & ſeu commiſſus prima die poſt declarationem, vel terminum declaratum, & non antea teneantur. Inſuper obligati ad dotis reſtitutionem, & eius hæredes alere dictam vxorem etiam extra eorum domum, ſi voluerit, & etiam ſi aliunde habet, vnde ſe alat, teneantur, donec cùm effectu dos ipſa fuerit reſtituta, & pro dictis alimentis, & ſuo intereſſe tanti æſtimato per nos, vt ſupra, teneantur dicti hæredes quolibet anno ad rationem quinque pro quolibet centinario dotis ſolutæ, vel pro ſoluta habitæ, vel confeſſatæ, & ſic pro rata florenorum quinque pro centinario pro quacumque ſumma dotis, vt ſupra. Si verò aliquid ſolueretur pro reſtitutione dotis prędictæ pro ea parte ſoluta debeat pro rata detrahi tàm temporis, quàm quantitatis prædictæ de ſumma florenorum quinque pro centinario ratam pro rata: Et aliquid aliud pro alimentis ſuis, aut eorum occaſione, vel intereſſe petere non poſſint. Et licere volumus dictæ vxori, poſt menſem triennij, vel biennij, vt infra ad reſtituendam dotem præfixum conſequi, & habere tenutam in bonis, & de bonis ad dictam reſtitutionem obligatis, & in duplum ſui crediti, & tunc lucretur fructus talis dupli; & dicto caſu aliquid aliud pro alimentis conſequi non valeat, & in caſu prædicto non teneatur mulier operari pro hæredibus viri defuncti. Si verò mulier vidua ſtaret, & habitaret in domo cùm hæredibus mariti, & ab eis alimentaretur, nihil ab eis, & contra eos, & bona mariti ex cauſa alimentorum petere, aut conſequi poſſit, & tali caſu pro hęredibus mariti operari debeat, & omnis reſtitutio dotis in pęcunia conſtituta, & donatio propter nuptias, ſi à filiis mariti fieri debeat; fieri debeat inde ad duos annos ſoluto matrimonio, & quolibet anno dimidia pars ſoluatur: ſi verò ab hęredibus extraneis inde ad annum ſolui debeat, & nihilominus interim ſingulo anno lucretur mulier, vt ſupra diſpoſitum eſt. Si verò dos eſſet conſtituta in bonis immobilibus æſtimatis, ſiue non, loco fundi dotalis, talium bonorum ſtatim ſoluto matrimonio morte viri in totum fieri debeat reſtitutio ipſi mulieri, & quando matrimonium fuerit ſolutum morte vxoris nullis remanentibus filiis, pro medietate reſtitutio, vt ſupra, fiat, ita quòd fructus bonorum fundi dotalis lucretur vxor, & vir in caſu ſoluti matrimonij ſecundum iuris diſpoſitionem: ſi verò dos eſſet conſtituta partim in bonis immobilibus æſtimatis, ſiue non loco fundi dotalis, & partim in denariis, aut aliis bonis in modum, quòd emptionem facerent, tali caſu matrimonij ſoluti morte vxoris talis reſtitutio fieri debeat pro rata bonorum datorum pro dotali fundo, & pro rata in denariis, vt ſupra. Quæ tamen bona in dotem data ita demum reſtitui debeant immediatè mortuo viro, ſi expreſsè actum ſit, quòd bona illa ſint dotalia, vel ſtent, & maneant pro fundo dotali. Et vbi forenſis nupta in Ciuitate Arretij, vel Arretina ſecundò nuberet, extra Comitatum Arretij, vel extra illud etiam non nubendo habitare vellet, non poſſint tales mulieres repetere earum dotes, niſi idoneè ſatisdent filiis primi mariti de conſeruanda eis debita legitima portione. Mulieribus viduis veſtes, & alia lugubria deberi volumus hoc modo, v3. Si dos fuerit florenorum centum, & minus, & ab inde vltra vſque in ducentos ad rationem quinque pro quolibet centinario; à ducentis verò vſque ad quingentos incluſiuè florenos quatuor pro quolibet centinario, & à florenis quingentis, vſque ad ſeptingentos tres cùm dimidio pro quolibet centinario, vt ſupra; & ab inde ſupra vſque in omnem ſummam florenos triginta, & plus conſequi, vel habere non poſſint. Quantitates, & veſtes lugubres, & alia, vt ſupra, ſi infra annum ſecundò nupſerint, reſtituere teneantur prout erunt tempore, quo ſecundò nupſerint: Et ſi dictæ viduæ veſtes, & alia lugubria prædicta infra annum à die mortis non petierint, ipſas amplius petere prohibemus.

DE INSTRVMENTIS ROGANDIS. L X X.

QVILIBET Notarius vocatus ad aliquod inſtrumentum conficiendum teneatur, antequam legat, ordinare ſubſtantiam; & poſtea legere pœna quinque librarum contrafacienti à die confecti inſtrumenti cum omni ſolemnitate iuris, vel conſuetudinis, ſeu ſtatutorum ſaltem quo ad ſubſtantiam ipſius per ſe; vel alium ſcribere teneatur in ſuis libris abbreuiaturarum infra duos menſes pœna decem librarũ pro quolibet, & qualibet vice ſibi auferenda per Iudicem de facto ad petitionem cuius liber notificantis: Et nulli Notario liceat committere aliquam abbreuiaturam ſuam, vel alterius factam, vel faciendam, vel ipſum inſtrumentum copiandum, vel exemplandum alicui perſonę ſub pœna librarum vigintiquinque contrafacienti ſimili modo auferenda; & nihilominus quod fieret non valeat ipſo iure, niſi Notarius rogatus ipſemet dictauerit, & in ſuo prothocollo ſcripſerit, vel ſubſcripſerit. Et mortuo aliquo ex Notariis Ciuitatis Arretij, & in matricula dictæ Ciuitatis deſcripto teneantur, & debeant ipſius hæredes, aut eorum adminiſtratores, & alij quicumque, pœnes quos prothocolla, & libri dicti Notarij reperirentur infra quadraginta dies adire Rectorem Collegij, & eius Conſiliarios, & ab eis petere prouideri de vno, aut duobus Notariis pro ſumendis copiis inſtrumentorum ex dictis prothocollis: qui Rector cum ſuis Conſiliariis, duobuſque Iudicibus, & totidem Notariis dicti Collegij examinata qualitate librorum, & abbreuiaturarum, & facto inuentario ipſorum librorum teneantur eligere vnum, vel duos ex Notariis dicti Collegij legales, & in arte expertos, eiſdemq; committere curam dictorum librorum, vtq; exempla ſumant, & petentibus copiam dent fideliter: De qua electione, & commiſſione, & inuentario fiat ſcriptura in libris dicti Collegij per Cancellarium ipſius; & qui poſſint quodlibet inſtrumentum copiare, & ſi fuerit opus, extendere, & apponere clauſulas, & alia neceſſaria, & ſolita, & obligationem bonorum, & guarantigiam, & alia ſecundum naturam inſtrumentorum ſolita de ſtylo Notariorum Ciuitatis Arretij, etiã quòd in prothocollo Notarij mortui non ſint appoſita, & copiam coram Iudice vnà cùm aliis duobus Notariis reſcontrantibus legere, & reſcontratam, & ſubſcriptam per eos, & auctoritate, & decreto Iudicis munitam tradere, quibus, vt ſupra, obſeruatis tali exemplo plena fides adhibeatur, ac ſi facta eſſet auctoritate generalis Conſilij dictæ Ciuitatis, & in ea omnia requiſita obſeruata fuiſſent: Et pro ipſis copiis habeat Notarius, qui ſumpſerit tertiam partem ſalarij, reſiduum verò hęredes, & alij, vt ſupra, conſequantur.

QVOD FORENSES POSSINT CONVENIRI CORAM IVDICE DOMINI CAPITANEI. LXXI.

FORENSIS debitor alicuius Ciuis, vel Comitatini Arretini conueniri coram Iudice poſſit, & ipſe Iudex poſſit, & debeat de ipſo debitore ius reddere realiter, vel perſonaliter contra ipſum principalem, & eius fideiuſſores, & eius hæredes, & bona, & nomina eorum debitorum non obſtante aliquo iure, vt eod. lib. diximus titulo primo, & procedi mandamus, prout natura cauſæ expoſtulat, vt ſupra diximus, titulo ſecundo.

DE PRIVILEGIATIS EXACTIONIBVS. LXXII.

FRATERNITATI, Monti Pietatis, cæteriſq; Hoſpitalibus, ac pijs locis Ciuitatis Arretij, eiuſq; Capitaneatus Communi Florentiæ, atq; Arretij, Cortyniſue eiuſdem fauere cupientes ſancimus, omnes, & quoſcumque debitores eorum capi, pignorari, & omnino ſoluere compelli debere, ac poſſe per Capitaneum,& eius familiam de facto, viſa veritate, vel libris eorumdem; dumodo ſaltem citentur per Nuncium, quòd infra triduum ſoluant: quo termino elapſo dicti debitores perſonaliter, vel realiter grauari poſſint de facto, & prout melius videbitur Camerarius, & officialibus dictorum locorum, quibus ſufficiat per eorum libros, vel alias probationes docere de debito, ſi grauari, vt ſupra, ſe opponant.

DE HIS, QVI BONIS CEDVNT. LXXIII.

NVLLVS poſſit bonis cedere, nec ſe à carceribus liberare, niſi in actu dictæ ceſſionis Iudex faciat ipſum ducere de mane hora, qua ius redditur, apud Columnam Plateæ, apud fontem, qui eſt contra Eccleſiam Plebis, in angulo de Baccis, & in Plateola, atque in ipſis locis eo præſente per publicum præconem banniatur, illum velle bonis cedere, & bonorum ceſſionem facere, vt de cætero nullus eidem res ſuas credat, & aliter facta ceſſio non valeat, nec cedenti proſit aliquo modo.

FINIS SECVNDI LIBRI.

STA.

STATVTORVM Liber Tertius.

DE MODO PROCEDENDI IN CRIMINALIBVS. I.

NE ex ſola contumacia aliquis condemnetur, teneatur Dominus Capitaneus, eiuſq; Iudex, antequam recipiat accuſationem, denunciationem, vel quòd contra aliquem inquirat, diligenter, ac fideliter perquirere, & pręcedente teſtium examine in ſcriptis redacto de maleficio, vel ſufficientibus indicijs ad accuſandum, denunciandum, vel inquirendum, deponentium ſę informare, & tunc contra culpabilem accuſatum, vel denunciatum, vt infra procedat, & requiſitus à comparente, vel eius proximiore coniuncto copiam dictorum teſtium omnino concedat. Accuſatus quilibet, denunciatus, vel inquiſitus, vt ſupra, citetur perſonaliter, vel ad domum ſuę ſolitę habitationis per quemlibet Nuncium Communis Arretij, & cùm bina apotiſſa continente maleficium, de quo imputatur; quarum alteram dimittere debeat dictus Nuncius eidem citato, vel perſonaliter inuento, vel ad domum eius, prout diximus ſuperiori libro titulo primo, & alteram Notario maleficiorum in filza detinendam dimittat, & tot binę apotiſſæ fiant, & mittantur, quot fuerint rei citandi, niſi habitauerint ſimul in vna domo. Habeat inſuper quilibet citatus ipſo iure terminum trium dierum pro prima dilatione, ſi habitauerit in Ciuitate, Cortynis, vel Capitaneatu; & ſi in Ciuitate, Cortynis, vel Capitaneatu non habitaret, citetur in platea magna ad columnam, & per publicum præconem ſono tubæ, & ibi cædula affigatur, & etiam citetur valuis palatij D. Capitanei ſemper alta, ac intelligibili voce, & altera dimittatur Notario, vt ſupra; pro ſecunda citatione citetur, vt ſupra, ad dicendum cauſas, quare contra eos procedi non debeat, & habeant ipſo iure terminum trium aliorum dierum: Et ſi citatus non comparuerit, poſſit, & debeat D. Capitaneus, & eius Iudex eum facere exbanniri in ea pœna, qua veniret, ſi conuictus eſſet, de dicto maleficio condemnandus, in quo banno aliorum trium dierum terminus, vt ſupra, aſſignetur; quod tamen bannum debeat in dicta condemnatione computari, ſi dictus reus fuerit de crimine, de quo contra eum agitur, condemnatus, quę bannitio fiat de omnibus cùm tuba ad dictam columnam, & fores, & in die fori, & quilibet, vt ſupra, bannitus, de crimine, de quo contra eum agitur, habeatur pro confeſſo, & vt confeſſus, & conuictus condemnari poſſit, niſi volens rebanniri, & ſe à crimine excuſare, & admitti petat, & quandocumque ante ſententiam ſoluat decem ſolidos Camerario Doganę Communis Arretij, & à banno prædicto abſolutus intelligatur, & ad reſpondendum admittatur. Comparente reo, & aduerſario ad id citato per ſe, vel per procuratorem idoneum, vbi perſonalis comparitio

per hæc ſtatuta non requiritur, faciat eum reſpondere accuſationi, & ipſam reſponſionem ſcribere faciat per Notarium in totum, & diſtinctè, prout facta fuerit per reſpondentem, & ita etiam Notarius maleficiorum vltra pœnam periurij, ſub pœna librarum quinquaginta applicandarum pro medietate Dominis Conſeruatoribus legum Ciuitatis Florentiæ, & pro alia dimidia accuſatori in continenti, ipſam, vt ſupra, ſcribere teneatur. Et reſponſione facta ipſo iure, ſi maleficium fuerit confeſſus, habeat terminum decem dierum ad minus ad ſuam defenſionem faciendam. Et ſi pro maleficio, de quo proceditur contra ipſum, pœna ſimpliciter pecuniaria imponenda eſſet, nullo modo perſonaliter retineatur, ſi voluerit idoneos fideiuſſores dare de parendo mandatis D. Capitanei, & eius Curiæ, & de ſe repræſentando. Vbi verò imponitur pœna corporalis principaliter, & tunc debeat in carceribus cuſtodiri, & ibidem per ſe, vel per procuratorem defendere, & aliter nulla defenſio modo aliquo etiam ex officio admittatur: Si verò pœna corporalis in defectu pecuniariæ imponenda venerit, debeat dicta pœna actualiter deponi apud Camerarium gabellę Communis Arretij per dictum, vt ſupra, comparentem, quod ſi non fecerit, in dictis carceribus, vt ſupra, detineatur: & D. Capitaneus, vel eius Iudex, vel curia contra prædicta faciens, vel aliquod prædictorum perdat de ſuo ſalario centum libras pro qualibet vice ſibi de facto retinendas per Camerarium Communis Arretij, vel per alium obligatum ſibi ſalarium ſoluere, quod ſi non fecerint, eis damno cedat. Vbi verò pœna corporalis principaliter, vel in conſequentiam pro maleficio, ſuper quo proceditur, veniret imponenda, & citatus perſonaliter non comparuerit, nullus modo aliquo admittatur, nec aliqua exceptio, ſiue defenſio recipiatur etiam idonea fideiuſſione interueniente de ſoluendo condemnationem pecuniariam pro tali maleficio imponendam, & proceſſus ob hoc aliter factus ſit ipſo iure nullus, & talis citatus, vt ſupra, bannitus, vt verus contumax habeatur, & condemnetur: Si verò citatus comparens negauerit, illico accuſatori, vel denunciatori, vel inquirenti ſtatutus intelligatur terminus decem dierum ad probandum, infra quos ſi moniti iurauerint aliqui teſtes, quinque dies ad faciẽdum depoſuiſſe intelligantur aſſignati: Et Vbi reprobatio teſtium fieri contigerit, terminus octo dierum ad reprobatos habendum ſit aſſignatus, & ipſis elapſis vtrique parti ad inducendum, & producendum eorum iura tres dies tantùm ſint præfixi, & poſt illos duo ad dicendum contra inducta & producta, poſt quos cuilibet partium ad allegandum octo dierum ſpacium conceſſum intelligatur; quibus elapſis diffinitiua feratur, & intra tempora, vt infra, præfixa, & ſub eadem pœna per Camerarium, vel alium, vt ſupra, retinenda. Negans, vt ſupra, & conuictus condemnetur in duplum pœnę, & in expenſis, quas aduerſario reficiat. Teneatur etiã dictus Dominus Capitaneus, & Curia die initiati proceſſus, vel ſequenti copiam accuſationis, querelæ, ſeu inquiſitionis mittere ad Cameram Communis Arretij, & ipſam dimitti, & relaxari facere in manibus Cancellarij dicti Communis per ipſum conſeruandam.

DE COPIA ACTORVM MITTENDA, ET PROTESTATIONE RECIPIENDA. II.

TENEATVR D. Capitaneus, & eius Iudex de criminalibus cauſis cognoſcens ad petitionem cuiuſcumque, cõtra quem proceditur per accuſationem, denunciationem, vel inquiſitionem, facere dare copiam accuſationis, denunciationis, vel inquiſitionis contra eum formatæ, & eius etiam reſponſionis, & teſtium, ſucceſſiueq; omnium actorum cauſæ, & ſi per curiam ſteterit, non poſſit procedi, nec termi-

nus

nus datus ad defenſionem currat, donec ipſam copiam habeat, quod probari ſufficiat per vnum teſtem de auditu, & per iuramentum petentis: Et ſi dictus reus ſecum ducere aliquem Notarium coram D. Capitaneo, vel Iudice maleficiorum, vt ſcribat cartam requiſitionis, ſeu proteſtationis, quam facere vellet de prediċtis, vel de aliquo iure ſuo, ſeu pro copia actorum ipſorum habenda, teneatur Capitaneus, & Iudex benignè audire, & in aliquo non grauare, & dare facere; & quilibet Notarius requiſitus, vt ſupra, teneatur ire, & proteſtationem facere, vt ſupra, & non recuſare ſub pœna quinquaginta librarum ſibi de facto auferenda, & pro medietate Communi Arretij ſoluenda, & pro alia requirenti, & in pœnam librarum trecentarum incurrat Capitaneus, & Iudex, ſi contra prędicta facerent, vel aliquod prædictorum, applicandam Conſeruatoribus legũ Ciuitatis Florentiæ pro tertia parte; pro tertia Cõmuni Arretij, & pro tertia accuſatori, & nihilominus proceſſus vlterius factus non valeat, & nõ teneat ipſo iure.

QVOD MVLIERES POSSINT CAVSAS CRIMINALES PER PROCVRATOREM AGERE, ET DEFENDERE. III.

IN criminalibus, & vbi ſimpliciter pœna pecuniaria imponenda venit, mulieribus liceat per procuratorem agere, & ſe defendere, & vbi pro veritate habenda neceſſe fuerit mulieres examinari, Iudex maleficiorum ſimul cùm Notario maleficiorũ debeat eas in aliqua eccleſia tantùm examinare.

DE NON COGNOSCENDO DE MALEFICIIS POST DECENNIVM. IIII.

NON poſſit Dominus Capitaneus, vel eius Iudex ſe intromittere aliquo modo de maleficio commiſſo poſt decennium à die commiſſi maleficij computandũ. & ſi aliquis proceſſus fieret, non valeat ipſo iure excepto crimine falſitatis, quod occultè committitur, in quo nulla præſcriptio currat niſi à iure communi, & Romanorum inſtituta.

DE ARBITRIO DOMINI CAPITANEI. V.

DOMINVS Capitaneus dictæ Ciuitatis habeat arbitrium in homicidiis, robbariis, incendiis, falſitatibus, furtis, & inſuper de omnibus maleficiis commiſſis, & contra aſſaſſinos, & quoſlibet committentes maleficium, & eos receptantes, prout, & ſicut per hæc noſtra ſtatuta permittitur, habeat etiam arbitrium in conſeruatione pacis factæ, ita quòd ad alium caſum quoquo modo, vel quęſito colore dictum arbitrium minimè extendatur: & arbitrium habeat in inueniendo, cognoſcendo, & terminando, vbi pœnę per ſtatutum non eſſent determinatæ. Et non poſſit dictus D. Capitaneus, vel eius Iudex inquirere de aliquo maleficio inter coniunctos, vſque in tertium gradum, & inter affines primi gradus incluſiuè, niſi maleficium fuerit enorme. Nec poſſit inquirere de aliquo maleficio inter prædictos, cuius pœna ſimplex imponatur vigintiquinque librarum, vel ab inde infra. De omnibus autem maleficiis aliis poſſit inquirere quomodocumque, & vbicumque, & per quemcumque commiſſis, vt ſupra; & etiam de verbis iniurioſis, & quæ tàm coram ipſo, quàm ſuis officialibus, vel alibi dicerentur, & accuſatio, ſi porrecta fuerit inquiſitio, non impediatur ullo modo.

DE

DE TORMENTIS. VI.

POSSIT Capitaneus,& eius Iudex in infraſcriptis caſibus, ſcilicet, homicidij, incendij, falſitatis, robbariæ, priuati carceris, furti, & maleficij de nocte commiſſi, propter quæ imponenda eſſet quęcumque pœna, & in omnibus maleficiis, in quibus procedere poteſt maximè per formam alicuius noſtri ſtatuti procedere ad tormenta præcedentibus tamen indiciis legitimis, de quibus indiciis teneatur copiam dare, & competentem terminum aſſignare ad purgandum dicta indicia: & ſi prædicta non fecerint, nec obſeruauerint, non valeat proceſſus, nec ſententia, quę ſequeretur ex eo: Et ſi quis eſſet torquẽdus, & requiſitus fuerit perſonaliter, vel ad domum cùm apodiſſa id continẽtè perſonaliter, vel per nuncium domi relaxata, quòd ſcilicet compareat ad confitendum maleficium, & fideiuſſores eius ſimiliter, vt ſupra, requiſiti fuerint, quod eum præſentent in termino ſupraſcripto, & non comparuerint, habeantur de ipſo maleficio pro cõfeſſis, & poſſit procedi ad condemnationẽ, ac ſi verè de maleficio cõſtaret.

DE TESTIBVS. VII.

REQVIRATVR accuſatus, denunciatus, vel inquiſitus vna die pro alia, & cùm cedula ad videndum iurari teſtes, qui inducuntur contra eum, & Notarius maleficiorum teneatur eos diligenter examinare coram Iudice maleficiorum, prout ſuperiori libro de teſtib. diximus, & quærere de rationibus dictorum ſuorum, & iuxta interrogatoria, & ſcribere diſtinctè dicta teſtium; & non dicere talis dixit, vt talis: & nõ poſſit committi examinatio teſtium, qui recipiuntur in cauſis criminalibus, vel ſupra tenutis, & poſſeſsionibus turbatis alicui alij Notario, ſed Notarius maleficiorum tantùm debeat examinare, & ſcribere eorum dicta, vt ſuperius eſt expreſſum.

DE TESTIBVS DENEGANTIBVS TESTIFICARI. VIII.

DOMINVS Capitaneus, eiuſq; Iudex, vel Officialis teneatur, & debeant teſtes, qui fuerint in aliqua cauſa ciuili, vel criminali, vel mixta producti, cogere veritatis teſtimonium perhibere; & quicumque teſtis productus ſe ſubtraxerit veritatis teſtimonium perhibere, per D. Capitaneum in decem libris, & minori quantitate eius arbitrio condemnari debeat conditione perſonæ, cauſæ, & negocij penſata, ſaluo ſemper iure partis, & intereſſe, ſicut ei competit, contra teſtem.

QVOD NVLLVS POSSIT ACCVSARE DE INIVRIA ALTERIVS. IX.

NVLLVS poſſit accuſare de iniuria alterius, niſi pater pro filio, frater pro fratre, & patruus magnus pro nepote, niſi per iniuriatum, & expreſsè contradiceretur, & maritus pro vxore, & è contra, & tutor pro pupillo. Adultus verò non poſſit accuſare, & ſe defendere ſine licentia patris, ac curatoris auctoritate aliqua lege non obſtante: Non poſsint tamen Capitaneus, vel aliquis alius officialis compellere aliquem ad accuſandum, & ſi contrafecerint, incidant in pœnam librarum quinquaginta pro quolibet, & qualibet vice ipſo facto ſoluenda, pro medietate Officialibus legum Ciuitatis Florentiæ, pro reliquo parti coactæ.

DE PROCESSIBVS INFRA DVOS MENSES TERMINANDIS, ET CONDEMNATIONIBVS FACIENDIS, ET NON CANCELLANDIS. Rub. X.

TENEATVR Dominus Capitaneus quolibet bimeſtri ſententias, condemnationes, & abſolutiones ſecundum Ius, & Iuſtitiam partibus monitis, vel citatis ſaltem vna die pro alia, & publicè, & ad bancum iuris, & poſt ſonum campanæ, & tubæ legere, & ſtatim lectas, vt ſupra, Notarius maleficiorum teneatur dare officiali Reſcontri gabellæ Communis Arretij ibi ad hoc ſpecialiter vocato, & in publicam formam in cartis pecudinis, ſeu membranis. Teneantur etiam condemnationes omnes factas, & faciendas executioni mandare, & eas exigi facere capiendo perſonaliter condemnatos, & detinendo, vel faciendo capi, aut vendi eorum bona, & precia eorum dare Camerario gabellæ Communis Arretij vſque ad integram ſatisfactionem, ita quòd integra condemnatio Camerario ſoluatur, & ad eius introitum mittatur; & aliter ſolui non poſſit, & ad ſoluendum aſtringi; & ſi ſecus fieret, ſit ipſo iure nullum, & inualidum; & Camerarius retenta parte prò dicto Commune reliquum ſoluere teneatur ſecundum capitulationem, & in qualibet ſententiæ condemnatione debeat præcipere, quòd ſi ipſi condemnati non ſoluerint cōdemnationes ipſas infra decem dies dicto Camerario, teneantur ſub pœna quarti pluris; in quo quarto pro condemnatis etiam habeantur, ſi fuerit omiſſum, vel non integrè, vt ſupra, ſolutum in termino ſupraſcripto. Et nulla condemnatio poſſit cancellari, nec proſit cancellatio, niſi fuerit integraliter ſoluta, vt ſupra, Camerario antedicto. Teneatur etiam Capitaneus, & eius Iudex omnes proceſſus terminare infra duos menſes à die primę citationis, quo fuerint incepti per dationem accuſationis, vel denunciationis, vel formatæ inquiſitionis, niſi Iudex ſuperſederit in procedendo ex iuſta cauſa, ideſt propter timorem mortis, & tunc tempus incipiat à die citationis, & comparitionis rei, vel procuratoris, vel perſonæ, cui de iure permittitur, & inchoatos coram præceſſore ſuo infra duos menſes à die octaua incepti ſui regiminis computandos, & Capitaneus, & Iudex, qui prædicta omnia non ſeruauerint, aut contrafecerint, incidant in pœnam tercentarum librarum pro medietate Officialibus ll. Ciuitatis Florentiæ; pro quarta accuſatori: & pro alia quarta Cōmuni Arretij pro vice qualibet, & à quolibet auferenda, & eodem modo applicanda, & vendantur per Commune Arretij bona illorum, qui condemnati eſſent etiam per contumaciam, & etiam in aliqua pecunię quantitate retinenda, & ſoluenda, prout ſupra, ſecundum capitulationem: & ſi in condemnatione ſit adiectum, quòd ſi infra certum tempus condemnatio pecuniaria ſoluta non fuerit, vel caput, vel aliquod aliud membrum abſcindatur, vel aliqua alia pœna impoſita ſit; & nihilominus ſi in fortiam Capitanei Arretij dicti condemnati venerint, & reſiduum ſuę condemnationis non ſoluerint, in perſonam executioni mandetur, hoc ſemper intellecto, quòd filij eorum legitima non fraudentur, & inſuper bona dictorum condemnatorum, quæ vendita non fuerint, locentur per Commune Arretij, & æſtimentur, prout melius fieri poterit, per Syndicum, & Vniuerſitatem, in cuius Territorio poſita eſſent, & ſi aliqui fructus perciperentur per Commune Arretij de talibus bonis, in condemnationibus minimè computentur, ſed lucro Communis accedant, & aliorum, quibus ſecundum capitulationem prædictam deuoluuntur.

DE POENA NON PROBANTIS ACCVSATIONEM. XI.

SI quis non probauerit accuſationem, quam per dolum, aut calumniam fecerit de aliquo maleficio, condemnetur, & puniatur eadem pœna, qua condemnatidus, & puniendus veniret accuſatus, ſi accuſatio probata fuiſſet. Si verò accuſatio non fuerit per dolum, vel per calumniam interpoſita, & non potuerit probari ex defectu teſtium, & maximè in Crimine Læſę Maieſtatis, talis accuſans nullam incurrat pœnam, & an interuenerit dolus, vel calumnia ſtari debeat declarationi Domini Capitanei.

DE PACE, CONCORDIA, ET REMISSIONE FACIENDA. XII.

PAX, concordia, & remiſſio de quibuſcumque maleficiis, & iniuriis, homicidiis, magniſq;, ſeu periculoſi vulneris, grauibusq; aliis quibuſcumque maleficiis exceptis, fieri poſſit inter virum, & vxorem, patrem, ſeu auum, filium, ſeu filiam, nepotem, ſeu neptem, & inter fratres, & ſorores, ſeu fratrem, & ſororem, & inter patruum, ſeu auunculum, nepotes, & neptes, & inter quoſcumque per conſanguinitatem coniunctos vſque ad tertium gradum ſecundum ius canonicum incluſiuè, & inter affines primi generis ex matrimonio vſque ad ſecundum gradum, vt ſupra, incluſiuè, & inter priuignum, & nouercam, & vitricum: Quæ pax, concordia, & remiſsio ſi facta fuerit per publicum inſtrumentum, & inductum ante ſententiam continens iniuriam, & maleficia, vt ſupra, leuia, & non grauia, aliqua nominatim, de quibus impetitur, & poſtea generaliter omnia, nulla exinde condemnatio fieri poſſit vllo modo; & intelligatur affinitas etiam mortuo coniuge, ſi ſuperuiuens ad aliquod matrimonium non tranſiuerit, vel ſi filius, vel filia ex ipſo matrimonio remanſerit. Inter alias perſonas de omnibus maleficiis pace, concordia, & remiſſione facta, & inducta, vt dictum eſt, imponatur ſolummodo dimidia pœnę, quæ imponenda eſſet, ſi ipſa pax, concordia, & remiſſio facta non eſſet, & concordia, & remiſſio proſit, ſi facta fuerit inter principales perſonas, vel eorum proximos, vel fratres, & vbi principales perſonæ abſentes eſſent, vel alter eorum, dicta pax, concordia, & remiſſio poſſit fieri per procuratorem, & proſit, ac ſi facta eſſet per principales perſonas, & aliter non. Super verò maleficiis, de quibus per formam alicuius ſtatuti imponeretur pœna ſimplex decem librarum, vel ab inde infra, vel de verbis iniurioſis, ſufficiat ſolum, quòd fiat remiſſio, & producatur, vt dictum eſt; & tunc Iudex ſuper tali maleficio vlterius non procedat.

DE POENA MVLIERIBVS MITIGANDA. XIII.

CVM ſit facilitati ſexus fœminei aliqualiter indulgendum de omni maleficio inter mulieres commiſſo, Læſæ Maieſtatis crimine, homicidio, veneficio, & carnalibus criminibus exceptis, pœnæ maribus imponendę ipſis fœminis dimidia tantummodo imponatur. Si verò mulier delinqueret contra parentes pœna exinde imponenda, ſiue fuerit ſtatutaria, ſiue legalis iudicantis arbitrio mitigetur.

DE NON CONDEMNANDO MINORES. XIIII.

SI quis puer duodecim annorum, vel ab inde infra aliquod maleficium commiſerit, non poſſit contra eum procedi, vel puniri, vel aliquo modo condemnari non obſtante aliquo capitulo ſtatuti de damnis datis.

DE POENA MINVENDA MALEFICIVM CONFITENTI. XV.

SI quis ſponte in reſponſione confeſſus fuerit maleficium, de quo agitur, condemnationis faciendæ detrahatur, & detracta intelligatur pars quarta illius quantitatis, in quam veniret condemnandus, ſi non fuiſſet ſponte confeſſus.

DE POENA DVPLICANDA. XVI.

SI quis de nocte commiſerit aliquod maleficium in perſonam alterius, vel in die aliqua ad honorem Dei, vel Sanctorum, vel Sanctarum eius; Quatuor diebus ante Natiuitatem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & octo diebus poſt duplicetur pœna, quæ eſſet de tali maleficio imponenda, & intelligatur nox ab occaſu ſolis vſque ad eius ortum. Item duplicentur omnes pœnæ contra eos, qui aliquem offendunt in locis ſanctis, Eccleſiis, in locis religioſis, vel in plateis Communis Arretij, & Curiis Palatij dicti Communis, vel Domini Capitanei, vel prope ipſa palatia per viginti brachia, & in eundo, & redeundo ad curiam quando vocatus eſſet per Nuncium Communis Arretij, aut Officialem; aut aliquem euntem ad rumorem ignis accenſi, mortuum, Nuptias, vel prędicationes, ſeu aliquem dormientem, aut quem vocaret de domo, vel de quolibet alio loco. Item ſi quis offenderet aliquem euntem, vel ſtantem, vel redeuntem pro aliquo negocio Communis Arretij, vel qui aliquod gereret officium Communis Arretij, eundo, ſtando, vel redeundo. Item duplicetur pœna, ſi aliquis offenderet in platea porcorum, vel in burgo, vel contrata Sancti Michaelis, vel ad fontem Venizelli, vel in ſtratis publicis, quæ ſunt extra mœnia Ciuitatis, & intelligantur publicæ tantùm, per quas itur ad Ciuitatem Florentiæ, ſcilicet ſtrata recta de valle longa, & ſtrata de quarata. Item ſtratæ, per quas itur Senas, ſcilicet ſtrata Vlmi, & Peſcaiolę. Item ſtratæ, per quas itur Romandiolam, ſcilicet ſtrata portæ Sancti Clementis, & ſtrata Portæ Sancti Blaſij, qua itur ad claſſem, & ſtrata, qua itur ad Ciuitatem Caſtelli à fonte Venizelli per Cerſonem, & ſtrata, qua itur Cortonam. Item ſtrata, quæ ducit in Vallem balnei aurei: & pœnæ duplicentur, ſi quis offenderet aliquem in Ciuitate Arretij toto tempore Nundinarum, vel tempore generalis exercitus, vel guarnimenti, quo banniuntur, quòd illi, qui ſunt ſuper cuſtodia Ciuitatis Arretij, debeant portare arma miſſo dicto banno, vel facto præcepto de dictis armis portandis: Et pœna ſemel duplicata vlterius non valeat duplicari ex cauſis ſupradictis in hoc capitulo contentis, vel aliis quibuſcumque, vel alio caſu, vel alia cauſa.

DE POENA ADVOCANTIS CONTRA COMMVNE. XVII.

NVLLA perſona cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtat, audeat, vel præſumat aduocare, vel patrocinium præſtare, ſeu procurare, vel aduocationis, ſeu procurationis officium exercere, vel conſilium, ſiue auxilium, vel in ſcriptis, vel ſine ſcriptis publicè, aut occultè dare alicui perſonę, Collegio, vel Communi in aliqua cauſa, controuerſia, quęſtione, ſeu lite contra Commune Arretij, nec aliquam ſcripturam publicam, vel priuatam contra dictum Commune, ſeu de requiſitione dicti Communis, vel proteſtatione aliqua, quę de dicto Commune, vel Dominis Prioribus populi Arretij, pro quo ipſo Commune fieret ſcribere, dictare, vel facere ſub pœna, & ad pœnam quingentarum librarum den. dicto Communi Arretij applicanda pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafieret, & nihilominus quilibet contrafaciens ſit ipſo facto priuatus omni officio, & beneficio Cōmunis Arretij, nec in ipſo Commune poſſit aliquod officium, vel beneficium habere, exercere, ſeu aduocare, nec procurare, vel artem Iudicatus, vel Notariatus quomodolibet exercere, vel conſilia dare inde ad decem annos à die, qua contrafecerit, numerandos, & ſi ſecus fieret, non valeat, quod fecerit, ſed ipſo iure ſit irritum, & inane, niſi habita licentia, & obtenta primò, & ante omnia à Dominis Prioribus Populi, vel Capitaneo dictæ Ciuitatis Arretij, qui pro tēpore fuerint, de qua fidem faciant per publicum inſtrumentū factum de conceſſione dictę licentiæ in aliquo caſu ſingulari, & nominato: & quòd Capitaneus prædictus teneatur, & debeat prædicta omnia, & ſingula mādare executioni, tam circa exactionem pœnæ, quàm circa alia ſupraſcripta, pęna quingentarū librarū de eius ſalario, ſi ſecus faceret, retinēda.

DE REVELANTIBVS CREDENTIAM, VEL SECRETVM. XVIII.

NVLLVS audeat, vel præſumat aliquod dictum, vel factum, ſeu actum in Conſilio, vel in aliqua congregatione alicuius Collegij, vel adunantiæ, de quo tenendo ſecretum ſit præſtitum iuramentum, vel impoſitum, quòd credentia teneatur contra formam ipſius iuramenti, vel imponentis dictis ſcripturis, ſeu nutibus, vel quouis modo aliquo, vel forma propalare, vel manifeſtare, & contrafacientes puniantur, vel puniri debeant per Capitaneum in centū libris pro vice qualibet, & in plus vſque ad quingentas libras conſiderata qualitate negocij, ſuper quo eſſet impoſitum ſecretum, vel iuramentum, & conditionibus perſonarum, ipſi Capitaneo videbitur conuenire, & inſuper talis contrafaciens ab omni officio, & beneficio Cōmunis Arretij penitus ſit priuatus, nec ad illa eligi, aſſumi, vel imburſari poſſit, vel valeat quoquo modo.

DE PRIVATO CARCERE. XIX.

SI quis aliquem ceperit, & ipſum retinuerit, vel ipſum capi, vel retineri fecerit in priuato carcere, vel eum redimere faciat, vel rapuerit filium, vel filiam alterius dicta cauſa capite puniatur, itaque moriatur, & eius bona, vt ſupra, publicentur, & applicentur, & applicata cenſeantur; retinens verò aliquem in priuato carcere aliqua de cauſa puniatur in re, vel in perſona ad arbitrium Capitanei inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum.

DE SYNDICIS NON DENVNCIANTIBVS MALEFICIA. XX.

QVILIBET Syndicus Cortynarum, & Capitaneatus Arretij teneatur, & debeat infra tertiam diem, ſi fuerit de Cortynis,& infra quintam diem,ſi fuerit de Capitaneatu,Capitaneo denunciare, & eius Iudici maleficiorum omnia,& ſingula delicta,& maleficia, quæ committerentur in ſuo territorio à die commiſſi maleficij ad pœnam centum ſolidorum ſyndico pro quolibet maleficio non denunciato ; & vniuerſitas à viginti ſolidis, vſque ad decem libras ad arbitriũ Capitanei inſpecta qualitate facti,& conditione vniuerſitatis, ſaluo quod pro qualibet robbaria,& homicidio non denunciato condemnetur Syndicus in decem libris,& vniuerſitas à centum ſolidis ad vigintiquinque libras ad arbitrium Capitanei; & dictus Syndicus non habeat, nec habere poſſit regreſſum contra ſuam vniuerſitatem, ſed è contra; & Capitaneus poſſit inquirere ex ſuo officio contra Syndicum,aut vniuerſitatem non denunciantem maleficia, & punire, & condemnare in pœna contenta in præſenti capitulo: Et maleficium in Campariis factum denuncietur per proximiorem vicinum loci, in quo tale maleficium commiſſum fuit; hoc tamen declarato, quòd Syndicus vniuerſitatis, vel vicinus non compellatur denunciare delicta, ſuper quibus ex forma ſtatutorum Ciuitatis Arretij non poteſt procedi, niſi per viam accuſationis.

QVOD VNIVERSITAS TENEATVR AD EMENDATIONEM DAMNI, ET ROBBARIAE. XXI.

QVAELIBET vniuerſitas Capitaneatus Arretij teneatur cuſtodire ſuam Curiam,tàm de die, quàm de nocte,& ſi aliqua robbaria fieret,& derobbator nõ eſſet captus,& in fortiam Communis ductus,quem capi, & in fortiam Communis ducere vniuerſitati, vbi deliquit, concedimus, & etiam circumſtantibus, quòd vniuerſitas, in cuius Curia commiſſa eſt robbaria, & circumſtantes arbitrio Capitanei teneantur ad emendationem talis robbariæ, & ad ipſam emendãdam per Capitaneum ſummariè, & effectualiter compellantur, & quantitas, ſeu valor, vel æſtimatio rerum ablatarum probari ſufficiat Iudicio, vel præſumptione arbitrio Capitanei, ſi aliter veritas haberi non poſſit.

DE POENA VNIVERSITATIS RETINENTIS EXBANNITVM PRO DEBITO. XXII.

SI qua vniuerſitas retinuerit aliquem exbannitum pro debito, de quo debito appareat inſtrumentum guarantigiæ, vel habens vim guarantigiæ, aut paſſa fuerit talem exbannitum pro debito morari, vel ſtare in dicta vniuerſitate, vel caſtro, vel villa, poſtquam ipſi vniuerſitati vetitum fuerit ex parte D. Capitanei, vel ſui Iudicis per Nuncium Communis Arretij per apotiſſam datam Syndico perſonaliter, vel ad domum ſuæ ſolitæ habitationis relictam, vel ad Eccleſiam, vel ad domum ipſius vniuerſitatis, vel officialis ipſius vniuerſitatis: quę quidem apotiſſa contineat Nomen, & pronomen talis exbanniti, & debiti quantitatem, & nomen Domini Capitanei, & Iudicis prohibentis, & terminum octo dierum, infra quem talis exbannitus debeat expelli de villa, caſtro, vel vniuerſitate prędicta; teneatur D.Capitaneus talem vniuerſitatem caſtrum,

caſtrum, & villam condemnare in decem libris, ſi debitum, in quo fuerit exbannitus, exceſſerit quantitatem vigintiquinque librarum, ſed ſi fuerit in minori quantitate, condemnetur in centum ſolidis, & in dimidia debiti creditori; poſſit tamen dicta vniuerſitas ipſum exbannitum perſonaliter capere, & captum ducere in fortiam D. Capitanei Ciuitatis Arretij, & creditoris ante ſententiam; & ſi prædicta fecerit dicta vniuerſitas, non condemnetur: Si verò aliqua particularis perſona talem exbannitum retinuerit, vel ſtare permiſerit poſt prohibitionem, vt ſupra, condemnetur in centum ſolidis, & in dimidia debiti creditori; liceat tamen tali ſpeciali perſonę ipſum exbannitum capere, & captum ducere in fortiam Domini Capitanei, & creditori ante ſententiam; & ſi prędicta fecerit, in nihilo condemnetur; & ſi ſpecialis perſona, vel Communitas ſoluerit creditori talem condemnationem, teneatur tali perſonæ, & vniuerſitati creditor cedere ius ſuum, & actionem in ea quantitate, quam receperit contra dictum exbannitum, & eius bona, quæ pecunia ſic recepta à creditore in ſortem computetur, & teneatur creditori promittere defenſionem ceſſionis de ſuo dato, & facto: Et intelligatur eſſe exbãnitus receptatus debitor, ſi viſus fuerit publicè ſtare, & morari in vniuerſitate, caſtro, ſeu villa, & hoc poſſit probari de viſu per duos teſtes, vel vnum de viſu, & duos de publica fama; & ſi Syndicus reſpondendo accuſationi negauerit receptationem de exbannito debitore, & probata fuerit poſtea ipſa accuſatio, vel receptatio ſecundum dictam formam, condemnetur vniuerſitas in decem ſolidis pro quolibet focolare, ſi debitum fuerit vigintiquinque librarum, & ab inde infra, dummodo condemnatio non excedat dimidiam dicti debiti: ſi verò fuerit debitum à vigintiquinque libris ſupra, condemnetur in vigintiquinque ſolidis pro quolibet focolare, dummodo talis condemnatio non excedat ſummam quinquaginta librarum, & ſemper in dictis caſibus condemnetur vltra pœnas prędictas Communitas creditori in dimidia totius debiti, pro quo eſſet exbannitus, & Syndicus negans condemnetur ſuo proprio nomine in decẽ libris, & ſemper quicquid receperit creditor de prędictis, computetur in debito, & teneatur iura cedere, vt dictum eſt ſupra, de debitoribus exbannitis pro debito guarantigiæ, vel habenti vim guarantigiæ: Idem intelligatur in omnibus, & per omnia, & fiat de principalibus debitoribus exbannitis ad petitionem fideiuſſorum ſuorum, & eorum, qui pro eis interuenerint, ſiue ſoluerint, ſiue noluerint extrahi de obligatione, quam pro eis fecerint, & Capitaneus teneatur omnes condemnationes factas dicta de cauſa cùm effectu exigere, & exigi facere ſub pœna totius debiti, quam Syndici, qui habebunt eum syndicare, auferre teneantur eidem, & idẽ ſeruetur, ſi fuerint creditores: Et de prędictis omnibus fieri poſſit concordia cùm creditore ante ſententiam, qua facta, & de ea facta fide Iudici non procedatur vlterius, & ſi proceſſum fuerit, non valeat ipſo iure.

DE POENA PORTANTIVM ARMA. XXIII.

NVLLVS, cui per hæc noſtra ſtatuta non permittitur, poſſit portare gladium acutum, vel aliud genus armorum longitudine vltra vnam ſpannam inter ferrum, & manicam, & ſine puncta acuta ſub pœna centũ ſolidorum, & arma inuenta perdantur, nec pro confeſſione quarta pars minuatur condemnationis, & nullatenus remittatur de condemnatione ſoluenda: Et forenſis condemnetur in duplum in omnibus, & ſingulis caſibus ſupradictis, niſi quando per Ciuitatem, Cortynas, aut Comitatũ tranſeundo arma portaret, & Capitaneus teneatur ad minus bis in hebdomada mittere Notarium cuſtodiæ cum berroariis ad ſcrutandum pro armis, & creda-

tur

tur berroariis referentibus ſe inueniſſe aliquem cùm dictis armis, quando irent ſcrutatum pro eis cùm dicto Notario, ſaluo ſemper, quod in eundo, & redeundo per Ciuitatem per viam rectam ad villam, vel ad alium locum quilibet portare poſſit dicta arma, & alia impunè publicè, & palàm: liceat tamen arma portare cuiuſcumque generis ſint, Notario damnorum datorum, & eius Campariis à Commune Arretij deputatis, & ſimiliter officiali extraordinario, vt ſupra, deputato à Ciuitate prædicta, & eius famulis; & qui contrafecerit in aliquo prędictorum caſuum, poſſit contra eum procedi per accuſationem, & denunciationem, & inde cōdemnari in dictis pœnis, ſiue repertus fuerit per familiam, ſiue non; dummodo conſtet curiæ per teſtes fide dignos; quas pœnas, & banna Capitaneus de facto exigat, & Camerario gabellę Arretinæ ſoluere faciat, & teneatur neminem dimittere, & ſi prętermiſerit facere, culpę ſuæ, & negligentiæ aſcribatur.

DE POENA BLASPHEMANTIS DEVM, VEL SANCTOS. XXIIII.

QVONIAM ſanctè ſancitum eſt de pœna blaſphemantis Deum, & ſanctos, ſereniſſimorum conſtitutione; eam decet in futurum omnino ſeruari.

DE POENA LVDENTIS AD AZARDVM. XXV.

OMNES ludentes ad Azardum, vel ad alium ludum taxillorum, præterquam ad aleas, ſcacchos, vel triumphos, ad quos ludatur tantùm in loggis, & ſtratis, & viis publicis, & loggia publica intelligatur locus publicus ſine claudenda de die, & de nocte aperta ſaltem à duabus partibus, & non alibi, condemnētur in decem libris & ſtantes ad videndum in tribus libris pro quolibet. Mutuantes autem ad dictum ludum pecuniam condemnētur in vigintiquinque libris pro quolibet, & non poſſint repetere, quod mutuauerint: & qui dictum ludum ſcienter receptauerit etiam ſtādo pręſens ipſi ludo taxillos, & ſimilia commodando condemnetur in vigintiquinque libris, & hæc locum habeant, quando luderetur de die; de nocte verò ſi luderetur, duplicetur pœna in ſingulis caſibus ſupradictis: Et prædicta locum habeant in Ciuitate, Burgis, ſuburgis, & propè Ciuitatem per vnum miliare: ludentes verò in Comitatu, vel Cortynis in quadraginta ſolidis, receptatores tātumdem; ſtantes autem ad videndum in viginti ſolidis pro quolibet, & qualibet vice in ſingulis caſibus hoc capitulo expreſſis: & ſuper hoc fiant cuſtodes electi, & credatur relationi eorum. Et prædicta omnia banniantur in principio introitus D. Capitanei per Ciuitatem Arretij in locis conſuetis.

DE SODOMITIS. XXVI.

CONTRA tales, & pœna talium procedatur, & fit, prout ſereniſſimorum in lege.

DE POENA ADVLTERII. XXVII.

SI aliqua mulier tenuerit virum alterius, vel cùm aliquo adulterium commiſerit, condemnetur in quinquaginta libris, & mulier dotem amittat, vbicumque, vt ſupra, ſponte adulterium commiſerit; niſi vir poſt commiſſum adulterium ipſam adulteram retinuerit, quo caſu vxor dotem non amittat, quàmuis contra eam de amiſ-

ſione dotis ſententia lata ſit; & ad probandum, quod ſit vxor, ſufficiat publica vox, & fama: In quam eãdem pœnã incidat, qui cõmiſerit adulterium cùm vxore alterius ſine raptu, & ſine violentia, vt ſupra. Et ſi aliquis rapuerit alicuius vxorem, vel mulierem quamlibet aliam volentem ſe rapi, puniatur pœna librarum ducentarũ, & plurium arbitrio D. Capitanei ſecundum qualitatem perſonarum, & grauitatem delicti vſque tamen ad libras quingentas, & non plures: Et ſi raptui non conſentientem rapuerit, pœna capitis puniatur. Et ſi quis intulerit violentiam alicui mulieri eam carnaliter cognoſcendo, pœna capitis plectatur; & ſi eam carnaliter non cognouerit, ſed vim illi ad eam carnaliter cognoſcendam intulerit, puniatur pœna librarum quingentarum, & ab inde infra arbitrio Capitanei inſpecta ſcilicet, & delicti, & perſonarum qualitate quam poſſit, & in corporalem condecenter mutare, prout Iuſtitiæ conuenire ſibi videbitur. Et ſi quis habens vxorem ſuam oppoſuerit in aliqua quæſtione, ſe aliquam vxorem habere, ſi non probauerit infra menſem, condemnetur in libris vigintiquinque Communi Arretij, & in aliis vigintiquinque vxori ſuę: Et idem obſeruetur è contrà, ſi mulier oppoſuerit contra virum. Et ſi quis vno, & eodem tempore duas habuerit vxores cũ eis matrimonio conſũmato, vel non, puniatur pœna librarum quingentarum, & illa maiore, de qua per ſtatuta Ciuitatis Florentiæ, vel cauetur, vel cauebitur: Et de adulterio, vt ſupra, ſtuproq;, vel inceſtu etiam per inquiſitionem ex officio cognoſci poſſit.

DE POENA HOMICIDII. XXVIII.

HOMICIDIVM ſi quis commiſerit, vel fieri fecerit, vel mandauerit, & in fortiam Capitanei Ciuitatis Arretij venerit, caput eidem à ſpatulis amputetur, ita quod moriatur omnino, ſin minus in prædictam fortiam venerit, & contumax fuerit, condemnetur in amputatione capitis, & nihilominus ſemper eius bona ſint con fiſcata, & confiſcata intelligantur legitima filiis ſemper reſeruata; non poſſit tamen pro vno homicidio, niſi duo capitaliter puniri, ſed ſi vnus, vel plures pręſtiterint opem, & auxilium ad homicidium perpetrandum, puniatur quilibet in duobus millibus libris, & ſi non ſoluerint infra menſem à die condemnationis, capite, vt ſupra, puniantur, ita quòd moriantur omnino. Et ſi quis toſſicauerit aliquem, vel aliquod veneficium, ſiue maliam fecerit, vel tentauerit, & mors ſecuta non fuerit, condemnetur in quingentis libris. Et ſi aliqua perſona occiderit aliquem, cui ſuccederet ab inteſtato, vel ex teſtamento, condemnetur perſonaliter, ita quòd moriatur omnino, & in perpetuo bãno ponatur, de quo banno exire non poſſit, & omnia eius bona publicentur, & vt ſupra, publicata intelligantur; & bona ſic occiſi ad dictum occiſorem, vel ſuos deſcendentes modo aliquo peruenire non poſſint, ſed veniant ad alios conſanguineos ſuccedentes ab inteſtato: Et quòd talis homicida, ſi in fortiam Capitanei Arretij venerit quandocumque ſine redemptione aliqua pœna prędicta omnino puniatur.

DE POENA OFFENDENTIS PATREM, VEL MATREM. XXIX.

QVEMLIBET filium patrem, vel matrem offendentem Magnificus D. Capitaneus ad petitionem patris, vel matris capi faciat, & in carcerem mittat, & cuſtodiri faciat, & curet ad voluntatem patris, vel matris ſine tamen alia lęſione, & de offenſione credatur ſacramento ipſorum, & ad eorum petitionem condemnare debeat, & relaxare. Et quòd idem fiat ad petitionem fratris, aui, vel proaui bonę conditionis,

ditionis, & famæ etiam quod non ſit de legitimis fratribus. Declarantes, tale ſtatutum locum habere dumtaxat in leuibus offenſis: in grauibus autem, & magnis delictis tales delinquentes puniri, & contra eos procedi debere ſecundum formam ſtatutorum dictæ Ciuitatis.

DE MALEFICIIS PERSONALIBVS IN CIVITATE, VEL COMITATV COMMISSIS, ET DE SECVRITATE NON DANDA. XXX.

CONTRA quemlibet Ciuem, incolam Arretinę Ciuitatis, Comitatinumquè, vel incolam Cortynarum eiuſdem pro iniuria, percuſſione, vel offenſa citra tamen mortem in perſonam facto, vel verbo per eos illatis in Ciuitate Arretij, cõtra aliquem Comitatinum Capitaneatus, & etiam veteris Comitatus pœnæ à noſtris ſtatutis ordinarę duplicentur, & idem ſeruetur, & fiat contra Comitatinum prædictũ, Ciuem, vel incolam dictæ Ciuitatis, vel Cortynarum, vt ſupra, iniuriantem, percutientem, vel offendentem, & quæ ex forma, ſeu tenore eorumdem veniunt duplicandę duplicentur: ciuis autem intelligatur quilibet, qui habitat in Ciuitate Arretij, & ſoluerit collectas per duodecim annos in dicta Ciuitate, & quilibet ciuis receptus ex priuilegio etiam ſi non ſoluerit per tantum tempus, quilibet Ciuis originarius etiam ſi nõ habitauerit ad præſens in Ciuitate Arretij, niſi ſe abſentauerit à Ciuitate animo alibi morandi. Comitatinus autem intelligatur quilibet oriundus de dictis Cortynis, vel Capitaneatu, & veteri Comitatu, & quilibet, qui habitat, & laborat in dictis Cortynis & Capitaneatu, vel in veteri Comitatu; & ſi aliquis Comitatinus dictarum Cortynarum, Capitaneatus, vel Comitatus, vt ſupra, interfecerit aliquem Ciuem Arretinum, incolam, vel Comitatinum dictarum Cortynarum, vt ſupra, banniatur, & condemnetur, vt, & tanquam rubellis Communis Florentiæ, & eius bona confiſcentur, vt bona rebellium per Capitaneum Ciuitatis, ſeu officiales veteris Comitatus prædicti habentes gladij poteſtatem, & inter eos habeat locum præuentio, & ſecundum ſtatuta Arretij condemnetur, pariq; pœna, & eodem modo, & tanquam rebellis puniatur Ciuis, incola, & Comitatinus Cortynarum, ac Capitaneatus, qui aliquem Comitatinum, vel incolam dicti veteris Comitatus occiderit; poſtinrq;, & debeant pro prædictis pręſtantes auxilium Conſilium, & fauorem puniri, & ſit in arbitrio præfatorum Rectorum, ſi eis videbitur, & delicti qualitas, & enormitas id expoſcat, & plures numero duorum pro vno homicidio tali pœna punire, conſiderata atrocitate delicti, & perſonarum qualitate tàm offenſi, quàm delinquentis, & numero delinquentium. Non poſſit Capitaneus Ciuitatis Arretij, vel Rector, ſeu Officialis Comitatus prædicti alicui bannito, vel condemnato in perſona, vel membris, vel à ducentis libris ſupra, aliquo modo ſecuritatem dare, niſi talis exbannitus, vel condemnatus habuerit pacem ab offenſo, vel offenſis, & de dicta pace conſtiterit per publicum inſtrumentum: & ſi dicti Capitaneus, vel Rectores cõtrafecerint, puniantur in libris quingẽtis pro qualibet vice, qua cõtrafactum fuerit, applicandis Cõmunis Florentię Cameræ, & exigendis per officiales legum Cõmunis præfati, & nihilominus dicta ſecuritas non valeat, nec teneat, & dicto bannito, vel condemnato in aliquo non ſuffragetur, & quilibet officialis, ac Rector poſſit talem bannitum, vel condemnatum capere, & per omnia habeatur ac ſi dicta ſecuritas facta non eſſet, & ſi aliquis dictorum bannitorum non tamen Rebellium, vt ſupra, habuerit pacem ab offenſo, vel offenſis, tunc ſecuratio per dictum Capitaneum, & Rectores veteris Comitatus valeat, & teneat quoad ſecurantem Rectorem, & ſuam

Curiam,

Curiam, & pro tempore ſui officij dumtaxat; quam etiam ſecuritatem poſſint facere dicti Capitaneus, & Rectores, vt ſupra, ſi dicti banniti, & condemnati, non tamen Rebelles, vt ſupra, poſt commiſſum maleficium tempore ſecuritatis prędictæ, per octo dies vltra ſteterint, & habitauerint abſentes à loco maleficij commiſſi, & habitationis ſolitæ offenſi per decem milliaria ad minus ante habitam pacem, aliàs ſi compertum fuerit, quod dicti banniti, ſiue clam, ſiue palam habitauerint, & ſe appropinquauerint non habita pace per dicta decem milliaria dicta aſſecuratio non attendatur, & Capitaneus, & Rector præfati non teneantur dictam ſecuritatem obſeruare; & dicti Capitaneus, & Rectores Ciuitatis, & Comitatus veteris Arretij teneantur, & obligati ſint vinculo iuramenti ſaltem ſemel in menſe mittere eorum familiam per eorum territorium ad inquirendum ſollicitè pro dictis exbannitis, & condemnatis, & conari eos capere, & banna, & condemnationes exequi, prout iuris fuerit. Et ne prædictorum ſupra ſtatutorum, & ordinamentorum Rectores Comitatus prædicti poſſint aliquam ignorantiam allegare, ſtatuerunt, quod Cancellarius cuiuslibet loci, ſeu territorij iuriſdictionē habentis, qui pro tempore fuerit in principio officij cuiuslibet Rectoris Comitatus prędicti infra quindecim dies à die introitus eorum continuè numerandos, debeat præſens ſtatutum de verbo ad verbum vulgari ſermone legere dictis rectoribus ſub pœna quingentarum librarum dicto Cancellario prædicta non ſeruanti auferendarum, & applicandarum Cameræ Communis Florentiæ pro qualibet vice quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus.

DE POENA FORENSIS OFFENDENTIS CIVEM. XXXI.

SI aliquis forenſis offenderet quomodocumque Ciuem, vel Comitatinum Arretinum condemnetur in duplum illius pœnæ, qua condemnaretur Ciuis Arretinus, ſi alium Ciuem Arretinum offendiſſet, & ſi Ciuis, vel Comitatinus offenderet quocumque modo forenſem, condemnetur eadem pęna, qua condemnaretur, ſi alium Arretinum offendiſſet: ſaluo quòd ſi in terra forenſis offenſi imponeretur minor pœna terrigenæ offendenti forenſem, illa minor pœna imponatur Arretino, vel Comitatino, qui talem forenſem offenderet, & non maior. Et in præmiſſis intelligatur forenſis quilibet non exiſtens de Comitatu veteri Arretino.

DE POENA NON SERVANTIS PRAECEPTA DOMINI CAPITANEI. XXXII.

POSSIT D. Capitaneus imponere pœnam ex ſuo officio vſque in libras decem, & Iudex vſque ad centum ſolidos, & non obedientes poſſint vſque ad illas quantitates de facto condemnare ſoluendas generali Camerario gabellę Communis Arretij, & plus attenta qualitate perſonarum, & facti.

DE DEBITORIBVS NON VENIENTIBVS IN PALATIVM. XXXIII.

AD petitionem cuiuſlibet creditoris ex inſtrumento guarantigiæ, vel habente vim guarantigiæ, Iudex Capitanei Arretini teneatur committere Nuncio Communis Arretij, quod vadat, & præcipiat debitori, quòd veniat, ſi fuerit de Ciuitate,

te, infra tertiam diem; ſi de Comitatu, & Cortynis infra quintam diem perſonaliter ad ſtandum detentus in palatio ſub fida cuſtodia; & ſi debitor ſit citatus perſonaliter, vel ad domum, & non comparuerit, condemnetur in decem libris pro qualibet vice, ſi debitum fuerit ab inde ſupra, ſi ab inde infra in centum ſolidis; quorum medietas ſit Communis; & alia creditoris: & prędicta Iudex Capitanei ad petitionem cuiuslibet exequi teneatur, quoties peteretur; ſaluo quod ſi debitor de prædictis habuerit concordiam, & remiſſionem à creditore, & ſit liquidum Iudici ante ſententiam; & tunc non poſſit, vel debeat condemnari, & ſi condemnetur, condemnatio non valeat vllo modo, & tales condemnationes non poſſint, nec debeant exequi, niſi ad petitionem creditoris, & de ipſius licentia, & ad petitionem ipſius debeat cancellari, & ad petitionem debitoris, ſi habuerit concordiam cùm creditore.

DE POENA NON PERMITTENTIS SE PIGNORARI. XXXIIII.

SI quis non permiſerit ſe pignorari, vel res ſuas ſequeſtrari, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum ſolidis, & ſi ſuſtulerit pignus Nuncio, vel famulo, quod accepiſſet exercendo ſuum officium in trecentis ſolidis, & ſi mulier in quadraginta ſolidis.

DE POENA AVFERENTIS ALIQVEM, QVI DVCERETVR AD CVRIAM. XXXV.

QVICVMQVE abſtulerit aliquem, quem Capitaneus haberet in fortiam occaſione alicuius maleficij, vel aliquem, qui duceretur ad curiam per eius familiam, vel aliam gentem, condemnetur in centum libris, & ſoluat bannum, in quo condemnari deberet, vel condemnatus eſſet ille, qui ſic duceretur, & ſimili pœna puniatur quicumque fecerit aliquem fugere, qui eſſet in dicta fortia, vel, vt ſupra, duceretur.

DE POENA OFFENDENTIS OFFICIALES. XXXVI.

SI quis offenderit officiales Communis Arretij, ſiquidem Iudicem, militem, aut Notarium D. Capitanei, vel alium officialem in dictis officiis conſtitutum in Ciuitate, Cortynis, vel Comitatu, puniatur in triplo eius, quàm ſi offendiſſet aliam ſpecialem perſonam: Si quis verò offenderit alios officiales Communis Arretij, vel à Communi Arretij quomodolibet electos, vel deputatos, in duplo condemnetur, dictaq; pœna nullo alio capitulo, vel ordine duplicetur.

DE INCIPIENTIBVS RIXAM. XXXVII.

NON liceat alicui mittere manum pro aliquo genere armorum cauſa offendendi aliquem euaginando, admenando, vel ſignum admenationis faciendo, etiam quòd non percuſſerit, propter quod aliqua magna rixa, vel rumor excitetur: qui verò euaginauerit, admenauerit, vel ſignum admenationis fecerit, ſtatim ipſo facto, vltra alias pœnas in his ſtatutis appoſitas, intelligatur eſſe, & ſit relegatus per ſex menſes extra Ciuitatem Arretij, & plus ſecundum qualitatem perſonarum, ac delicti, & prout D. Capitaneus fuerit arbitratus, & pro dicto tempore, vt ſupra, intelligatur relegatus.

relegatus, ſi in Ciuitate Arretij contrafaciens, vel Ciuis, vel incola dictæ Ciuitatis fuerit: ſi verò Comitatinus, vel incola Cortynarum, vel Capitaneatus talia commiſerit, relegatus, vt ſupra, intelligatur, & habeatur intra Ciuitatem Arretij, & eius mœnia per ſex menſes, ad quę confinia quilibet relegatus, vt ſupra, repręſentare ſe debeat infra quatuor dies à die declarationis, quòd inciderit in dictam pœnam, & inter alios duos dies fidem D. Capitaneo Ciuitatis Arretij de ſua repręſentatione per inſtrumentum fieri facere; Quæ in libro maleficiorum inſeratur per Notarium maleficiorum,& ſub pœna, de qua in calce huius tituli. Et ſi talis primus manum mittens, vel admenans percuſſerit aliquem à ſpatulis ſupra, ſtatim intelligatur eſſe, & ſit relegatus extra Dominium Florentinum per duos annos,& ſi à ſpatulis infra, per vnum annum extra Dominium Florentinum, & ſi vulnus eſſet cùm mutilatione, vel debilitatione alicuius membri ſtatim intelligatur eſſe, & ſit relegatus per quinque annos in caſtro Liburni, & propè illud per vnum miliare: Nec aliquis relegatus, vt ſupra, poſſit ſub aliquo quæſito colore non habita pace rebanniri, & talis rebannitio non intelligatur eſſe, nec ſit facta, quòd poſſit intrare, vel ſtare in Ciuitate Arretij, vel Cortynis eiuſdem; & ſi rebannitus reperiretur in dicta Ciuitate,vel Cortynis,quilibet poſſit illum impunè offendere, & interficere, & de tali offenſione non poſſit condemnari modo aliquo directè, vel indirectè; & ſi ſecus factum ſit, non valeat, aut teneat ipſo iure: habita verò pace etiam poſsit in Ciuitate, vel Cortynis licitè, & impunè ſtare, ſeu permanere: & ne aliquis poſsit allegare ignorantiam, Capitaneus ſtatim habita notitia delicti, ſi fuerit factum in Ciuitate Arretij,teneatur facta per eum declaratione in quolibet caſu per bannum publicare delinquenti,quòd vadat ad confinia exprimendo illa eidem per bannum infra tempus, & tēpora hic declarata ſecundum qualitatem delicti,& infra quantum tempus debeat ire, & vbi, & infra quę tempora teneatur mittere fidem ſuæ repręſentationis: Et ſi delictum fuerit in Cortynis, vel Capitaneatu, teneatur Dominus Capitaneus infra quinque dies per aliquem Nuncium Communis Arretij eidem notificare, vt ſupra. Item ſi quis iuerit cùm armata ad domum alicuius cauſa offendendi, & ſit armata à decem ſupra, vltra pœnam à ſtatuto poſitam, intelligantur eſſe, & ſint tales omnes vigore præſentis ſtatuti confinati extra Dominium Florentinum per decem annos, & ab illis non poſſint abſolui, & ſi abſoluetentur, poſſint impunè occidi; & ſi confinia non ſeruarent, incidant in pœnam capitis, & confiſcationem bonorum; & ſi, vt ſupra, relegati confinia non ſeruarent, intelligantur eſſe, & ſint condemnati, & pro condemnatis ſemper habeantur in infraſcriptis pœnis, videlicet. Si quis manum miſerit pro armis, vt ſupra, & non percuſſerit, incidat in pœnam librarum tercentarum, & ſi percuſſerit à ſpatulis ſupra in pœnam quingentarum,& ſi percuſſerit à ſpatulis infra in pœnam librarum tercentarum,& ſi percuſſerit cùm impeditione, vel debilitatione membri, incidat in pœnam ducatorum centum, & ſi percuſſerit cùm mutilatione membri, incidat in pœnam pedis, aut manus dexteræ. Et hoc ſtatim in introitu cuiuſlibet Domini Capitanei per loca publica, & conſueta Ciuitatis Arretij banniatur.

DE POENA INSVLTANTIS ALIQVEM CVM ARMIS. XXXVIII.

SI quis inſultauerit aliquem cùm armis enudatis non percutiendo, condemnetur in viginti libris Communi Arretij ſoluendis, & ſine armis in centum ſolidis,& ſi ad domum habitationis, vel apothecam etiam conductam inſultauerit, condemnetur

in duplum dictarum pœnarum, & ſi armata manu cùm decem hominibus, vel ab inde ſupra ad domum, vel apothecam, vt ſupra, condemnetur in quadringentis libris, & qui libet ſequacium, & ſociorum in centum libris: Si verò minori numero à decem, vſque ad quinque medietas dictæ pœnæ ſoluatur, & ſi à quinque infra, condemnetur inſultans in centum libris, & omnes de vicinia poſſint ad defenſionem inſultati, vel iniuriati ire, & tales inſultatores, & ſequaces eorum tunc repellere, & offendere ſine pœna; & ſi vno impetu aliquis cùm armis, vel ſine armis inſultauerit plures, quotcumque ſint numero, condemnetur pro vno inſultu tantum; & idem obſeruetur, quando quis vno impetu ſemel admenauerit contra plures cùm armis, vel ſine armis, puniatur pro vna admenatione tantum; & ſi aliquis condemnetur de inſultu, non poſſit condemnari de admenatione, & è contra.

DE POENA PERCVTIENTIS CVM ARMIS. XXXIX.

SI quis percuſſerit aliquem cùm armis ferreis offendibilibus in facie ſine ſanguinis effuſione, condemnetur in centum libris, & ſi in alia parte corporis, & membrum non fregerit, condemnetur in quinquaginta libris: Et ſi percuſſerit aliquem cùm dictis armis cùm ſanguinis effuſione in gula, vel à gula ſupra, condemnetur in ducentis libris pro qualibet percuſſione, & ſi cicatrix apparens eſſet remanſura in facie, condemnetur in quadringentis libris, & ſi à gula infra cum ſanguine, condemnetur in centum libris pro quolibet vulnere, ſaluo quòd ſi vulnus ſit ita factum, quod non egeret medico, condemnetur in dimidia dictarum librarum, & pœnarum: Et ſi aliquod membrum fuerit impeditum, ita, quòd propriam operationem perdat ex percuſſione facta cùm armis cùm ſanguine, vel ſine ſanguine, condemnetur in ſexcentis libris; & quicumque amputauerit digitum manus, vel ipſum magagnauerit, vel debilitauerit, ita, quòd ſuam operationem perdat, vel alicui totam auriculam abſciderit, puniatur in ducentis libris; de digito verò prædicto non debilitato in dimidia dictæ pœnæ. Item ſi aliquis alicui fecerit cadere dentem cùm armis, condemnetur in ducentis libris, & ſine armis in centum libris: & ſi aliquis percuſſerit cùm lapide, baſtone, & his ſimilibus, in omnibus ſupradictis caſibus puniatur in dimidia dictarum pœnarum, ſaluo, quod de fractione, & debilitatione membri, & digiti, & extractione dentis, in quibus caſibus puniatur, vt ſupra, dictum eſt de armis ferreis. Item ſi aliquis contra aliquem vibrauerit, vel admenauerit iniurioſè cultellum, enſem, vel quodlibet aliud genus armorum, vel lapidem, vel ſimile proiecerit, ſi non percuſſerit, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in decem libris; & prędicta pœna non poſſit excedere ſummam quinquaginta librarum in vna rixa. In omnibus autem caſibus ſupradictis dictæ pœnæ minorari, & mitigari poſſint ſecundum qualitatem facti, & conditionem perſonarum, ſaluo quòd pro aliquibus vulneribus factis in quacumque quantitate non poſſit condemnatio excedere pœnam bis mille librarum: Et ſi aliquis caſus acciderit de aliqua offenſione facta, vbi non inueniretur pœna determinata per aliquod ſtatutũ, procedatur de ſimilibus ad ſimilia. Liceat tamen Domino, & eius familię verberare ſeruum, & famulum ſine tamen magna effuſione ſanguinis.

DE POENA PERCVTIENTIS SINE ARMIS. XXXX.

SI quis percuſſerit aliquem ſine armis cùm manu in facie ſine ſanguine, condemnetur in quinquaginta libris, & ſi cùm ſanguine in ſeptuaginta quinque libris,

& minus

& minus ad arbitrium Capitanei ſecundum qualitatem delicti, & conditionem perſonarum, & ſi in aliqua alia parte corporis percuſſerit in viginti libris, & ſi cùm ſanguine in triginta libris, & ſi percuſſerit cum calce, puniatur eiſdem pœnis, ac ſi percuſsiſſet cùm manu; & ſi aliquis ceperit aliquem per capillos in vigintiquinque libris condemnetur; & ſi capiendo aliquem per capillos eum cadere fecerit in terram, puniatur in quinquaginta libris, & ſi capiendo aliquem per capillos ſtraſginauerit in ſeptuaginta libris: & ſi aliquis aliquem iniurioſè ceperit per pannos, in decem libris condemnetur, & ſi ex tali captura eum fecerit cadere in terram, in viginti libris debeat condemnari; & ſi in tali captura, & caſu, eum per pannos ſtraſginauerit, in triginta libris condemnetur; & ſi aliquis aliquem pataſſauerit iniurioſè, condemnetur in decem libris, & ſi ex pataſſa eum in terram cadere fecerit, in viginti libris condemnetur; & ſi ex caſu in terram fieret effuſio ſanguinis, condemnetur offendens vſque in quadraginta libras ad arbitrium Capitanei inſpecta rei qualitate, & conditione perſonarum, & ſi aliquis iniurioſè expuerit, vel aliquid turpe proiecerit in faciem alicuius, condemnetur in quinquaginta libris, & ſi in alia parte corporis, in decem libris. Et quicumque aliquem momorderit, & ſanguis non exierit, condemnetur in viginti libris, & ſi exierit, in ſeptuagintaquinque libris, dummodo in omnibus, & ſupraſcriptis caſibus vno impetu, & vna rixa commiſſis condemnatio non poſſit excedere ſummam centum librarum ſalua pœna dupla, ſi prædictá committerentur locò, vel tempòre, vel contra perſonam, quòd pœna prædicta deberet duplicari: Eleuans verò biretum, vel ſimile de capite iniurioſè, in centum ſolidis: Liceat tantum pueros minores quindecim annis caſtigationis cauſa per capillos capere, & etiam aliter percutere moderate ſine pœna. Poſſit tamẽ Dominus Capitaneus in omnibus, & ſingulis caſibus ſupradictis dictas pœnas minorare, & mitigare, vel augere vſque ad dimidiam inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum. Paſtoribus minoribus decem & octo annis ſimplicibus, & miſerabilibus perſonis, vſque ad tres partes dictarum pœnarum minorare poſſit inſpecta ſimplicitet qualitate facti, & conditione perſonarum.

DE POENA OFFENDENTIS ALIQVEM IN RVMORE IGNIS. XXXXI.

SI qnis offenderet aliquem rumore durante, qui eſſet occaſione alicuius ignis exorti, vel incenſi ſtantem ad domum ſuę habitationis, vel euntem, ſeu redeuntem à loco dicti ignis, condemnetur in ære, & in perſona ad arbitrium Capitanei inſpecta qualitate offenſæ, & conditione perſonarum: Et ſi quis extraxerit, vel derobbauerit de domo accenſa, vel de vicinis domibus aliquid, & inde ad duos dies non reſtituerit, condemnetur in vigintiquinque libris, & reſtituat res ablatas. Et teneantur Domini Priores, & Collegæ quolibet ſemeſtre eligere ſex bonos, & legales homines pro quolibet quarterio, & eligantur de menſibus Februarij, & Auguſti, & incipiant officium in Kal. Martij, & Septembris, qui debeant eſſe attenti, & ſolliciti, ſi rumor ignis de nocte, vel de die inſurgeret, qui ire, & ſtare debeant ad locum, vbi ignis eſſet accenſus, & ſtare circa domum accenſam in angulis viarum, & retineant omnes derobbantes, & res, quas aſportarent; & quilibet dictorum electorum teneatur prædicta facere ſub pœna centum ſolidorum: Et ſi contigerit aliquam domum deſtrui ob cauſam ignis accenſi per vicinos, vel alios, ne ignis latius euagetur in vicinorum damnum, talis domus debeat emendari de pecunia Communis Arretij, & ad æſtimationem dicti damni eligantur duo boni, & legales homines per Magnificos Dominos Priores Populi,

& ſecundum eorum æſtimationem fiat damni emendatio, quam Capitaneus debeat infra menſem executioni mandare: & idem ſeruetur in aliis domibus conuicinis, ſi dicta de cauſa contigerit deuaſtari: Et dicto caſu, quo ignis eſſet accenſus, vt ſupra, teneantur Muratores, Carpentarij, & Magiſtri lapidum ire ad locum cùm ſecuribus, & aliis inſtrumentis actis pro viribus reparare, quando pulſantur vicinę campanę ad ignem ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice.

DE POENA PROIICIENTIS LAPIDES. XXXXII.

NVLLVS proiiciat lapides in Ciuitate Arretij, pallo ctet, ſagittet, vel baliſtret, vel pallo cterium tenſum portet per Ciuitatem ſub pœna quadraginta ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet poſſit accuſare, & habeat dimidiam partem banni, & Capitaneus, vel Notarius extraordinarius poſſit inquirere, & locum habeat præuentio, & nullus poſſit per Ciuitatem ipſam proiicere rullas, & formas caſei ſub pœna librarum quinque; liceat tamen propè mœnia Ciuitatis proiicere dictas rullas, & formas impunè.

DE VERBIS INIVRIOSIS. XXXXIII.

SI quis dixerit alicui Tu mentiris, ſeu aliquod aliud verbum iniurioſum, condemnetur in libris decem, & plus arbitrio Capitanei, vſque in vigintiquinque libris inſpecta conditione perſonarum, & qualitate verborum, & loci. Et ſi verba iniurioſa dixerit in Conſilio, vel Collegio, vel in aliqua alia coadunantia publica, & maximè pro aliquo officio exercendo, in libris centum condemnetur.

DE POENA IMPROPERANTIS INIVRIAM. XXXXIIII.

SI quis improperauerit alicui iniuriam, vel offenſam ſibi factam, vel aſcendentibus, vel deſcendentibus vſque in tertium gradum, vel tranſuerſalibus, ſeu collateralibus ipſius iniuriati, vel offenſi vſque in ſecundum gradum incluſiuè computando gradus ſecundum ius canonicum, vel improperauerit iniuriam, ſiue offenſam factam vxori, nurui, & è contrà, de qua iniuria, ſiue offenſa non fuerit facta pax, condemnetur talis improperans in quinquaginta libris, & ſi fuerit facta pax, condemnetur in centum libris, & minus vtroq; caſu inſpecta qualitate factę iniuriæ, & conditione perſonarum; quarum condemnationum medietas ſit Communis Arretij, & alia illius, cui improperata eſt iniuria, vel offenſa: Et ad probandum improperatam fuiſſe iniuriam, ſufficiat probatio publicæ famæ; & idem obſeruetur, & fiat de omni improperatione facta, vt ſupra, occaſione alicuius condemnationis factæ, per quam imponeretur pœna corporalis, vel de furto, vel de falſitate, vel adulterio, ſtupro, vel inceſtu.

DE OFFENSIS AMOVENDIS. XXXXV.

DOMINVS Capitaneus poſſit, teneatur, & debeat, quamprimùm intellexerit aliquam rixam eſſe factã in Ciuitate Arretij, aut in Cortynis, vel Capitaneatu eiuſdẽ

interdicere rixantibus, & coniunctis, ne ſe offendant, vel offendi faciant per tantum tempus, & ſub pœna, quæ ſibi videbitur, & ſufficiat tale interdictum dictis rixantibus, & coniunctis intimare per publicum præconem Communis Arretij, & in vicinia rixantium; & quę pœna à non obſeruante de facto exigatur, & ſoluatur pro tertia ipſi Domino Capitaneo exigenti, pro alia tertia Communi Arretij, & pro alia tertia parti læſæ, & obſeruanti, & ac ſi expreſsè dicti rixantes ita conueniſſent, & ita intelligatur, & conuentum eſſe præſumatur, obſeruetur, & attendatur.

DE POENA DEROBBANTIS. XXXXVI.

SI quis aliquem derobbauerit aggrediendo cùm armis, furcis ſuſpendatur, ita quòd moriatur: ſi verò ſine armis alicui aliquam pecuniam, vel rem valentem à vigintiquinque libris infra derobbauerit, vel furto ſubtraxerit, puniatur in ducentis libris, & ſi à vigintiquinque libris ſupra, in quingentis libris, & res ablatas, vel æſtimationem earum reddat, & ſi ſæpius hoc fecerit, furcis ſuſpendatur; & in quolibet dictorum caſuum; ſi pecuniariam condemnationem non ſoluerit infra decem dies à die condemnationis, puniatur in perſona ad arbitrium Capitanei.

DE POENA FVRTI. XXXXVII.

PVBLICI, & famoſi latrones furcis ſuſpendantur, ita quòd moriantur: ſi verò quis furatus fuerit pecuniam, vel rem valentem centum ſolidis, & ab inde infra puniatur in vigintiquinque libris, & ſi à centum ſolidis ſupra, vſque ad vigintiquinque libras incluſiuè, condemnetur in trecentis libris: Et ſi à centum libris ſupra, condemnetur in mille libris, & ſemper rem furatam, vel æſtimationem reſtituat; & ſi dictas pœnas trecentarum librarum, vel mille non ſoluerit infra decem dies à die condemnationis, amputetur ſibi manus, vel pes, vel fuſtigetur ad arbitrium Capitanei, & ſi ſępius hoc fecerit, furcis ſuſpendatur, & Capitaneus habeat arbitrium ſuper furtis condemnando in eorum habere, & perſona ſecundum qualitatem delicti, & conditionem perſonarum: & quicumque fecerit furtum, vel robbariam extra Capitaneatum Arretij, vndecumque ſit, & ſe receptauerit in Ciuitate, vel Capitaneatu prædicto, vel quomodocumque ibi contractauerit rem furto ablatam, vel derobbatam, puniatur, ac ſi furtum feciſſet in Ciuitate Arretij nulla lege, vel iure obſtante. Et receptatores ſcienter in prædictis ſingulis caſibus eiſdem pœnis per omnia puniantur.

DE NON ASSIGNANTIBVS RES PERDITAS. XXXXVIII.

QVILIBET, ad quem peruenerit res perdita, vel ſmarrita, vt puer, vel beſtia, vel aliquod perditum à ſumma librarum duarum ſupra, teneatur, & debeat illum, vel illam aſſignare eo die, vel ſequenti coram Capitaneo, vel Conſulibus Mercatorum, vel Maſſario Ciuitatis Arretij ſub pœna decem librarum, & plus, & minus ſecundum qualitatem, & conditionem perſonarum.

DE VENDENTIBVS ARGENTVM, SINE DE CERTA LIGA. XXXXIX.

NVLLVS argentum de nouo laboratum poſſit tenere ad vendendum, quod non ſit de ligis decem, & nullus poſſit vendere de minori liga, quàm ſupradictum eſt; & qui contrafecerit, puniatur banno decem librarum. Item nullus poſſit ire per Ciuitatem Arretij cauſa vendendi, vel emendi argentum fractum, fregia, vel perlas gridando ariento rotto, neque in domo, vel in ſtrata à mulieribus, ſaluo quàm à Mercatoribus, Artificibus, & aliis quibuſcumque viris; & qui contrafecerit, puniatur in centum ſolidis.

DE POENA FALSI. L.

SI quis in criminali iudicio fecerit falſam teſtificationem, condemnetur pœna, qua puniretur is, contra quē, ſeu pro quo falsò teſtificatus eſt: In ciuili verò ſi cauſa, in qua teſtificatus fuerit, eſſet centum librarum, & ab inde infra, condemnetur in quinquaginta libris, & ſi à centum libris ſupra, vſque ad mille, condemnetur in centum libris, & ſi eſſet mille librarum, vel ab inde ſupra, condemnetur in ducentis libris, & ſi pecuniaria ſit, & cōdemnationem infra decem dies non ſoluerit, lingua ei apunctetur. Item ſi quis fecerit, vel fieri fecerit falſum inſtrumentum, condemnetur in mille libris, & plus arbitrio Capitanei inſpecta qualitate delicti, & perſonarum, quas ſi non ſoluerit infra decem dies prædictos, amputetur ſibi manus dextera, ita quòd à brachio ſeparetur. De vſu verò falſi inſtrumenti, atteſtationum, vel atteſtationis condemnetur vſus ſcienter in dimidia dictarum pœnarum ſecundum diſtinctionem ſuperius habitam, & ſi non ſoluerit infra decem dies, vt ſupra, amputetur ſibi manus, & ſi dicto caſu ſcientiæ abſtinere ab vſu non velit, eadem pœna puniatur, qua teſtis falſus, de qua punitur, qui ſcienter induxerit falſum teſtem. In aliis verò falſitatibus, quæ determinatæ non ſunt, cum multæ ſint ſpecies falſitatis, procedatur de ſimilibus ad ſimilia, & vbi ſimilitudo non eſſet, ſecundum iura canonica. Et ſi aliquis inſtituerit falſam accuſationem, vel denunciationem, vel promouerit inquiſitionem, ad pœnam talionis omnino condemnetur, ſemper intellecto, quòd Capitaneus habeat arbitrium in non determinatis falſitatibus etiam in condemnando ſecundum qualitatem delicti, & conditionem perſonarum, vbi pœna per hæc noſtra ſtatuta determinata non eſſet.

DE POENA ACCVSANTIS, VEL DICENTIS FALSVM INSTRVMENTVM, VEL TESTEM. LI.

SI quis dixerit aliquem teſtem, vel inſtrumentum falſum etiam coram arbitro, & arbitratore accuſando, vel denunciando, vel excipiendo, debeat fideiuſſorem omnino preſtare, & ſi non probauerit propoſitam falſitatem infra decem dies à die exceptionis, accuſationis, vel denunciationis propoſitæ numerandos, in centum libris abſque alia ſolemnitate pro quolibet teſte, & pro quolibet inſtrumento condemnetur.

DE POENA OFFENDENTIS ALIQVEM VIVENTE PRIMO OFFENSORE. LII.

VIVENTE primo offenſore, ſi offenſus ab eo, vel alius de domo ſua offenderet alium de domo prioris offenſoris, vel ſuum conſortem ex linea paterna, vel materna, puniatur in quadruplum ipſius pœnę, qua puniri deberet, ſi alium extraneum offendiſſet, niſi ex noua cauſa offendat, quo caſu puniatur pœna ordinata per ſtatuta, & pro modo delicti; mors tamen talis offenſoris poſſit per duos teſtes de fama probari: Et ſi quis mortuo primo offenſore offenderet aliquem conſanguineum, qui non fuiſſet proximior in gradu primi dicti offenſoris, puniatur in duplum eius pœnæ, qua puniretur aliquis offendens alium: Et ſi prædictum maleficium alibi committi cõtingeret, quàm in Ciuitate, vel loco, in quo iuriſdictio Capitanei non extenderetur, etiam ſi ibi cognitum ſit, per D. Capitaneum cognoſci debere volumus in eo plus, quod per præſens ſtatutum determinatetur.

DE POENA INTRANTIS, VEL FRANGENTIS DOMVM ALTERIVS ETIAM QVOD SIT NVNCIVS. LIII.

SI quis etiam Nuncius ingreſſus fuerit domum alterius, vel tectum aſcenderit iniurioſè, condemnetur in vigintiquinque libris, & ſi fregerit, vel alleuauerit oſtia domus, murum, tectum, vel aliter damnificauerit domum, vel res, quæ ſunt in domo, condemnetur quilibet in centum libris, & damnum emendet. Et ſi quis intrauerit violenter in domum alterius adulterij, vel libidinis, vel alicuius maleficij committendi cauſa, puniri debeat vſque in libras ducentas incluſiuè, & ad arbitrium Domini Capitanei qualitate delicti, & conditione perſonarum penſata.

DE INTRANTIBVS AD HABITANDVM DOMOS ALTERIVS. LIIII.

NVLLVS poſſit de aliquibus ſuis domibus, vel quas pro ſuis tenet, & poſſidet inuitus trahi, & alicui officiali Arretij, vel ſtipendiarijs inuitus concedere compelli, & intrantes ad habitandum de voluntate, vt ſupra, teneantur dictas domos benè, & diligenter cuſtodire, & non deſtruere lignamina, vel aſſeres non auferre ſub pœna centum librarum cuilibet contrafacienti, & cuilibet liceat accuſare, vel denunciare Capitaneo; qui teneatur de prædictis tales conquerentes audire, & eis Iuſtitiam ſummariam exhibere; & qui hactenus intrauerit dictas domos ad habitãdum, vel eis etiam conceſſę fuerint de mandato D.P. debeant ſoluere, ſeu ſolui facere dictis, quorum domus eſſent, penſionem congruam, ac decentem, & quòd fiat declaratio penſionis præteritę, vel futurę; & Camerarius de ſalario talis officialis, vel Rectoris penſionem, quæ ſolui deberet, retinere debeat, & tali recipere debenti ſoluere poſſit, teneatur, & debeat; & ſi commune Arretij dictam penſionem ſoluere teneretur, poſſit eam ſoluere ad apotiſſam D.P. prius penſione congrua declarata ſub dicta pœna; & prædicta locum non habeant in domibus conceſſis, vel quæ concederentur occaſione cuſtodię Ciuitatis, in quibus primò, & ante omnia debeat taxari congrua penſio, & taxata ſolui per Camerarium Communis Arretij ad apotiſſam D.P. vel officialium cuſtodiæ.

DE

DE POENA MITTENTIS IGNEM. LV.

SI quis ſcienter, doloſè, & appenſatè immiſerit ignem in aliquam domum, vel capannam, quæ habitaretur tempore immiſſi ignis, ignè comburatur, ita quod moriatur omnino, & bona ſua deueniant in Commune Arretij, & primò damna reficiantur illi, quem ignis damnificauerit, & reſiduum ſit Communis, filiis legitima ſemper reſeruata. Si verò ignem immiſerit in aliquam domum, vel capannam non habitatam, vel in metam grani, ſeu alterius bladi, vel leguminis, in metam palearum, vel fœni, condemnetur in quingentis libris, vt ſupra, applicandis, & damnum emendet integrè patienti: Et ſi in ſyluas, vineas, arbores, vel alias quaſcumque res alterius ſupra nominatas ignem appenſatè, & doloſè immiſerit, condemnetur in centum libris, vt ſupra, & damnum patienti debeat emendare, ſemper hoc intellecto, quòd ſi delinquens in aliquo de prædictis, in quibus non eſt pœna corporalis appoſita, condemnationem non ſoluerit infra decē dies eidem manus à brachio amputetur. Si quis verò non doloſè ignē immiſerit in domū, capannam, vel in ſyluas, ſepes, macchias, vel ſtipulas, & de ipſo ignè alicui damnum euenerit, condemnetur in decem libris, & damnum emendet integrè patienti, & ſuper æſtimatione ipſius damni ſtetur iuramento patientis ſine aliqua probatione vſque ad centum ſolidos; ab inde verò ſupra damnum debeat emendari, vel æſtimari, prout iura volunt.

DE INVADENTIBVS POSSESSIONES ALTERIVS. LVI.

SI quis temerariè, ac de propria voluntate, & auctoritate inuaſerit, vel occupauerit poſſeſſionem rei immobilis alterius in Ciuitate, vel Cortynis, & Capitaneatu Arretij, condemnetur in centum libris, & poſſeſſionem reſtituat primo poſſeſſori, & fructus, quos perceperit, vel percipere potuerit, & Capitaneus arbitrium habeat procedendi in prædictis omni meliori modo, & via, quibus melius potuerit, & ſibi viſum fuerit, & de quantitate, & valore fructuum perceptorum credatur ſacramento ſpoliati cùm duobus teſtibus, & de publica fama.

DE POENA EXTRAHENTIS TERMINOS. LVII.

SI quis aliquem terminum, vel terminos amouerit, vel inter ſe, & vicinum ſine eius licentia immiſerit, condemnetur in quinquaginta libris pro qualibet vice, & plus arbitrio Capitanei ſecundum conditionem perſonarum, & qualitatem delicti, & amotos terminos nihilominus, prout erant, reponat, & immiſſos tollat. Et qui muros, foſſata, ſepes, vel greppos alterius ſubmerſerit, vel foueas communes ſine vicino, vel eo irrequiſito mundauerit pœna vigintiquinque librarum puniatur, & nihilominus occupata reſtituat, & damnum emendet, totamq́; foueam conuicino per terminum trium annorum mundare permittat.

DE OCCVPANTIBVS VIAS, VEL SEMITAS. LVIII.

NVLLVS debeat fodere, vel fodi facere in viis publicis, quæ ſint iuxta muros noſtræ Ciuitatis intus, & extra pœna decem librarum pro quolibet, & qualibet vice,

vice, qua contrafactum fuerit per viarios, vel officialem extraordinarium auferenda à cõtrafaciente, & pro medietate Communi Arretij,& pro vna quarta parte Capitaneo exigenti, & pro alia quarta parte viariis, vel extraordinario applicata,& habeat locum inter eos præuentio, & quæ dicantur extra muros dictorum viariorum, vel extraordinarij iudicio, & declarationi ſtetur, nullusq; ſub dicta pœna, vt ſupra, applicata occupet viam publicam, vel ſemitam alterius, ſi ita probatum fuerit, viamq;, vel ſemitam in priſtinum ſtatum reducat.

DE POENA CONTRADICENTIS ALICVI NE LABORET TERRAM ALTERIVS. LIX.

QVICVMQVE interdixerit alicui, vt non laboret terras, vel poſſeſſiones alterius, quas haberet, vel poſſideret, condemnetur talis in quinquaginta libris,& plus arbitrio Capitanei attenta qualitate facti, & perſonarum Communi Arretij ſoluendis, ſi propter talem contradictionem non inueniretur, qui talem terram, vel poſſeſſionem laborare vellet, teneatur Capitaneus, vel eius Iudex ad petitionem talis mittere pro Syndico loci, vel quocumque alio, prout ſibi videbitur,& placebit, cui pręcipiat, quòd ipſam poſſeſſionem benè laboret, & colat, & partẽ fructuum domino tali reddat ſecundum qualitatem poſſeſſionis,& vſum contratæ; quod ſi non fecerit, condemnetur in vigintiquinque libris, & damnum reficiat domino terræ, vel poſſeſſionis ad ipſius ſacramentum, ſicut videbitur Capitaneo, vel Iudici; & ſi eſſent pauci homines ipſius vniuerſitatis, vel loci, quod non ſufficerent ad laborandum poſſeſſionem taliter interdictam, faciat eas laborare à proximioribus conuicinis, vt ſupra.

DE NEGANTIBVS ALIQVEM ESSE NOTARIVM, FILIATIONEM, MATRIMONIVM, VEL MORTEM ALICVIVS, VEL ALIQVEM FVISSE OFFICIALEM. LX.

SI quis in iudicio negauerit aliquem eſſe Notarium, vel dixerit non credere, vel aliquem eſſe filium alterius, vel dixerit credere eſſe filium naturalem alterius, non tamen legitimum, vel quoquo modo ęquipollentia verba dixerit, vel mortem alicuius, vel matrimonium, vt ſupra, negauerit,& poſtea quod negatum fuerit, vt dictum eſt, probatum fuerit, puniatur talis negans pro qualibet vice in decem libris; dummodo Notarius, de quo quęſitum fuerit de Ciuitate, vel Capitaneatu Arretij fuerit. Item ſi quis dixerit in iudicio, vel oppoſuerit, vel exceperit aliquem non fuiſſe Iudicem cauſæ, qui publicè ad bancum ſederit, vbi per anteceſſorem Iudicem dicti banci talis cauſa cognoſci poterit, in decem libris per dictum Capitaneum debeat condemnari, & idem per omnia in aliis officialibus debeat obſeruari.

DE PETENTIBVS DEBITVM SOLVTVM. LXI.

SI quis petierit quoquo modo debitum ſolutum ſibi, vel alij pro eo ſcienter, vel alij iura ceſſerit de debito iam ſibi ſoluto, vel aliter ſatisfacto, condemnetur in tantam quantitatem, quantum fuerit petitum debitum, & ei, à quo petitum fuerit debitum, in tantumdem,& Capitaneus teneatur fieri facere inſtrumentum quietationis de debito iam ſoluto,& hæres creditoris, vel pupillus cùm auctoritate tutorum, vel

tutor pro pupillo, vel curator pro adulto, qui petierit debitum perſiſtendo in petitione poſt exceptionem oppoſitam ſolutionis, condemnetur talis hęres, tutor, vel adultus, vel curator, ſi petierit ſine adulto in dimidia debiti ei, à quo petierit, & Communi Arretij in tantumdem. Et ſi aliquis debitor, qui legitimè contraxerit debitum, negauerit contrarium eſſe, vel dixerit non credere, condemnetur in duplum negati debiti pro dimidia Communi Arretij, & pro alia dimidia creditori: item ſtatutum eſt, quòd ſi aliquis petierit debitum ſolutum, vel ſatisfactum à debitore ſui debitoris, & tali petenti fuerit denunciatum, ſeu proteſtatum ipſum debitum eſſe ſolutum, ſiue ſatisfactum, & non deſtiterit ab ipſa petitione, condemnetur de petitione ipſius debiti ſoluti, vel ſatisfacti, ſicut condemnari deberet principalis creditor, ſi ipſum debitum petiſſet: & prædictum ſtatutum extendatur, & etiam locum habeat in iudiciis, & in his, quæ fierent coram arbitris, ſeu arbitratoribus, ſeu amicabilibus compoſitoribus.

DE TVTORIBVS MARITANTIBVS PVPILLAS ABSQVE LICENTIA PROXIMORVM. LXII.

NVLLVS tutor alicuius pupillæ, vel curator alicuius puellæ minoris vigintiquinque annis, quam haberet in ſua cuſtodia, debeat maritare ſine licentia proximorum ipſius pupillę, vel puellę ſub pœna centum librarum, & idem intelligatur in quolibet, qui haberet puellam in cuſtodiam ſui, ſi ipſam maritauerit ſine licentia proximorum: & eadem pœna puniatur, qui contraxerit matrimonium cùm minori vigintiquinque annis ſine licentia proximorum ipſius, & intelligatur de illis propinquis, qui debitè vocari debeant ad ipſum matrimonium contrahendum, prout ſunt fratres, patrui, fratres patrueles ex linea paterna, quibus deficientibus requirantur ſimiles ex linea materna, & nullus contrahat matrimonium cùm minori vigintiquinque annis ſine licentia patris, ſi patrem habet, & ſi non habet cùm licentia matris, fratris, vel fratrum vtrinque coniunctorum ex linea paterna: vterinum autem non teneatur requirere exiſtente matre, quæ præferatur vterino fratri, non tamen patruo matris; & ſi nullum ex prædictis haberet, cùm licentia propinquorum, vt dictum eſt; & qui contrafecerit ſimili pœna puniatur.

DE POENA FACIENTIS DOVANAM. LXIII.

NVLLVS cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis exiſtens audeat, vel prӕſumat facere monopolium, ſeu douanam, vt carius aliquæ res opere, vel artificio vendantur pœna vigintiquinque libratum pro quolibet, & qualibet vice contrafaciente actualiter exigenda, & licitum ſit cuilibet magiſtro, artifici, ſeu operario facere artem ſuam liberè, & expeditè ſine aliqua tamen fraude, vel malitia, non obſtante aliquo pacto, vel prouiſione, vel conuentione facta inter Homines alicuius artis, vel magiſterij, & quilibet contrafacientem poſſit accuſare, vel denunciare, & teneatur ei credentia: & D. Capitaneus de prædictis poſſit omni modo inquirere: & Notarius extraordinarius Communis Arretij teneatur diligenter inquirere contra omnes artifices douanam, vel monopolium facientes, & condemnare in dicta pœna, & etiam contra exigentes de eorum artibus, & miniſteriis vltra modum diſpoſitum, vel ordinatum, & eos, & quemlibet eorum punire, & condemnare vſque ad decem libras inſpecta qualitate criminis & perſonæ.

DE POENA EMENTIVM VICTVARIA. LXIIII.

NVLLVS Pizzecarolus, vel pizzicarola, ſiue treccolus, vel aliqua alia perſona emat, vel emi faciat die fori in Ciuitate, vel extra infra tria milliaria cauſa reuendendi ante veſperas hædos, cappones, pullos, pipiones, ſtarnas, faſianos, vel aliquas alias aues, oua, caſeum, vel aliqua alia ſimilia, & nullus debeat dicere, & dici facere, quòd teneat dictas res pro ſe vſque ad veſperas, & quòd dabit ſibi precium, quod voluerit: & qui contra prædicta fecerit, vel aliquod prædictorum, condemnetur in quadraginta ſolidis pro qualibet vice. Item nullus venditor aliquid de prædictis, vel de ſimilibus debeat prædictis perſonis prohibitis ſcienter vendere ante veſperas ad pœnam viginti ſolidorum pro qualiber vice, & præſumatur ſcire, ſi ad domũ, vel apothecam treccoli apportauerit, & vendiderit, & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & credatur eius iuramento cùm vno teſte, & teneatur ei credentia, & habeat dimidiam partem banni, & teneatur officialis extraordinarius, & officiales graſciæ, vel Notarius Capitanei ad prædicta deputati facere fieri cuſtodes celatos ſuper prædictis infra dicendis in qualibet porta, quibus credatur vſque ad viginti ſolidos ſine teſtibus, & teneatur eis credentia, & habeant dimidiam partem banni. Item teneantur officiales ad prædicta deputati ab accuſato, denunciato, vel inquiſito facere fieri depoſitum banni pœnes Camerarium gabellę Communis Arretij; & ſuper prædictis teneantur ad prædicta deputati die primo menſis ſui regiminis facere fieri cuſtodes celatos, vt ſupra dictum eſt; & prædicta non vendantur, quando venditur cura plateæ, vel aliqua alia Communis Arretij, ſed ſemper intelligantur excepta. Item nullus treccolus, vel treccola, qui emit, vel vendit huiuſmodi res, debeat exire Ciuitatem diebus fori vſque ad veſperas, & ſi fuerint inuenti, habeantur pro confeſſis emiſſe prędicta, quę vetita ſunt. Item nullus poſſit emere piſces crudos cauſa ſic reuendendi, nec aliquis ei vendere tàm in Ciuitate Arretij, quàm extra per vnum miliare, nec in platea Communis Arretij, ſub pœna centum ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice auferenda, & ſuper prædictis, & quolibet prædictorum officiales ad prædicta deputati poſſint inquirere, & punire: Et prædicta de menſe Ianuarij, & quatuor vicibus in anno per Ciuitatem publicè banniantur; & quòd treccolæ ementes poma contra prædictam formam, puniantur pro qualibet vice in decem ſolidis, & non vltra, & quilibet poſſit accuſare. Item quicumque portauerit ad Ciuitatem Arretij ſupradictas res commedibiles ad vendendum, portent palam, & publicè per Ciuitatem, & propè per vnum miliare pœna viginti ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & habeat dimidiam partem banni: officiales autem, qui de prædictis inquirere poſſunt, ſunt Capitaneus, & eius Notarius, officiales graſciæ, & officialis extraordinarius Communis Arretij, in quibus locum habeat præuentio.

DE ARTIFICIBVS DENEGANTIBVS VENDERE. LXV.

QVILIBET artifex, cuiuſcumque gradus exiſtat, in Ciuitate, vel Cortynis Arretij exercens aliquã artem teneatur, & debeat ſeruare in omnibus, & per omnia impoſitiones, de quibuſcumque rebus factas per officiales graſciæ Ciuitatis prædictę, vel quemlibet auctoritatem habentem, & cuilibet petenti vendere pro precio impoſito, & ſi negauerit talem rem, quam haberet, vendere, vel ſi negaret

habere, & illam habeтet, in quolibet caſu incidat in pœnam librarum decem pro quolibet,& qualiber vice applicanda pro quarta Rectori exigenti; pro alia quarta officialibus graſciæ, & locum habeat præuentio, & pro alia quarta accuſatori, vel inuentori; & alia quarta Communi Arretij: Et D.Capitaneus, & eius Notarius maleficiorum teneatur ad petitionem officialium prędictorum, vel Notarij extraordinarij quærere per apothecas, vel domos ipſorum de re, quam aliquis dixerit non habere, & ipſi officiales etiam quærere poſſint, & ſi inuenta fuerit eſſe tempore denegationis apud denegantem, ipſe talis denegans ſtatim intelligatur,& ſit priuatus ipſo facto à tali exercitio per vnum annum; & quòd illud nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam exercere poſſit ſub pęna librarum ducentarum, vt ſupra, applicata,& nihilominus vltra prædictam priuationem ab exercitio condemnari debeat in quinquaginta libris pro quolibet, & qualibet vice applicanda, vt ſupra.

DE ARTIFICIBVS FRAVDEM COMMITTENTIBVS, VEL DOLVM IN EORVM ARTE. LXVI.

NVLLVS Artifex, cuiuſcumque gradus,aut conditionis exiſtat,audeat,vel pręſumat committere aliquem dolum in arte ſua,vel in quolibet capitulo ſuæ artis, ſed ipſas artes debeat exercere bene,& legaliter more boni artificis ſub pœna vigintiquinque librarum, vbi alia pęna non foret per hæc ſtatuta expreſſa.

DE POENA NON HABENTIS MENSVRAS ADAEQVATAS. LXVII.

NE quis pondere, vel menſura defraudetur, debeant tàm ementes, quàm vendentes habere iuſta pondera, vel menſuras ſigno à Magiſtris Doganæ Ciuitatis Arretij ordinato ſignata, & cùm illis ponderare,& mēſurare ſine aliqua fraude,& non cùm aliis vllo modo,& qui contrafecerit, pro quolibet, & qualibet vice puniatur pœnis inferius declaratis: Et primo: Si aliquis haberet ad vſum ponderis, vel ponderaret cùm marchio bilancis, vel quolibet alio pondere non iuſto, condemnetur in decem libris, & ſi dicta pondera eſſent iuſta non tamen ſignata, condemnetur in ſexaginta ſolidis. Item quicumque haberet cannam, vel aliud genus menſuræ, & non eſſet iuſtum, condemnetur in centum ſolidis pro qualibet vice, & ſi eſſet iuſtum non tamen ſignatum, in ſexaginta ſolidis condemnetur,& ſic de aliis menſuris: Starium autem, quo menſuratur, ſi non fuerit iuſtum, condemnetur quilibet, vt ſupra, in vigintiquinque libris, pro dimidio autem, vel quarto, vel coppa in dimidia pœnæ pro quolibet,& qualibet vice,vt ſupra. Si verò fuerit iuſta, & non ſignata in ſexaginta ſolidis. Item quicumque haberet ad vſum menſurandi, vel menſuraret cùm barile, vel medio barile,mezzana,quarto,boccale,metadella,vel mezzetta,vel cùm quocumque alio vaſe non iuſtis, condemnetur pro barile, vel medio barile in centum ſolidis; & pro aliis dictis menſuris, & pro qualibet earum in quadraginta ſolidis; & ſi dictæ menſurę eſſent iuſtæ,& non ſignatę, condemnetur pro qualibet dictarum menſurarum in viginti ſolidis; & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & habeat tertiam partem banni: Et Capitaneus, & officialis extraordinarius, & officiales graſciæ, & Magiſtri Doganę ſuper prędictis, & quolibet prædictorum punire, & condemnare ſine ſtrepitu, & figura iudicij poſſint, & habeat locum præuentio; & quilibet prædictorum poſſit de prædictis inquirere, & mittere per Ciuitatem,Comitatum,& Capitaneatum,& per omnia

loca

loca ſuæ iuriſdictioni ſubiecta ad videndum, & faciendum oſtendi dicta pondera, & menſuras per omnem aliam viam, & modum, quibus melius poterit inueniri. Item teneantur fornaciarij facere mattones ad formam, & menſuram Communis ſub pœna quinque librarum pro quolibet, & qualibet vice: Et quòd officium ſignandi, & ſigillandi dicta pondera per magiſtros Doganę vendi debeat ad lumen candelæ pręmiſſo banno venditionis quolibet biennio, & illud dare plus offerenti, & non aliter cùm obſeruatione etiam capitulorum de hac materia diſponētium in Dogana Communis Arretij.

DE FVRNARIIS. LXVIII.

FVRNARII, & furnariæ teneantur panem benè coquere, & benè ſtudere, & furnum numquam cùm ſanſis calefacere oliuarum. Item teneantur fumum clibani mittere rectum per domum furni ex parte ſuperiori, & debeant habere vnam ciſtam magnam nitidam, & mundam, in quam panis mittatur, quando de furno trahitur, & nullus furnarius, vel furnaria debeat porcum, vel troiā, vel pullos propè furnos per tres domos tenere, neque debeat permittere, quòd aliqua mulier ſtet ad filandum in domo furni, vel propè ſub pœna viginti ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice in ſingulis caſibus ſupradictis; & eadem pœna puniatur filans in domo furni, & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & habeat dimidiam partem banni: Et ipſi furnarij, & furnariæ, quilibet eorum teneantur connumerare panem verè, & legaliter ante miſſionem in furno, & in illo numero reſtituere omnibus, & ſingulis, quorū eſt, & ipſi furnarij teneāt tabulas, & alia fulcimina pro pane coquēdo; & pro coctura cuiuslibet ſtarij non poſſint accipere vllo modo, niſi totū illud, quod per officiales graſciæ erit per bannū ordinatū.

DE PONDERE, ET PRECIO PANIS. LXIX.

PANIS vendatur benè coctus, ac benè formētatus v₃. Cum valor ſtarij grani fuerit, vt infra dicetur. Si ſtarium grani fuerit precij decem ſolidorum, & infra incluſiuè, teneantur venditores dare, tradere, & vendere quemlibet panem vnciarum treſdecim pro quatuor denariis ad plus: ſi verò triticū ſolidos quindecim incluſiuè valuerit, panis quilibet vnciarum decem vendatur denariis quatuor. Si verò valoris viginti ſolidorum incluſiuè frumentum fuerit, panis quilibet vnciarū octo precio antedicto vendatur: & ſi à ſolidis viginti vſq; in ſolidos vigintiquinque preciū frumēti fuerit, quilibet panis vnciarum quatuordecim pro octo denariis, & ſi triginta ſolidis, vndecim vnciarum; & à dicta ſūma vſq; in quinquagintaquinque ſolidos, omnes quinque ſolidi minuāt vnā vnciam pro precio antedicto, & ab inde ſupra vſq; ad libras tres incluſiuè pro precio antedicto, panē quemlibet vēdendū faciāt vnciarū quinque cū dimidia, & vſq; in infinitū officialibus graſciæ arbitrium, & auctoritatem concedimus, & aſtringimus vendēribus imponēdi ſcalā, & etiā cruſcę, ſeu ſembolę, quam obſeruare teneātur, & debeāt ſub pœnis in hoc contētis in fine: Et teneātur, & debeāt dicti piſtores, & vēditores ad minus in tribus locis dictę Ciuitatis retinere panem ad vēdendū, v₃. in platea Cōmunis, in platea S. Michaelis, & in angulo Crucis omni, & qualibet die, & hora; cū hoc etiam quòd panis, qui venditur per eos, ſeu per eorum inſtitores, ſit, & eſſe debeat pulcher, boni odoris, & ſaporis, ſit, & eſſe debeat ad pondus prædictum ſecundum tēpora, & ſit bonę, & optimę farinæ, & quę ſit burattata, & ſtacciata, & de bono grano ſine aliqua mixtura, & ſi in aliquo prædictorum dicti piſtores, & venditores contrafecerint, incidant in pœnam ipſo facto pro quolibet pane ſolidorum duorum ab eis auferēdam

P appli-

applicandam pro duabus partibus Cõmuni Arretij,& pro alia tertia parte Rectori exigenti,aut Notario extraordinario,aut officialibus Graſciæ Ciuitatis Arretij exigẽtibus, vel exigere facientibus,& tamen panis prædictus incidatur, & rumpatur non iuſti ponderis repertus, & tradatur incarceratis in carceribus, ſeu aliis pauperibus,& aliis miſerabilibus perſonis per Rectorem, vel officialem prædictum: Et omnis officialis tàm extraordinarius noſtræ Ciuitatis,quàm etiam Capitanei,nec non officiales Graſciæ dictæ Ciuitatis,ſalua tamen præuentione pro tempore exiſtentes poſſint,& valeant dicta omnia, & ſingula, vt ſupra, contenta cognoſcere, & contrafacientes punire, & condemnare; & dicti piſtores teneantur præcepta officialiũ Graſciæ affixa vni ex columnis macelli, vel aliis locis conſuetis plenariè obſeruare ſub pœnis per eoſdem officiales præfigendis; & prout primo libro de eorum officio diſponitur applicatis, & ſemper quælibet pœna Camerario gabellæ Communis Arretij omnino ſoluatur.

DE AROMATARIIS. LXX.

QVILIBET Aromatarius debeat facere bonas candelas ſine aliqua fraude, & mittere inter quinque libras ceræ vnam vnciam papiri de bona bambagia, & non plus, & non debeat admiſcere cùm cæra oleum,trementinam, vel aliquid aliud, ſed puram cæram in omni artificio laborare ſub pœna decem librarum pro quolibet, & qualibet vice auferenda, & quilibet poſſit accuſare, vel denunciare,& habeat dimidiam partem banni, & de prædictis officiales graſciæ & extraordinarius teneantur inquirere, & nullus Aromatarius, nec per ſe, nec per alium audeat, vel præſumat alicui dare medicinam purgatiuam, pillolas, vel confectum aptum ad purgandum, vel aliquod genus venenorum,vel elactuarium, niſi de licentia alicuius Medici doctorati,vel experti ſub pęna vigintiquinque librarum, & credatur denuncianti cùm vno teſte, & non poſſit aliquis Aromatarius componere aliquam medicinam ſolutiuam non ordinatam per Medicos doctoratos; & non poſſit aliquam ex dictis compoſitionibus conterere,niſi in præſentia, & de conſenſu ad minus duorum medicorum graduatorum ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice auferenda ab eo,qui contrafecerit,applicanda pro tertia parte Capitaneo exigenti,pro tertia accuſatori, & pro tertia Communi Arretij, & Camerario Doganæ ſoluenda.

DE FORNACIARIIS. LXXI.

FORNACIARII, qui faciunt, vel fieri faciunt mattones, planellas, & mezzanas, vel quadruccios, & coppos, vel tegulas ad formam ſignatam in pariete Eccleſiæ Cathedralis teneantur, & debeant tenere ipſas formas ſignatas ſigno Communis, & debeant quatuor vicibus in anno ſingulis tribus menſibus ſignari, & reuideri per officialem extraordinarium, aut per officiales Graſciæ Communis Arretij, & debeant eſſe ferratæ deſuper, & ſubtus vndiquè, ita vt minui non poſſint ab aliqua parte,& qui dictas formas non habuerit ſic ferratas,vel ſecundum dictas menſuras prædicta non fecerit,condemnetur in centum ſolidis pro quolibet,& qualibet vice,& illos ſic vendere,vt moris eſt, & debeat venditor portare,quò emptor voluerit,& ſi de precio non cõuenerint,officialium Graſciæ declarationi ſtetur, & faciant dicti Fornaciarij planellas,& mattones,mezzanas,&quadruccios,coppos,& tegulas bonos,& ęquales,ac benè coctos de bona terra,& calcem benè,& diligenter facere,& ſine fraude,ac malitia ad ſtarium Arretinum ad culmum dare,& ſi de precio nõ conuenerint, ſtetur vt ſupra,

ſub

ſub pœna librarum quinque,& quicumque fuerit repertus habere mattones,vel planellas, vel alia ſupradicta, quæ non ſint ad dictam formam puniatur à quadraginta ſolidis vſque ad centum ſolidos ſecundum qualitatem delicti; & tales planellas,mattones, & alia ſupradicta perdat.

DE CARNIFICIBVS. LXXII.

OMNES Carnifices, qui faciant carnes ad vendendum, teneantur animalia occidere, abruſciare, & excoriare intra domum, vel ad deputatum locum tantummodo, & eorum ſanguinem proiicere in locum conſuetum ſub pœna ſexaginta ſolidorum pro qualibet beſtia, & qui proiecerit in viam publicam, & conſuetam habitari putredinem, vel ſanguinem dictarũ beſtiarum,vel carnes morboſas,vel ex ſe mortuas vendiderit, vel cauſa vendendi derulerit, vel deferri fecerit in Ciuitatem Arretij, vel intra muros pœna vigintiquinque librarum puniatur, & cuilibet, qui accuſauerit, credatur,& dimidiam pœnæ lucretur: Et ſi quis, quales ſint carnes,quas vendit,interrogatus non reſponderit, vel deceperit, ſeu carnem alteram pro altera vendiderit,pœna quinque librarum afficiatur pro qualibet; & nullus debeat facere, vel vendere carnes de troia, vel de porcaſtra, niſi à feſto Sancti Andreæ vſque ad Carnispriuium, non tamen poſſint ipſas carnes tenere cùm carnibus porcinis, ſed diuiſim, & ſeparatim, & pro talibus vendere pęna decẽ librarum,& quilibet poſſit denunciare, & habeat dimidiam partem banni: & idem ſeruetur in carnibus hircorum,arietum,& pecudum,quæ teneri debeant ſeparatim à caſtrone, & aliis carnibus,vt ſupra, vendendis ſub dicta pœna; & non poſſint in beſtiis ponere pinguedinem in granellis, vel in alia parte beſtiarum pœna centum ſolidorum pro qualibet vice auferenda: Et nullus teneat carnem vltra vnam diem à Paſcha Reſurrectionis vſque ad feſtum Sancti Michaelis de menſe Septembris pœna ſexaginta ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice, & debeat vendens omnes,& ſingulas carnes ad pondus vendere. Item teneantur Capitaneus,vel officiales graſciæ, vel extraordinarius, & quilibet ipſorum qualibet hebdomada mittere ſemel ad ſcrutandum de prędictis,ſi fuerint obſeruata. Item quòd nullus,vt ſupra,vendens debeat excoriare aſinos, mulos, equos,vel canes; & qui contrafecerit, non poſſit carnem amplius facere, & condemnetur in octuaginta ſolidis pro qualibet vice. Item teneãtur ſignare carnes hircorum,& pecudum,ita quòd cognoſci poſſint à carnibus caſtrarinis ſub pœna ſexaginta ſolidorum pro quolibet,& qualibet vice. Item ipſi in domibus eorum non debeant mittere, vel vacuare, quod putredinem,vel fœtorem faciat conuicinis, nec oſſa, vel cornua in viis proiicere, & ſi voluerint portare ad loca ſolita, portent poſt ſonum primę campanæ,quæ pulſatur de ſero. Item nullus tendat in viis, ſeu plateis pelles aliquarum beſtiarũ, nec in muris exiſtentibus circa viã ſub pœna quadraginta ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice;& quilibet poſſit accuſare,& habeat dimidiam partẽ banni. Item teneantur omnes,& ſinguli artes exercentes,& pizzeçaroli habere pondera duodecim librarũ, & duarum, & vnius libræ, & duarum vnciarum, & vnius vnciæ,& cùm bilancis pondetare teneãtur,& nõ cùm ſtatera,cùm quibus vendãt carnes recentes,& ſalatas,quæ ſint de ferro, vel de metallo,& non de lapide ſignatas ſigno à Cõmune deputato,& cuilibet ementi dare iuſta pondera ſub pęna centũ ſolidorũ pro quolibet,& qualibet vice. Itẽ nullus teneat in Ciuitate troias,capras,montones, caſtrones,vel porcos,vel pecudes;liceat tamen facientibus carnes ad vendendũ de licentia Capitanei,vel D.P.tenere vſq; ad duodecim beſtias,quę ſint macellandæ,& vendendę ſecundum qualitatẽ temporum;& beſtię cuiuſlibet,vt ſupra,debeãt ſeparatim paſci,

& non cum beſtiis aliorum ſub pœna ſolidorum quadraginta pro quolibet,& qualibet vice; & liceat gabellariis eas facere numerari ad portam in exitu, & reditu Ciuitatis: Et officiales graſciæ teneantur ad minus quolibet bimeſtre imponere precia, vel quando eis videbitur carnibus vendendis ſecundum qualitatem temporum, ita quòd conuenienter poſſint lucrari, & quòd ipſi pro illo precio debeant vendere carnes, prout per eos fuerit ordinatum, & non vltra ſub pœna librarum vigintiquinque à quolibet auferenda contrafaciente; de qua quarta pars ſit Capitanei exigentis; quarta inuentoris, & quarta officialium graſciæ; & quarta Cōmunis Arretij. & extraordinarius non poſſit de prædictis condemnare ſine licentia officialium graſciæ. Item non poſſint excorticare à cloaca Sancti Antonij vſque ad Palatium Capitanei, & in platea Sancti Augustini, & ab Hoſpitale Sancti Antonij vſque ad Palatium Reuerendiſſimi Cardinalis de Monte, & ab illo ſupra verſus Palatium D. P. ſub pœna vigintiquinque librarum pro quolibet,& qualibet vice auferenda per officiales,vt ſupra;& teneantur vēdere in beccaria, & non alibi ſub dicta pœna: Et ſi prædicti denegarent facere carnem pro precio impoſito, condemnari debeant in quinquaginta libris, & ſtatim intelligantur, & ſint priuari ab exercitio per duos annos ad minus, ad quod pro dicto tempore admitti amplius non poſſint.

DE POENA VENDENTIVM PISCES. LXXIII.

NVLLVS in Ciuitatem Arretij afferat putridum piſcem ſub pœna librarum quinque pro quolibet,& qualibet vice Communi Arretij pro vna tertia parte;& pro alia accuſatori, & reliqua alia ipſam exigenti; & quilibet debeat vendere piſces eadem die, qua tulerit ad vendendum, & hoc locum habeat à feſto Sancti Michaelis de menſe Septembris vſque ad Kal.Maij, & dicti piſces eſſe venditi debeant à mane vſque ad horam Nonæ ſub dicta pœna; alio verò tempore vendi debeant dicti piſces vſque ad horam Tertiæ,& non vltra ſub dicta pœna. Inſuper familia Capitanei,vel officiales graſciæ, & Notarius extraordinarius poſſint piſces putridos proiicere. Item qui apportauerit piſces ad vendendum in Ciuitate Arretij,eos teneantur apportare,& ſcaricare in Dogana Communis Arretij, & alibi non vendere, niſi in platea magna,& eos publicè tenere ſuper banchis pœna prædicta. Item nullus etiam forenſis poſſit,vel debeat extrahere piſces ex Ciuitate Arretij in ciſta, ſeu ſalma pœna prædicta; & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & habeat tertiam partem banni, & ſit ſecretum. Inſuper officiales graſciæ ſuper prædictis prouideant, & curent, quòd Ciuitas Arretina piſcium copiam habeat, ac iuſtè vendantur.

DE MACINATORIBVS OLIVARVM. LXXIIII.

QVILIBET macinator oliuarum teneatur, & debeat ipſas oliuas, ſiue ſanſas benè, & legaliter macinare quatuor vicibus, & totidem premere oleum, & ſanſas reſtituere in continenti Domino ſic preſſas quater ſub pœna,& ad pœnam centum ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice, & teneantur recipere oliuas ad ſtarium caſtanearum, & glandium, & debeant ipſum tenere ferratum, & ſignatum ſigno à Commune Arretij deputato, & ipſum ſtarium debeat eſſe ad raſum, & non poſſint accipere de quolibet ſtario oliuarum, niſi quantum fuerit per officiales graſciæ Ciuitatis Arretij deputatum attenta qualitate temporis faciendo, macinando, & premendo ipſas oliuas, vt ſupra, ſub dicta pœna; & quilibet poſſit accuſare, & denunciare,

&

& habeat dimidiam partem banni, & ſit ſecretum: Et hoc capitulum publicè banniatur; & non poſſint morcam, vel quid ſimile proiicere in viis publicis pœna prædicta; & Capitaneus, & eius Curia, & officiales graſciæ, & extraordinarius Communis Arretij contra prædicta poſſint procedere, & habeat locum præuentio.

DE POENA MERETRICVM EVNTIVM PER CIVITATEM. LXXV.

NVLLA meretrix publica poſſit ſtare in Ciuitate Arretij extra poſtribulum pœna viginti librarum pro qualibet, & qualibet vice; & nullus debeat eas retinere in domo ſua ad pœnā decem librarum, & quilibet poſſit accuſare, & denūciare, & habeat dimidiam partem banni, & Capitaneus, ſeu Officiales Honeſtatis Ciuitatis Arretij, ſeu extraordinarius de hoc etiam ad petitionem cuiuſlibet inquirere teneatur, & condemnare, & etiam alias meretrices ſtantes alibi verberare, non tamen occidere quilibet poſſit impunè: & ad probandum eam eſſe meretricem ſufficiat publica fama, & Capitaneus teneatur ad requiſitionem dictorum Officialiū, ſiue extraordinarij Communis Arretij tales meretrices condemnatas retinere, donec dictam pœnam ſoluerint, nec ſine fideiuſſore, aut ſolutione facta in manibus Camerarij Doganæ illas relaxare; de qua pęna tertia pars ſit dicti Capitanei, tertia notarij, vel officialium prædictorum, & locum habeat pręuentio, vt ſupra, facientis condemnationem, & tertia ſit Communis Arretij, & nulla meretrix poſſit ſtare propè aliquod monaſterium Ciuitatis Arretij per brachia ducenta ſub pęna librarum quinquaginta à qualibet earum contrafaciente, & à quolibet eas retinente auferenda per quemcumque ex dictis officialibus, & applicanda, vt ſupra.

DE POENA PONENTIS ALIQVOD TVRPE AD DOMVM ALTERIVS. LXXVI.

SI quis de nocte in Ciuitate Arretij proiecerit aliquod carnatum, vel oſſa, vel ad domum alterius aliquod turpe appoſuerit, vel prędicta fieri fecerit in quinquaginta libris condemnetur, & plus ſecundum qualitatem delicti, & attenta qualitate perſonarum vſque in centum libris: & idem fiat de proiectione lapidum ad domum habitationis alterius facta, & ſi damnum factum fuerit, debeat emendari; & ea pœna imponatur, ſi iniurioſè de die prædicta facta fuerint, vel aliquod prædictorum. Si autem factum fuerit ad Palatium Communis, ea pœna quadruplicetur; extra verò Ciuitatem ſoluatur dimidia dictorum bannorum.

DE POENA LAVANTIS PANNOS, VEL HABENTIS NECESSARIA PROPE PVTEOS. LXXVII.

NVLLVS audeat lauare pannos, vel aliquod turpe proiicere, ſeu ponere propè aliquem publicum puteum, vel communem per quindecim brachia ſub pœna ſolidorum viginti pro quolibet, & qualibet vice, & nullus habere poſſit aliquod neceſſarium, quod vulgariter dicitur aſiamentum propè talem puteum, ſi tali puteo nocet, per quindecim brachia, niſi via ſit in medio, & ſi antea puteus eſſet factus, teneatur tamen illud tenere, ne fętorem faciat, & quandocumque neceſſarium impediret aquæ bonitatem putei vicini publici, & à vicinis, vel quibuſcumque requiratur, neceſſarium

habens illud teneatur deſtruere,hoc tamen addito, quòd vicini, vel prohibens teneantur eorum expenſis aliud neceſſarium conſtruere in domo dicti deſtruentis;& qui contrafecerit puniatur in vigintiquinque libris; & nihilominus habens aſiamentum, illud leuet ſub pœna prædicta.

DE POENA PROIICIENTIS AQVAM A FENESTRIS. LXXVIII.

QVICVMQVE proiecerit aquam de die in viam publicam Ciuitatis,condemnetur in triginta ſolidis; & ſi de nocte, & non dixerit ter Guarda, guarda, guarda, condemnetur in viginti ſolidis:& ſi proiecerit aliquam aquam fętidam, vel aliquid aliud turpe de die,vel de nocte, condemnetur in quadraginta ſolidis pro qualibet vice; & Notarius extraordinarius, & Capitanei, & Viarij in hoc caſu poſsint procedere,& locum habeat præuentio.

DE POENA NON CLAVDENTIS CLASSARIAS. LXXIX.

QVICVMQVE, qui habeat claſſariam,quę habeat exitum in aliquam viam publicam Ciuitatis,teneatur eam aptare,cooperire,& mundare ita,& aliter, quod aliqua putredo, ſeu fętor non exeat in viã publicam,& ita fiat de quolibet aſiamento ſub pœna centum ſolidorum, & Capitaneus, vel Viarij, vel extraordinarius, & quilibet eorum, qui præuenit, poſſit, & debeat procedere contra talem.

DE POENA EVNTIVM POST SONVM.CAMPANAE. LXXX.

TENEATVR Dominus Capitaneus à Kal.Nouembris vſque ad Carnispriuium poſt tertiam horam noctis, & à dicto tempore vſque ad prædictas Kal. poſt horam ſecundam facere pulſari campanam Communis Arretij tribus vicibus vna poſt aliam,& quando incipit tertia pulſatio,fiat cùm retocchis.& duret tantum,quantum homo poſſit ire ab vno capite ad aliud Ciuitatis: & quicumque fuerit inuentus ſtare, vel ire per Ciuitatem, condemnetur in decem ſolidis, niſi iuſtam excuſationem haberet, quæ videretur legitima Capitaneo; & teneatur præfatus Capitaneus mittere Notarium ſuum, & berroarios ſuos per Ciuitatem ad inueniendum, qui ſtant, vel vadunt per Ciuitatem Arretij poſt dictũ tertium ſonum campanæ, liceat tamen cuilibet poſt dictum ſonum campanę ire cùm lumine ad cellam ſuam,vel ſtabulam,ſiue ad videndum beſtias per viam rectam. Item liceat portare panem ad coquendum, vel coctum reducendum,& diſcipulis ad ſcolam, vel ad apothecam cùm dicto lumine. Item carnificibus ad apothecam cùm torce ignis,vel lucerna in manu, ſi eſſet homo bonæ famæ. Item Medicis ad infirmos,& Aromatariis aliqua neceſſitate, vel cauſa interuenientę; liceat etiam Operariis tinctorum Artis lanę ante domum tinctæ vſque ad barignum ſtare de nocte cum lumine ad extrahendum pannos, & lanam de tincta, & ad lauandum in ipſo, quando caſus neceſſitatis accideret, cum mora ſpectandi diẽ ſit magnum periculum dictę Arti allatura; liceat etiam macinatoribus oliuarum cùm dicto lumine tamen poſt dictum ſonum campanæ ambulare, vt ſupra: & quibus per dictum Capitaneum, vel Conſilium generale noſtrę Ciuitatis permittitur.

DE POENA VENDENTIVM POST TERTIVM SONVM CAMPANAE. LXXXI.

NVLLVS audeat cibum, vel potum de nocte poſt tertium ſonum campanæ vendere, niſi forenſibus, & Ciuibus, qui ſociarent dictos forenſes ſub pœna centum ſolidorum; & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & habeat quartam partem banni.

DE POENA PROIICIENTIS CARNATVM IN FLVMINE, VEL VIIS. LXXXII.

NVLLA perſona proiiciat, vel proiici faciat aliquod carnatum in flumine, neque in viis publicis, neque foſſatis tàm in Ciuitate, quàm propè eam per vnum miliare, neque in aliquo flumine, quod aquam mittat in dicto flumine ſub pœna ſolidorum ſexaginta.

DE POENA GVAZZANTIS BESTIAM MORBOSAM. LXXXIII.

NVLLA perſona debeat inguazzare, vel abeuerare aliquem equum, vel aliquam aliam beſtiam, quæ diceretur habere vermen, vel caput morboſum, ad fontes Communis Arretij, nec in guazzatorium ipſius Communis Arretij pœna centum ſolidorum.

DE MITTENTIBVS LINVM IN FLVMEN CASTRI. LXXXIIII.

NVLLVS poſſit mittere linum in flumen caſtri ad macerandum à ponte de aſſeribus vſque ad pontem de carciarellis ſub pœna quinque librarum pro quolibet, & qualibet vice, & Notarius damnorum datorum, & Notarius extraordinarius, & quilibet ipſorum teneatur inquiſitionem facere, & perſonaliter videre locum prædictum, & delinquentes punire, & pœnam exigere ſupradictam, & inter eos locum habeat præuentio.

DE FACIENTIBVS CINERES. LXXXV.

NVLLVS audeat in Capitaneatu Arretij facere cinerem, vel ligna facientibus ipſam vendere ſub pœna vigintiquinque librarum pro quolibet, & qualibet vice; & dimidia pars ſit Communis Arretij; quarta Capitanei exigentis; & quarta pars accuſatoris, vel denunciatoris, & ſibi credatur, & Syndici teneantur accuſare, ſicut tenentur alia maleficia ad pœnam in ſtatuto contentam.

DE CVRRENTIBVS PER CIVITATEM. LXXXVI.

NVLLVS audeat currere equum in aliqua parte Ciuitatis ſine ſella, & nullus famulus, vel ragazzius alterius cùm ſella ſub pœna centum ſolidorum pro quolibet

libet, & qualibet vice,& quilibet poſſit accuſare, & denunciare,& teneatur ſibi credentia,& credatur accuſatori, & denunciatori cùm ſacramento;& ſi talis denunciatus non poſſet ſoluere fuſtigetur, & quilibet poſſit contra tales famulos, vel ragatios proiicere lapidem, vel baſtonem, vel fangum, & cùm ipſis percutere.

QVOD NVLLVS POSSIT TOSSICARE PISCES. LXXXVII.

NVLLVS cuiuſcumque gradus, vel conditionis exiſtat, audeat modo aliquo in aliquo flumine, riuo, vel aquarum congregatione,pelagis,aut gurgis aquarum quarumcumque Capitaneatus Arretij immittere aliquod venenum, ſeu aliquid,per quod piſces moriātur,& toſſicentur ſub pœna librarum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice, in quam pœnam incidant tàm illi, qui hoc fieri feciſſent, quàm illi, qui facerent, aut adiuuarent, aut modo aliquo opem, ſeu auxilium,vel operam præſtiterint, & quoniam in flumine caſtri nonnulli Ciues Arretini pro ſolatio ſępe, ac ſæpius ad piſcandum proficiſcuntur, & etiam à multis Ciuibus,& Comitatinis, & aliis ſæpe in eodem flumine ſicca fiunt, propter quæ maxima multitudo piſcium perditur, & deuaſtatur ſine vtilitate aliqua,immo tollitur cōmoditas Communis omniū. Idcirco nullus in dicto flumine caſtri poſſit quoquo modo facere, aut fieri facere ſiccū aliquod ſub pœna vigintiquinque librarū pro quolibet, qui faceret, aut fieri faceret,& ſimilem pœnam incurrāt omnes, qui in dicto ſicco interuenirent; aut opem, vel auxilium modo aliquo pręſtarent ad illud faciendum. Inſuper nullus in dicto flumine caſtri poſſit facere aliquam clauſuram, ſiue cluſam pro ponendis cannariis,niſi de voluntate omnium vicinorum, quibus, aut alteri eorum propter dictam cauſam poſſet aliquod dicti fluminis damnū modo aliquo inferre, vel dare; & quod Syndicus quararę; & Syndicus montis ſupra rondinem; & Syndicus montionis; & quilibet eorum ſub eadem pœna vigintiquinque librarū pro quolibet, & qualibet vice teneatur denunciare huiuſmodi ſiccum facientes in dicto flumine cuilibet in dicta curia, Notario Capitanei Ciuitatis Arretij; & de prædictis omnibus,& ſingulis in præſenti capitulo contentis poſſit etiam cognoſcere Notarius per ſuam inuentionem, & per accuſationem, & denunciationem dummodo in curia Capitanei fiat talis cauſa.

DE DAMNO DATO PER INCENDIVM, VEL EXCORIATIONEM. LXXXVIII.

SI damnum datum fuerit alicui de die, vel de nocte per incendium, vel inciſionem arborum,vel excoriationem, ſiue deſtructionem vinearum quomodocumque factam, & ignoretur quis dederit tale damnum, ſiue ſciatur, & non ſit ſufficiens ad emendandum ipſum damnum datum, teneatur vniuerſitas illius plebatus exiſtens in Capitaneatu Arretij, in quo aliquod prædictorum datum, vel factum fuerit, integrè emendare,& ſuper dicto damno emendando procedatur hoc modo. Quòd paſſus damnum infra viginti dies à die damni dati querimoniam porrigat in ſcriptis coram Iudice Capitanei, & faciat citari Syndicos vniuerſatum dicti plebatus, quòd infra quartam diem compareant ad reſpondendum, & opponendum dictæ querimoniæ, quare dictum damnum non debeat emendari: & ſi comparuerint dicti Syndici, vel aliquis eorum detur copia petitionis, & intentionis ſimul,& detur terminus trium dierum ad opponendum, & faciendum interrogatoria,& tunc fiant probationes nulla exceptio-

ne,

ne, vel contradictione obſtante: quæ tamen ſaluæ ſint opponentibus poſt probationes receptas: ſi verò non comparuerint, recipiantur probationes ſine aliqua citatione ipſorum contumacia non obſtante: & ſi aliqui Syndici comparuerint, & aliqui non, procedatur contra cõparentes, vt dictum eſt, & valeat quod factum fuerit contra non, venientes, & probatio dicti damni debeat fieri infra viginti dies à die querimonię pro poſitæ, & publicatio teſtium poſſit fieri abſente Syndico, ſi non fuerit præſens abſque alia citatione, & facta probatione de damno dato, ſi probatum non fuerit pro parte ipſius Syndici illius pleberij, quare ipſum damnũ datum non debeat emendari; tunc eligantur æſtimatores per Iudicem infra tertiam diem poſt publicationem teſtium, & electi vadant prius ad locum damni dati, & ipſum damnum videant; & ſi voluerint, conſilium, & colloquium habeant cùm hominibus de contrata, & ad æſtimandum compellantur, & ſecundum eorum æſtimationem recepto prius iuramento de fideliter ęſtimando, condemnatio debeat fieri de ipſis Syndicis, & vniuerſitate, & per eos, vt dictùm eſt, fieri debeat æſtimatio, & emendatio, & non poſſit excedere ſummam quinquaginta librarum, ſaluo quòd de incendiis domorum, & rerum exiſtentium in eiſdem fiat emendatio ſecundum damni dati quantitatem probatam integrè, & prædicta omnia fieri poſſint ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & de plano, iuris ordine non ſeruato; & idem ſeruetur, & fiat, ſi damnum datum fuerit hoc modo in Pleberio Ciuitatis Arretij contra Commune Arretij, & eius Syndicum, & in dicto caſu fiat emendatio per Commune, ſaluo quod præſens capitulum non vendicet ſibi locum, ſi damnum datum fuerit per laboratores, colonos, inquilinos, aut miſſos, vel famulos dictarum rerum, & Dominorum, in quibus rebus damnum datum fuerit eorum culpa: Si quis verò in alieno territorio inciderit quandocumque aliquos pedagnolos, vel capita oppiorum, vt ſępe fieri conſueuit in Kal. Maij puniatur pro quolibet, & qualibet vice in quadraginta ſolidis per Notarium Damnorum datorum: Et præſumatur eo ipſo incidiſſe in alieno, qui cùm ipſo oppio reperiretur, vel portare, vel ante domum habere; & teneatur maior pro minori ad dictam pœnam ſoluendam, niſi probauerit per duos teſtes, quod in ſuo inciderit, & quilibet de prædictis poſſit inquirere, & accuſare; & teneatur ei credentia, & habeat tertiam partem banni, & nihilominus talis ſic incidens damnum emendet domino oppiorum, & de æſtimatione credatur domino oppiorum vſque in quantitatem quadraginta ſolidorum, & prædicta non extendantur ad deferentes tantum ramos, vel fraſcas dictarum arborum; Et Notarius Capitanei teneatur die præcedenti kal. Maij pręconizzari facere per Ciuitatem Arretij omnia ſupradicta, & ire per Ciuitatem Arretij die dictarum Kal. ſcribens omnes habentes dictos oppios ante domum, & ſolemnem inquiſitionem facere de prędictis.

DE FORENSIBVS TENENTIBVS BESTIAS PROPE CIVITATEM, ET RECEPTANTIBVS EAS. LXXXIX.

NVLLVS forenſis poſſit, vel debeat retinere aliquas beſtias propè Ciuitatem Arretij per ſex milliaria, & qui contrafecerit puniatur banno vigintiquinque librarum pro quolibet, & qualibet vice, forenſis verò intelligatur, & ſit quilibet non ſuppoſitus iuriſdictioni Capitanei Arretij, vel non ſoluens datia in Ciuitate, vel Cortynis Arretij, & non faciens cæteras factiones, ſicut faciunt Ciues Arretini, & Comitatini Cortynarum dictæ Ciuitatis: Et dictas beſtias nemo debeat receptare, vel retinere in aliqua ſua domo, vel capanna, vel clauſtro, vel alio ſuo loco proprio, vel conducto

conducto propè Ciuitatem prędictam per dicta ſex milliaria, vt dictum eſt, banno centum ſolidorum pro quolibet, & qualibet vice: Nullus etiam poſſit, vel debeat ipſas beſtias parare, cuſtodire, vel ducere ad paſturandum infra dicta confinia ſub dicta pœna decem librarum pro quolibet, & qualibet vice: Saluo quod hoc non præiudicet mercatoribus beſtiarum, nec etiam forenſibus vndecumque, qui tranſirent per Campanias, vel Cortynas Arretij cùm eorum beſtiis, ſed licitè poſſint tranſire ſine pœna, qui habeant terminum quinque dierum ad extrahendum eas extra dicta ſex milliaria; & in ſuper ſi damnum aliquod interim fecerint, reficiant illud paſſo.

DE POENA VCELLANTIS AD PERDICES. XC.

NVLLVS debeat aucupari, vel vcellare ad perdices, vel ad qualias cùm qualieri, ſcudicciolo, ſiue budrio, vel aliis ſimilibus inſtrumentis propè Ciuitatem Arretij per quinque milliaria; & qui contrafecerit in centum ſolidis pro qualibet vice condemnetur; & quilibet talem aucupátem poſſit moderatè verberare impunè, & etiam aues, quas habuerit, auferre; & nullus poſſit de menſe Martij vſque ad Kal. Auguſti ad qualias vcellare cùm cane ſub pœna quadraginta ſolidorum pro vice qualibet auferenda.

DE POENA VCELLANTIS AD COLVMBAS. XCI.

QVICVMQVE aucupatus fuerit ad columbas domeſticas, ſeu de columbariis cùm retibus in quadraginta libris condemnetur: Si verò laqueo, vel capannello, petragnola, vel quocũque alio artificio cõdemnetur in viginti libris, & quilibet poſſit accuſare, vel denunciare, & credatur accuſatori cùm vno teſte, & deficiente teſte credatur accuſatoris iuramento, & hęc pœna nõ excedat decẽ libras, & habeat dimidiã partem bãni, & quicumque receperit in domum ſuę habitationis talem aucupantem, vel ab ipſo emerit columbas, condemnetur in viginti quinque libris; cuius banni tertia pars ſit Communis, & alia tertia accuſatoris, & alia tertia Rectoris facientis executionem, & quilibet accuſare poſſit. Item nulli ſit licitum vcellare ad pagellas, laqueum, ſiue retia, niſi promiſerit, & fideiuſſorem dederit de quadraginta libris Cancellario Cõmunis Arretij de non capiendo columbas, & ſi non promiſerit, vt dictum eſt, & aucupatus fuerit, habeatur pro confeſſo, quòd aucupatus fuerit ad columbas, ſaluo quod hoc non intelligatur in illis, qui cùm canibus, & retibus, & ſparuerio aucupantur. Item Capitaneus poſſit inquirere, & Notarius extraordinarius, & condemnare quamcumque perſonam, quę denunciata eſſet, & per publicam famam conſtaret, qualiter talis perſona ſit aucupata ad publicas columbas; & talis fama, ſi alia probatio haberi non poterit, pro probatione legitima habeatur. Item Capitaneus poſſit talem denunciatum, accuſatum, vel inquiſitum facere tormentari non obſtante aliquo capitulo poſito, vel ponendo, & ſpecialiter capitulo, quod loquitur de tormentis. Item quod prędicti aucupatores, qui ſatiſdederint, vt ſupra dictum eſt, non debeant portare, vel habere endicem columbæ domeſticæ banno vigintiquinque librarum, & non poſſint aucupari, niſi habeant apotiſſam Dom. Priorum. Item teneantur cuſtodes Portarum Ciuitatis Arretij ſcrutari dictos aucupatores, ſi habeant dictum endicem, & ſi habeant dictam apotiſſam, & ſi habeant endicem, & non habeant apotiſſam eos capere, & ducere ad curiam, vel accuſare, & habeantur pro confeſſis de captione columbarum, & quicumque fuerit inuentus aucupari cõtra prædictam formam, poſſit impunè offendi ſine ſan-

guinis effuſione, & poſſint ſibi auferri retia, & alia inſtrumenta, & fiant accipientis. Item quod nullus poſſit interficere, aut trahere cùm aliquo inſtrumento trahente pallottas cuiuſcumque generis, neque baleſtrare ad columbas domeſticas, aut columbarium, vel ad domos, in quibus fuerint columbaria ſub pœna vigintiquinque librarum, & quilibet poſſit accuſare, & denunciare de his omnibus, & ſingulis ſupradictis caſibus, & teneatur ei credentia, & habeat dimidiam partem banni prædicti. Item quod quælibet vniuerſitas, in cuius diſtrictu eſſet vcellator ad columbas, teneatur illum denunciare, vel capere, & captum ducere in fortiam Capitanei ſub pœna vigintiquinque librarum, & cuſtodes portarũ Ciuitatis Arretij teneantur, & debeant omnes vcellatores cùm retibus, vel alias perſonas deferentes columbas in Ciuitatem Arretij diligenter rimari, ſi habent de columbis domeſticis captis, vel de columbariis, & quos inuenerint habere publicè, vel celatè capiant, & ducant, ſiue denuncient, ſi capere, & ducere non poterint, Capitaneo ſub pœna decem librarum pro quolibet, & qualibet vice, & de omnibus prædictis cognoſcere poſſit etiam Notarius extraordinarius Ciuitatis Arretij; & omnes condemnationes, quæ fierent per dictum Capitaneum, aut per officialem Communis extraordinarium, diuidantur, & applicentur, vt ſupra dictum eſt, & pater teneatur pro filio, & dominus domus pro tota familia. Et Capitaneus, aut officialis extraordinarius teneatur tales delinquentes citare per præceptum, & citatos in carcerem mittere, donec fuerit curia iuſtificata de maleficio prædicto, & iuſtificata teneatur ſtatim ſibi facere apotiſſam, quòd ſoluat infra quatuor dies dictam pœnam, in quam incurſus eſt vigore præſentis ſtatuti; aliàs remota omni ſolutione elapſo termino debeat teneri per ſex horas ad petronem in platea magna Communis.

DE SECVRITATE DANDA EXBANNITIS. XCII.

SI quis exbannitus, vel condemnatus de aliquo maleficio fuerit, & poſtea de aliquo alio maleficio fuerit denunciatus, & accuſatus, vel inquiſitus, & voluerit idoneos fideiuſſores dare de parendo mandatis Capitanei, & de condemnatione ſoluenda, poſſit ſe defendere per procuratorem, vbi eſſet pecuniaria pœna imponenda pro crimine, de quo agitur contra eum: Sed ſi pœna eſſet corporalis imponenda principaliter, vel per conſequentiam, debeat coram Capitaneo ſe præſentare perſonaliter, & in vinculis cauſam agere data ſibi ſecuritate de condemnatione, & banno alio, in quo eſſet. Et idem intelligatur de debitoribus bannitis, vel condemnatis, & in teſtibus, qui producendi eſſent coram Iudice, dummodo dicta licentia non extendatur vltra.

QVOD LICEAT OFFENDERE EXBANNITVM, VEL CONDEMNATVM. XCIII.

SI quis fuerit etiam in contumacia condemnatus pro aliquo maleficio in ſumma librarum quingentarum, vel minori qualibet, dum tamen ſit ſaltem librarum centum, poſſit impunè offendi quacumque offenſione, excepto, quod non poſſit occidi: & ſi fuerit condemnatus in qualibet maiori librarum quingentarum, vt ſupra, vel in aliquam pœnam mortis damnatus fuerit, poſſit, ne dum, vt ſupra, impunè offendi, ſed etiam occidi, & facta fide per quemcumque de condemnationibus prædictis non poſſit, nec debeat vlterius procedi contra talem offendentem, & ſi proceſſum fuerit, non valeat ipſo iure proceſſus: ſaluo quod nullus poſſit offendi, qui eſſet captus

per

per Capitaneum, vel eius familiam, vel qui duceretur per alios in fortiam ipſius, vel dum eſſet in fortia eiuſdem. & quod intelligatur condemnatus in prædictis ſummis, qui vna ſententia, & pro vno maleficio condemnatus fuerit, ita quòd cumulatio non fiat & pœna quarti pluris, de qua fit mentio, in condemnationibus, non computetur in dictis ſummis: Hoc ſemper declarato, quòd condemnatus à quingentis libris ſupra poſſit etiam occidi, intelligatur, ſi condemnatus fuerit ſecundum formam ſtatuti, & non aliter, aut alio modo.

DE POENA RECEPTANTIS PRO MALEFICIO EXBANNITVM. XCIIII.

SI quis ſcienter receptauerit exbannitum, vel condemnatum; condemnetur à quinque libris vſque ad vigintiquinque libras conſiderata conditione exbanniti, & receptantis; & quantitate condemnationis. Si verò aliqua vniuerſitas receptauerit exbannitum, vel condemnatum, vt ſupra, condemnetur à centum ſolidis vſque ad quinquaginta libras conſiderata conditione perſonæ exbannitæ, & quantitate condemnationis, & conditione vniuerſitatis: Et ſi vniuerſitas, vbi receptaretur, poſſet probare legitimè, quòd aliquæ perſonæ ſingulares receptauerint illum exbannitum, Syndicus, ſeu vniuerſitas non condemnetur, ſed ille, ſeu illi, qui receptauerint illum exbannitum, non tamen poſſint pœnæ prædictæ excedere quantitatem condemnationis exbanniti, vel condemnati retenti, & habeant tales perſonę regreſſum contra ipſum exbannitum: Si verò aliqua ſingularis perſona receptauerit aliquem, qui conſueuerit facere aliquod maleficium pro pecunia, condemnetur in centum libris, & quilibet accuſare, & denunciare poſſit de omnibus ſupradictis.

DE POENA DANTIS AVXILIVM, CONSILIVM, VEL FAVOREM. XCV.

QVICVMQVE auxilium, conſilium, vel fauorem ad aliquod maleficium committendum præſtabit, vbi pœna pecuniaria imponenda eſſet, dimidia pœna eius, qua puniretur maleficium committens, puniatur; vbi verò corporali pœna committens puniretur, teneatur prout committens: mandans etiam eadem pœna, qua delinquens, puniatur; Et illi intelligantur conſilium, vel fauorem præſtitiſſe, qui quoquo modo cùm delinquente interuenerint armati.

DE EXECVTIONE SENTENTIAE CORPORALIS. XCVI.

EXECVTIO pœnæ, vel ſententiæ corporalis ad mortem furcis ſolitis fiat, vel alibi pro qualitate delicti, & conditione perſonę, prout Capitaneo viſum fuerit, fuſtigatio verò per Ciuitatem fiat, amputatioq; capitis, vel membri loco ſolito in prato Iuſtitiæ, vel alibi prout Capitaneo viſum fuerit, vt ſupra.

DE

DE MODO EXIGENDI PECVNIAS SOLVTAS PRO EXECVTIONIBVS PERSONALIBVS. XCVII.

COMMVNE Arretij, & ipſius Cortynæ expenſas cuiuſcumque perſonalis executionis,& fuſtigationis,quæ in criminalibus fieri contigerint per curiam D.Capitanei, hoc modo,& ordine ſoluant. Si executionem paſſus fuerit Ciuis,vel incola dictæ Ciuitatis,Commune Arretij totum de ſuo proprio ſoluat, & ſine aliquo regreſſu: Si verò fuerit Comitatinus,vel incola dictarũ Cortynarum, ipſę Cortynæ ſoluant in totum, & ſine regreſſu, vt ſupra, & ſi fuerit forenſis de loco extra dominium Florentinum,tunc Cõmune Arretij pro duabus partibus; pro alia verò tertia Cortynæ prædictæ ſoluant: Et ſi fuerit de aliquo loco Dominij Florentini Cõmune Arretij ſoluat duas partes,& reliquam tertiam partẽ Cortynę,& ipſo iure,& ipſo facto regreſſum habeant,& habere intelligantur contra quoſcumque homines,& eorum bona illius Poteſtariæ,vel Vicariatus, ſeu Capitaneatus,in quo, & de quo executionem paſſus fuerit, vel incola,& retineri,& capi,& ſequeſtrari poſſit,& debeat ad petitionẽ dictorum Communis Arretij,& Cortynarum pro ſummis ſolutis à quocumque Rectore Dominij Florentini habita fide manu Cancellarij Communis Arretij,dictiq; Communis ſigillo munita,& à dicti Communis Syndico, ſeu prouiſore Palatij ſubſcripta; Et ſi aliquis Ciuis Arretinus, vel incola dictæ Ciuitatis paſſus fuerit in aliquo loco Dominij Florentini, Commune Arretij teneatur ſatisfacere omnes expenſas illi Communitati,quæ pro tali executione aliquid ſoluerit: Et ſi fuerit Comitatinus dictarum Cortynarum,vel earũ incola, ipſę Cortynæ in totum teneri voluerunt ad ſatisfactionem talium expenſarum tali Communi,quod,vt ſupra,ſoluerit,& omnis ſolutio,vt ſupra,per Commune Arretij fienda omnino fiat cùm apotiſſa manu Cancellarij,vt ſupra,& ſigillata,ac ſubſcripta.

DE POENIS, ET EARVM COGNITIONE. XCVIII.

OMNIA, & ſingula ſupra, & infraſcripta ſtatuta, & ſanctiones debeant inuiolabiliter,& prout in eis obſeruari,& vbi pœna determinata non eſſet,intelligatur, & ſit appoſita pœna librarũ triginta,& applicata pro medietate Cõmunis Arretij Cameræ,& pro quarta parte Rectori de prędictis executionẽ facienti,& pro altera quarta parte accuſatori: De pęnis autem applicandis ex forma dictorũ ſtatutorum alicui loco,officio,aut Magiſtratui Ciuitatis Arretij,aut in dicta Ciuitate exiſtenti iuriſdictio, & cognitio totaliter pertineat ad Capitaneũ dictæ Ciuitatis,& ad alios officiales,vel Magiſtratus,quibus dictę pœnæ ex forma prędictorũ ſtatutorũ attributę,& applicatę sũt,ſiue applicandæ,& habeat locũ præuentio: In quibus omnibus, niſi aliter expreſsè cautum appareat,procedatur sũmariè,ſine ſtrepitu,& figura iudicij, ſolũ facti veritate inſpecta; de quibus pœnis,& altera earũ cognoſci, & iudicari poſſit infra vnũ annum à die præuaricationis alicuius diſpoſiti in præſentibus ſanctionibus contra quemlibet contrafaciẽtem,& poſtea modo aliquo cognoſci non poſſit: Si verò aliquis ex ſupradictis, cui cõceſſa eſt iuriſdictio,& cognitio dictarum pœnarũ, non declararet aliquẽ delinquentem,ſeu facientem,aut omittentem,& ſeu nõ ſeruantem diſpoſita in hiſce ſtatutis pœnam incidiſſe,aut nõ condemnaret debita pœna in eis ordinata,ſed in minori, vel alia, ſucceſſor talis Rectoris,qui talem declarationem,aut condemnationem fecerit; teneatur tamen infra dictum annum cognoſcere de prædictis, & delinquentem condemnare in reſiduo dictæ pœnæ omiſſæ, vel in illa, quæ à ſtatutis apparet appoſita.

Q DE

DE APPLICATIONE POENARVM. XCIX.

QVONIAM condecens eſt, vt iuribus iura ſint conſonantia, ac propterea ſtatuta pręſentia diſſimilia non repetianrur, ac diſſonantia à capitulis initis cùm excelſa Repub. Florentina in ipſius pręſertim pręiudicium in hac præcipuè materia applicationis pœnarum, ſtatuerunt propterea, vt vbi per prędicta ſtatuta non repetiatur pœna alicui applicata intelligatur applicanda, & applicari debeat illis, & pro ea parte, quibus, & pro qua in dictis capitulis ſancitum reperiatur id, quod etiam intelligatur, vbi etiam pęna aliqua in dictis ſtatutis fuerit applicata contra normam dictorum capitulorum, vt identidem à diſpoſitione ſtatutorum prædictorum recedatur, ob ſeruenturq́; ad vnguem prædicta capitula, ſitq́; perinde, ac ſi in eo caſu de applicatione pęnarum non eſſet facta mentio; hoc tamen omne ſemper dumtaxat intelligendo, vbi non eſſet pœna applicata Magnificę Ciuitati Florentiæ, vel alicui eius Magiſtratui; quia tunc voluerunt, quòd ad dictam Ciuitatem, quod fuerit ſtatutum vſque quaque, ac prorſus obſeruari.

DE POENA NON PERMVTANDA. C.

NON poſſit aliqua pœna pecuniaria iniuncta hiſce ſtatutis pro aliquo delicto cõmutari in confinia, vel aliam pœnam, ſed delinquentes debeant omnino condemnari in pœnam pecuniariam ſecundum dicta ſtatuta, & ſi ſecus fieret non valeat, & pro non facta, & non mutata habeatur, & à ſucceſſore, & quocumque tempore recognoſci, & exequi debeat nulla ſeruata ſolemnitate, & habeatur, ac ſi fuiſſet condemnatus in pœnam à ſtatuto iniunctam; & ad eam malefactor ſemper teneri, & obligatus eſſe intelligatur, & ſit, & exequi valeat tàm contra principales, quàm contra eius fideiuſſorem.

DE OFFICIALIBVS NON SERVANTIBVS STATVTA. CI.

CAPITANEVS, cęteriq́; officiales, tàm eius, quàm Communis Arretij, etiam non requiſiti inuiolabiliter obſeruent, & obſeruare teneantur, & per eorum Officiales, & Familiam obſeruari faciant omnia, & quæcumque præſentis voluminis ſtatuta, Reformationes, & alia ordinamenta tàm edita, quàm edenda; & quilibet contrafaciens pro qualibet vice pœnam viginti quinque librarum ſe incurriſſe cognoſcat, & ipſo facto incurrat, niſi per aliud ſtatutum maior pœna imponeretur, quo caſu maior imponatur, & impoſita intelligatur.

FINIS TERTII LIBRI.

STATVTORVM
Liber Quartus.

DE DAMNO DATO. I.

OFFICIALES Damnorum Datorum, & Campariarum Ciuitatis Arretij habeant poteſtatem, & arbitrium inquirendi, & procedendi contra damnum dantes, & procedere teneantur etiam contra eos ad petitionem cuiuſlibet hoc petentis, & puniendi, & condemnandi omnem perſonam damnum dantem in bonis alterius exiſtentibus in Ciuitate, Campariis, & Cortynis Arretij, etiam minores ab annis decem ſupra; & pro condemnatione ipſorum minorum, & emendatione damnorum teneatur tutor pro pupillo, vel pupilla, pater pro filio, vel filia, dominus pro famulo, vel famula, ſi ad vtilitatem ipſius domini, vel eius animalium famulus aliquod damnum dederit; Pro quibus teneantur domini pro quacumque ſumma, & quantitate denariorum: Si verò à famulo, vel famula damnum datum eſſet non ad vtilitatem domini, teneatur ipſe dominus vſque ad quantitatem ſolidorum viginti den. aliquo in contrariũ non obſtante prædictis, & condemnare teneantur dicti officiales in pœnam horum ſtatutorum, & etiam Reformationum in poſterum faciendarum.

DE MODO, ET ORDINE PROCEDENDI IN CAVSIS DAMNORVM DATORVM. II.

CVILIBET damnum paſſo liceat damnum dantem pro damno dato coram officiale Damnorum datorum dumtaxat, & Syndicum illius Communitatis, vbi ſita ſunt bona, in quibus damnum datum eſſe diceretur, accuſare; dummodo ipſum damnum paſſus accuſet infra duos menſes à die damni dati, & ipſis elapſis non liceat aliquo modo, niſi, vt infra dicetur; Et quilibet Syndicus teneatur ſaltem ſemel qualibet hebdomada coram dicto Officiale comparere pœna librarum decem ſibi de facto auferenda, eidemq; comparenti Officialis præfatus intimare teneatur omnes accuſationes coram eo propoſitas, & ipſe ex officio teneatur infra biduum adire locum, vbi damnum eſſe diceretur, & cognoſcere, ſi damnum ſit: & ſi per Syndicum damnum datum eſſe negaretur citata parte, quæ accuſam propoſuit, cui credendum eſſe diſpoſuimus, ſummariè per Notarium cognoſcatur, ac infra octo dies continuos decidatur per eum; aliàs accuſa firma maneat; & ſi conuictus fuerit accuſans, vltra expenſas in duplum Syndico reficiendas, condemnetur in pœnam dupli fiſco ſoluendam, quam teneretur ſoluere accuſatus, ſi fuiſſet conuictus:

Et verſa vice Syndicus calumnioſam accuſam proponens, ſi in cauſa ſuccubuerit, pro qua debeat incamerari, & apotiſſam grauandi Victori petenti concedere Notarius teneatur: Et dicta lite, vt præmittitur, deciſa, dicto Syndico ipſo iure intelligatur ſtatutus terminus quindecim dierum, infra quos, vel apotiſſam ab accuſatore officiali prædicto præſenrare teneatur, vel damnum dantem denunciare: & infra dictum terminum teneatur dictus Syndicus ſub pœna ſolidorum quadraginta requirere dictum accuſantem, nunquid accuſationem proſequi, vel deſiſtere intendat, & pro poſſe curare, ipſam apotiſſam cancellationis obtinere: Et ſi Syndicus alium terminum petierit, officialis ille poſſit ei aſſignare alium terminum decem dierum, & non ampliorem; quibus terminis elapſis, ſi apotiſſam non præſentauerit, vel, vt infra de officio Syndicorum dicetur, non denunciauerit, ipſo facto Commune talis Syndici condemnatum eſſe intelligatur in pœna hiſce noſtris ſtatutis appoſita, & ad emendationem damni ipſi accuſanti; & præfato Communi contra talem ſuum Syndicum conceſſa facultas intelligatur grauari faciendi pro ſua indemnitate conſeruanda: Et præſentata dicto officiali apotiſſa damnum paſſi officialis ipſe accuſationem cancellare teneatur. Facta igitur per dictum Syndicum denunciatione præfatus officialis citare faciat denunciatum, cui ita citatus intelligatur terminus decē dierum ad ſe excuſandum à die factæ citationis; Quibus elapſis, ſi fuerit contumax, habeatur ipſo facto pro confeſſo, & conuicto, ac ſi per teſtes, & contra eum ad condemnationem procedatur, vt infra ſubiicietur; & ſi comparuerit, & calumnioſè denunciatum non probauerit, in dicto termino, procedatur ad condemnationem, vt dictum eſt: Et ſi calumnioſam fuiſſe denunciationem probauerit; pœnam duplam dictus Syndicus ſoluat, expenſaſq; in duplo ipſi denunciato calumnioſè ſatisfaciat, niſi denunciatus damnum, pro quo denunciatus eſſet, dediſſe diceretur, quo caſu talem denunciam ſine fraude feciſſe, ab omniq; pœna abſolutus eſſe intelligatur. Vbi verò accuſatus, vel inquiſitus, vel inuentus fuerit aliquis nominatim, & ſpecialiter citetur, & octo dierum terminum præfixum habeat; & ſi in eo contumax fuerit, pro confeſſo habeatur, ac ſi per teſtes verè conuictus eſſet, & contra eum ad condemnationem procedatur; & idem fiat, ſi comparuerit, & confeſſus fuerit: Et ſi infra dictum terminum comparuerit, & damnum dediſſe negauerit, & damnum paſſus per vnum teſtem de viſu, vel per duos teſtes de publica voce, & fama deponentes, vel per iuramentum ipſius vſque ad ſummam librarum duarum, & non vltra, arbitrio tamen officialis inſpecta qualitate perſonarum defetendum accuſatum damnum dediſſe probauerit, dictus accuſatus condemnetur ſecundum diſpoſitionem præſentium ſtaturorum: Et ſi accuſatus calumnioſam accuſationem fuiſſe probauerit; condemnetur accuſans in pœnam dupli, & expenſas in duplo ſoluat ipſi accuſato. Si verò accuſatus dicens accuſationem calumnioſam ſuccubuerit accuſanti, vel Syndico denuncianti, puniatur in pœnam dupli, & in expenſas duplas: Et ſemper accuſatus, denunciatus, inquiſitus, vel inuentus in pœna hiſce ſtatutis appoſita condemnatus intelligatur, & etiam accuſanti pro damni emendatione condemnatus, & licentia grauandi conceſſa intelligatur, & accuſanti illam petenti concedatur. Debeat ſemper dictus Officialis die Sabbathi ſaltem per dies octo ante condemnationes faciendas per publicum bannitorem apud columnam Plateę magnæ intimare, & notificare qualiter tali die condemnare intendit, & dictum proclama habeatur pro legitima citatione, & ipſos condemnatos in Cameram Communis Arretij deſcriptos conſignare teneatur Officiali Reſcontri Doganæ Arretinæ pro tempore exiſtenti immediatè lectos: Qui Officialis Reſcontri debeat eſſe præſens, dum fiunt condemnationes ſub pœna vigintiquinque librarum pro qualibet vice,

In quibus

In quibus quidem cauſis accuſationum, inquiſitionum, vel inuentionum præfatus officialis D. D. procedat de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij omni tempore etiam diebus Dominicis, & feſtiuis: Pro vno tamen damno, & de eodem loco, ſiue in vna, & eadem re, in vna, & eadem die, cùm vno, & eodem genere beſtiarum, quæ eſſent vnius Domini illato non liceat damnum paſſo, aut Syndico, vel Campario proponere, niſi vnam dumtaxat accuſationem, vel denunciationem, ſiue vnam partitam; & qui contrafecerit, teneatur accuſato perinde ac ſi verè accuſationem, vel denunciationem calumnioſam propoſuerit: Et officialis ipſe, qui partitas plures, vt ſupra, accumulauerit, vel ſcripſerit, puniatur pœna librarum decem qualibet vice ipſo facto auferenda, & Communi Arretij applicanda. Si verò fuerit forenſis, vel talis, qui non habitauerit in Ciuitate, vel in Campariis, vel Cortynis, qui accuſationem proponeret, teneatur prius dare idoneos fideiuſſores de ſtando iuri vſque in finem cauſæ, & ſoluendo iudicatum, ſi calumnioſa fuiſſet accuſatio; & inſuper eligere locum in Ciuitate, vel in Campariis, vbi poſſit citari ſpecificando locum, quem approbare intendit pro legitima citatione exequenda, aliàs accuſatio ſit, & intelligatur nulla, & calumnioſa; & officialis teneatur non admittere, & ſcribere talem accuſationem ſub pœna decem librarum pro medietate applicanda accuſato, & pro alia Communi Arretij, habeatq; auctoritatem pro executione ſui officij præcipiendi, & præcepta faciendi; illiq; non parentes condemnandi vſque in ſolidos viginti.

DE OFFICIO SYNDICORVM. III.

QVAELIBET Communitas Cortynarum Ciuitatis Arretij teneatur continuò habere Syndicum, vel Camparium, & quoties careret Syndico, vel Camparìo, teneatur ipſa Communitas ad pœnas, & ad emendationem damni, & intereſſe damnum paſſo, in quas pœnas ipſo facto incidat, & vlterius in pœnam librarum decem de facto per Officialem Damnorum datorum auferendam; & officialis ipſe teneatur infra tres dies incamerare, quæ pœna toties exigatur, donec talis Communitas Syndicum, vel Camparium eligere, ſeu deputare ceſſauerit: Qui Syndicus, vel Camparius quàm primum electus, ſeu creatus infra tres dies comparere debeat coram officiale Damnorum datorum, coram quo teneatur iurare eius officium fideliter, & iuſtè exercere iuxta formam ſtatutorum, & fideiuſſores præſtare de eius officio fideliter exercendo, & de faciendo omnia ea, ad quæ obligatus eſſet occaſione talis ſui officij: Et quilibet Syndicus, vel Camparius, teneatur eius Curiam à damnis cuſtodire, & inueſtigare, & diligenter inquirere, ſi quem damnificantem inuenerit; & ſi quem facta diligenti inueſtigatione inuenerit, teneatur ſecundum diſpoſitionem præſentium ſtatutorum coram officiale Damnorum datorum ſemper medio eius iuramento fideliter accuſare, vel denunciare, cuius accuſationibus, vel denunciationibus ſtetur, & fides indubitata adhibeatur, niſi contrarium per accuſatum, vel denunciatum probatum fuerit: Si verò dictus Syndicus facta diligenti, vt ſupra, inueſtigatione non reperiret, aut in eius villa, vel locis conuicinis non diceretur aliquis, ſeu aliqui dediſſe damnum, de quo accuſa propoſita eſſet, tunc aliquam denunciam facere non teneatur; & eo caſu Commune, & Villa ipſius Syndici dictum damnum, vt infra, emendare debeat, ſed ſi per accuſantem, ſeu alios probaretur in Villa, ſeu Commune dici, per quem, ſeu quos dictum damnum datum fuerit, & Syndicus non denunciauerit, tunc, & eo caſu dolo deſiiſſe denunciare intelligatur, & duplum pœnæ, quam damnificantes incurriſſent, ipſe Syndicus incurrat.

Et quia ſæpius poſt duos menſes ad accuſandum datos, vt ſupra, damna incognita reperiuntur, ſtatuerunt, quòd ſi infra alios ſex menſes de damnificatione notitia habeatur, tunc villa, Syndicus, vel damnum paſſus poſſint accuſare dictum damnificantem, & contra eum procedi poſſit, & teneatur ad pœnam, & damni emendationem ei, qui emendationem ſoluerit, vel damnum paſſo, ſi non dum ſibi de damno ſatisfactum fuerit. Teneatur inſuper quilibet Syndicus, vel Camparius qualibet Hebdomada ſaltem vna vice comparere coram officiale D. D. prout in alio capitulo diſpoſitum eſt ſub pœna, vt dictum eſt. Ac etiam nullus, qui fuerit Syndicus, vel Camparius in dictis Cortynis ad denunciandum damnum dantes deputatus, poſſit dictum officium exercere, niſi per annum, & ab eodem tàm ipſe, quàm filius, nepos, & frater habeant deuetum, ac prohibitionem ſaltem per duos annos continuos, excipientes tamen omnes, qui minori tempore vnius anni, vel extrahuntur, vel eliguntur ad dictum officium exercendum, quos per annum tantummodo ab eo habere deuetum ſtatuimus pœna librarum viginti quinque contrafacienti acceptanti, vel exerceti, & acta per eum nullius ſint efficaciæ, vel momenti, eiusq; officio depoſito debeat Syndicari coram ſupra Syndicis Cortynarum, vel deputatis ab eis per quindecim dies à die bannimenti facti, quod tamen mitti debeat ſaltem infra octo dies à die depoſiti officij.

DE OFFICIO CAMPARII. IIII.

COMMVNITAS Arretij pro cuſtodiendis Campariis deputare debeat tres, vel ad plus quatuor Camparios pro mercede ſtatuenda per Dominos Priores vnà cùm eorum Collegis; qui Camparij in principio eorum officij infra tres dies, poſtquam electi erunt, comparere debeant coram officiale D.D. & Campariarum, & iurare teneantur eorum officium fideliter, & iuſtè exercere iuxta formam ſtatutorum, & Camparias à damnis cuſtodire, & qualibet die etiam Dominicis, & feſtiuis teneatur ire per Camparias ſub pœna ſolidorum quadraginta pro qualibet die, qua ceſſauerint; & debeant diligenter inueſtigare, & inquirere, ſi quem damnificantem inuenerint, & facta diligenti inueſtigatione, ſi quis Camparius aliquem damnificantem inuenerit cùm perſona, vel cùm beſtiis medio eius iuramento accuſationem proponat coram ipſo officiale Campariarum, & non coram alio officiale, & teneatur qualibet die, qua damnificantem inuenerit accuſationes proponere, & eorum accuſationibus ſtetur, & fides adhibeatur, niſi per accuſarum contrarium fuerit probatum, & ſi quis Camparius aliquem falsò, vel calumnioſè fuerit repertus accuſaſſe, teneatur accuſato in pœnam dupli, & expenſas duplas inſpecta pœna, quę imponeretur, ſi veram accuſationem propoſuiſſet, & vlterius teneatur Communi Arretij ad pœnam librarum quinquaginta den: quas ſi infra quinque dies non ſoluerit, fuſtigetur, & ſcopetur per loca ſolita Ciuitatis Arretij: ſi verò accuſatus dicens accuſationem calumnioſam, ſuccubuerit eamdem pœnam, & expenſas ſoluat. Vniuerſitati autem Cortynarum liceat mittere Cuſtodes cùm dictis Campariis ſumptibus tamen Cortynarum; qui Cuſtodes, ſi à Cortynis fuerint deputati, ſtatim, quòd electi fuerint, teneantur comparere coram officiale Campariarum, & coram eo iurare de exercendo eorum officium fideliter; & officialis debeat ordinare locum, & horam, vt dicti cuſtodes poſſint ſociare vnumquemque Camparium, & inſimul cùm Campario Camparias cuſtodire à damnis, & ſi quem damnificantem inueniant, debeant eſſe præſentes, quando Camparius accuſationem proponit; & ſi dicti cuſtodes ceſſauerint aſſociare dictos Camparios poſſit quilibet Camparius ſolus ſuum officium exercere. Inſuper quando cuſtodes

Corty-

Cortynarum interuenerint, officialis exigere debeat à quolibet accuſato cancellante ſolidos tres, & den: octo pro qualibet cancellatione cuiuſcumque accuſationis, ſeu inuentionis, de quibus ſolui debeat den: octo officialibus deputatis à Cortynis occaſione mercedis dictorum cuſtodum: Si verò dicti cuſtodes non fuerint deputati, ſeu deputati ceſſauerint eorum officium exercere, tunc officialis pro qualibet celatione exigere debeat ſolidos tres denariorum paruorum.

DE CITATIONIBVS FACIENDIS. V.

IN Cauſis damnorum datorum Nuncius officialis D. D. citationes fideliter faciat in perſona, vel ad domum, & ſic referat citaſſe. Inſuper dictus officialis teneatur ſcribere duplicem cędulam omnium citationum, & ipſi nuncio conſignare, quarum vnam relaxet Syndico Villæ, vel Communitatis, vt citandi duplici beneficio potiantur; alteram verò reſignet, & reportet dicto officiali, quando refert citationes executũ eſſe. In Campariis verò ſufficiat citatio facta in perſona, vel ad domum exceptis tamen citationibus ad cõdemnationes faciẽdas, quę per publicum proclama ſufficiant, vt in alio capitulo diſpoſitum fuit: Nuncius verò pro ſua mercede cuiuſcumque citationis factę habeat prout infra eſt diſpoſitum.

In Villa Pomarij	ſol. 2.	Poggiolarum	ſol. 1. 4.
Gragnani	ſol. 1.	Clauis	ſol. 1. 4.
Petramalæ	ſol. 2.	Ruſcelli	ſol. 2.
Sancti Poli	ſol. 1.	Baptifollis	ſol. 2.
Antriæ	ſol. 1. 4.	Agazzi	ſol. 1.
Lucignanelli	ſol. 1. 4.	Vignalis Agazzi	ſol. 1.
Gelli	ſol. 2.	Sancti Zenonis	ſol. 1. 4.
Tregozzani	ſol. 2.	Sancti Anaſtaſij	ſol. 1. 4.
Sancti Quirici	ſol. 1. 4.	Plebis ad quartum	ſol. 1. 4.
Campriani	ſol. 2.	Pilij	ſol. 2.
Claſſis	ſol. 2.	Puliciani	ſol. 2. 4.
Mucciaforis	ſol. 2.	Regutini	ſol. 3.
Marcenæ	ſol. 3.	Vitiani	ſol. 4.
Apuliæ	ſol. 1.	Sanctæ Formenæ	ſol. 1.
Pettognani	ſol. 1.	Sancti Marci	ſol. 1.
Stoppielli	ſol. 1.	Monaſterij	ſol. 1.
Ciciliani	ſol. 1.	Collis Sancti Archangeli	ſol. 1.
Patrignonis	ſol. 1.	Saccionis	ſol. 1. 4.
Quaratæ	ſol. 1. 4.	Plebis balnei aurei	ſol. 1. 4.
Veneris	ſol. 1. 4.	Lignani	ſol. 2.
Montis	ſol. 2.	Boſſi	ſol. 1. 4.
Cincelli	ſol. 3.	Calbij	ſol. 2.
Migliſciani	ſol. 3.	Querceti	ſol. 2.
Rondinis	ſol. 3.	Sancti Florentij	ſol. 1. 4.
Sancti Lei	ſol. 1.	Staggiani	ſol. 1.
Pratantichi	ſol. 1.	Peneti	ſol. 2.
Gioui	ſol. 2.	Sancti Seueri	ſol. 2.
Talzani	ſol. 2.	Talamonis	ſol. 2.

Ran-

Ranconicæ	fol. 2.	Cicciani, Collis longi, & Caſtel lonchi	fol. 4.
Cuoli	fol. 2.	Vignalis Collis longi	fol. 3.
Crucis	fol. 3.	Maiani	fol. 4.
Plebis Sancti Caſſiani	fol. 4.	Biuignani	fol. 5.
Galori	fol. 4.	Nuouolis	fol. 5.
Renzanæ	fol. 5.	Albiani	fol. 4.
Ranchij	fol. 5.	Raſſinatæ.	fol. 5.
S. Veriani, & Parnacciani	fol. 4.		

QVOD HABENTES LICENTIAM. VI.

ACCVSATI, vel denunciati, inquiſiti, ſeu inuenti, ſi probarent per inſtrumentum, vel per teſtes, vel iuramentum damnum paſſi ſe habuiſſe licentiam ab ipſo damnum paſſo ante accuſationem, ſeu inquiſitionem propoſitam intrãdi, ac accipiendi res, quarum occaſione facta eſſet accuſatio, cancellentur, & liberentur omnino ſine aliqua pœna, & grauamine expenſarum, & depoſita, quæ facta eſſent dictis de cauſis, reſtituantur eis, qui ſic probauerint cùm effectu; & hoc locum non habeat in operariis miſſis ad quodcumque laborerium.

DE MODO, ET ORDINE CONDEMNANDI, ET INCAMERANDI. VII.

OFFICIALIS damnorum datorum, & Campariarum cauſas d. d. expedire debeat à die introitus ſui officij incipiendo quolibet bimeſtri ſeruatis ſeruandis, condemnet omnes condemnandos, & eos Cameræ conſignet condemnando ſecundum pœnas diſpoſitas per ſtatuta, quas ipſe officialis non poſſit minuere ſub pœna librarum centum den. de facto ab eo auferenda, & Communi Arretij applicanda, niſi accuſati, vel denunciati ab accuſante licentiam habuerint. Teneatur inſuper officialis de omnibus condemnandis facere, & ſcribere duas copias, quarum alteram conſignare debeat officiali reſcontri immediatè lectas, & alteram copiam Cancellario Communis Arretij ſub pœna prædicta: Condemnati verò, & incamerati ad grauandum dari non poſſint, niſi poſt quindecim dies, & à condemnationibus prædictis habeant recurſum ad D. P. infra ſex dies à die factarum condemnationum: qui quidem D. P. eos benignè audiant, & ius, & Iuſtitiam eis adminiſtrent cauſas prædictorum expediendo infra octo dies immediatè ſequentes ſummariè, & ſola facti viſa veritate, ſententias in totum, vel in partem improbando, vel confirmando, vel etiam nullas dicendo, vt Iuſtitię conuenire videbitur: expreſsè declarantes, quòd pœnas dictorum ſtatutorum nullo modo poſſint augere, & ſi ſententia dictorum D. P. non fuerit, & in quantum non fuerit conformis cùm ſententia dictorum officialium, appellare liceat ad magnificum D. Capitaneum dictæ Ciuitatis; qui ſimiliter in dictis cauſis poſſit, & debeat procedere ſummariè, prout ſupra, talem ſententiam confirmando, vel improbando, vel reformando in totum, vel in partem, prout videbitur Iuſtitię conuenire; & pars, quæ reportauerit contra ſe duas ſententias conformes nullo modo appellare poſſit, ſed omnino acquieſcere teneatur.

DE

DE MODO EMENDANDI DAMNA. VIII.

DAMNVM paſſus conſequi poſſit ab accuſato, ſiue denunciato, inquiſito, ſeu inuento pro emendatione ſui damni, ſi damnum eſſet æſtimabile, tantam ſummam, & quantitatem duplicatam pecuniarum, quanta eſſet æſtimatio ipſius damni, quæ æſtimatio fieri poſſit ad petitionem dictorum accuſati, denunciati, vel inuenti, ſeu inquiſiti per duos à partibus eligendos infra quindecim dies à die habitæ notitiæ de accuſatione, denunciatione, inquiſitione, vel inuentione; quòd ſi in dicto termino non ſint concordes, eligatur tertius per officialem, quo electo infra ſex dies tunc ſequentes ſaltem per duos ex electis fiat æſtimatio, cùm ſalario ante omnia deponendo per dictum reum ſoluendo dictis æſtimatoribus ad declarationem dicti officialis, dummodo non excedat ſummam ſolidorum duodecim; pro qua quidem æſtimatione, & expenſis in ea quomodocumque factis officialis licentiam grauandi damnum paſſo concedat, & caſu quo in defectu damnum paſſi damnum infra dictum tempus non æſtimaretur; tunc, & eo caſu liceat dicto officiali cancellare dictam accuſationem, denunciationem, vel inuentionem etiam absq; alia apotiſſa ipſius: intelligendo prædicta ſibi locum vendicare etiam in bonis, ne dum Ciuium, ſed Ciuitatem habitantium. Inter Comitatinos, & Comitatinos de eorum bonis ſtetur æſtimatoribus illius Communis, in quo damnum datum eſſe dicitur: ſi verò damnum non eſſet æſtimabile, ſeu æſtimatio infra dictum tempus facta non eſſet, tunc damnum paſſus conſequi poſſit tantam ſummam, & quantitatem, quanta eſt dimidietas pœnę inſpecta pœna, in quã acccuſatus, vel denunciatus, ſeu inuentus, ſeu inquiſitus incurſus eſſet ſecundum diſpoſitionem præſentium ſtatutorũ: ſi autem dictę quantitati noluerint ſtare, ſeu quantitas damni ipſam medietatem pœnæ excederet, ſit ſemper in facultate damnum paſſi eius damnum probare per teſtem, vel per teſtes iuratos, & parte citata: & officialis teneatur concedere ipſi damnum paſſo apotiſſam grauaminis de quantitate probata, etiam ſi accuſatus, denunciatus, inquiſitus, ſeu inuentus habuiſſet licentiam cancellandi; poſſit etiam quantitas damni probari per iuramentum ipſius accuſantis, ſeu damnũ paſſi vſque in quantitatem ſolidorum viginti; cui iuramento in tanta quantitate, & non in maiori plena fides adhibeatur.

DE EXACTIONIBVS FACIENDIS PER OFFICIALEM. IX.

OFFICIALIS Damnorum Datorum ab accuſatis, denunciatis, inquiſitis, ſeu inuentis cancellantibus exigere debeat pro cancellatione qualibet ſolidos duos den. Syndicus verò ſi ante denunciationem cancellauerit, ſoluere debeat ſolidos duos, ſi vnam vsq; in tres cancellationes incluſiuè cancellauerit pro quolibet accuſante: ſi verò dictas tres accuſationes exceſſerit ſoluat ſolidum vnum pro qualibet accuſatione; pro quolibet termino aſſignando exigere debeat den. octo: pro examinatione cuiuſcumque teſtis habere debeat ſolidos quatuor: pro quolibet pręcepto ſolidum vnũ; Nuncius verò pro præcepto portando habere debeat duplum eius, quod habere deberet pro citatione facienda: officialis verò Campariarum exigere debeat ſecundum quod ordinatum eſt de offi. Camp. inſi. pro mercede cancellationis.

DE INQVIRENDO CONTRA DIFFAMATOS DAMNVM DARE. X.

TENEANTVR officiales Damnorum datorum,& Campariarum ex eorum officio, & etiam ad petitionem cuiuslibet petentis inquirere diligenter, & inquiſitionem facere contra omnes,& ſingulos de Ciuitate,Campaniis,Cortynis Arretij, & alios quoſcumque diffamatos damnum dare, & ab eis, & quolibet eorum recipere idoneam cautionem de damno non dando,& mandatis officialis parendo, & de ſoluendo omnem condemnationem tàm emendationis, quàm pœnæ, quę fieret contra eos, vel aliquem eorum occaſione damni dati: Et ſi quis de dictis diffamatis ceſſauerit dictam ſatisdationem pręſtare, vel non paruerit requiſitionibus, & mandatis dicti officialis,teneatur cùm effectu officialis Damnorum datorum,& Campariarum talem, ſeu tales diffamatos in vigintiquinque libris den. exbanniri facere,& condemnare; & ſi dicti officiales prædicta non fecerint, aut in aliquo de prædictis fuerint negligentes in pœnam vigintiquinque librarum den. ipſo facto quilibet, qui non obſeruauerit,incurrat: Et ille intelligatur,& habeatur diffamatus,qui videbitur officiali in hoc eius conſcientiam aggrauando, & etiam quicumque probabitur diffamatus per iuramentum ipſius aſſerentis, & accuſationem facientis adiuncto vno teſte.

DE DIFFINITIONE, ET TERMINO CAMPARIARVM. XI.

CAMPARIAE ſint, & eſſe intelligantur extra muros,& à muris Ciuitatis Arretij ſecundum conuentionem hactenus factam, & terminos poſitos, & in ipſis Campariis liceat cuilibet retinere, & paſturare dumtaxat infraſcriptum numerum beſtiarum v ʒ. quatuor beſtias bouinas, quatuor aſininas, caballinas, ſeu mulinas inſimul connumerando, & computando; porcinas verò duas, & qui contrafecerit puniatur pro qualibet beſtia groſſa in libris tribus den. & pro qualibet beſtia minuta in ſolidis decem, & pro qualibet die, qua contrafactum fuerit in aliquo genere dictarum beſtiarum; liceat tamen his, qui haberent domum, & familiariter habitauerint in Campariis prædictis, & in eis quolibet anno ſeminarent ſtaria decem grani ad minus retinere, & paſcere in dictis Campariis vſque ad numerum beſtiarum ouinarum triginta, & non vltra: hominibus autem Cortynarum, qui familiariter habitarent in eis, & in Campariis prædictis ſtaria viginti grani ſingulis annis ad minus ſererent, ibidem paſturare beſtias ouinas triginta, prout iis, qui in Campariis morantur, licere concedimus; dummodo Notario Damnorum datorum fideiuſſores idoneos præſtent de ſoluendo omnem, & quamcumque condemnationem, & damnum, cui de iure competit, aliàs dicto fideiuſſore non dato, vt ſupra, eas paſturari prohibemus: Quæ tamen beſtię retineri,& paſcere non poſſint in locis infraſcriptis v ʒ. in Podio Caſtri ſicchi, Pitigliani, Sancti Fumagij,ſeu della Striſcia, Sancti Fabiani, Sancti Philippi, & Fontis ſiccæ,vſque in eorum pendicibus, & locis ſub dictis Podiis comprehenſis ſub pœna prædicta: Poſſint etiam Beccarij Ciuitatis retinere ad paſturandum in dictis Campariis exceptis locis ſupradictis pro macellando tantùm in dicta Ciuitate beſtias ouinas quadraginta,& non vltra pro quolibet banco, inter quas ſaltem habere debeant caſtratos decem pro macellando, vt ſupra, ſub pœna librarum vigintiquinque denariorum; quæ pœnæ pro dimidia Communi Arretij, pro quarta Officialibus Graſciæ, & pro alia Officiali

 Damno-

Damnorum datorum ſi condemnationem fecerit, & incamerauerit, & pœna exacta fuerit, applicentur.

DE DAMNIS DATIS PERSONALITER. XII.

IN Ciuitate, Campariis, vel Cortynis damnum dans perſonaliter colligendo fructus arborum puniatur pœna librarum duarum den. pro qualibet vice, & pro qualibet arbore, & arbores deuaſtans frangendo ramos, vel incidendo, in libris tribus cùm dimidia: & ſi quis arborem domeſticam penitus incideret, vel eradicaret pœna ſupra ſcripta duplicata puniatur: Et ſi quis inſitas arbores, vel vites incideret, vel eradicaret, ſeu deuaſtaret, puniatur pœna librarum quinque pro qualibet inſita, vel vite: Et ſi quis incideret ſepes ad vſum aucupandi ordinatas, puniatur pœna librarum quatuor. Et ſi protholos, ſepes hortorum, vinearum, vel aliquam aliam ſepem incideret, vel deuaſtaret, puniatur pœna librarum duarum, & ſi corticem alicuius ſalicis, vel populi, ſeu oppij euelleret, vel ſi dictam arborem eradicaret, vel incideret, ſi vnius anni in circa nouella fuerit, puniatur damnum dans pœna ſolidorum viginti pro qualibet arbore: ſi verò nouella non fuerit, ſed maioris temporis, puniatur in libris tribus: Et ſi ſuper dictis arboribus quis fecerit palos, vincos, vel ramos inciderit, puniatur damnum dans pœna ſolidorum vigintiquinque den. Et ſi aliquis in vineis alterius, vel botticellis colligeret vuas agreſtes, aut maturas, puniatur in ſolidis viginti; ſi verò ipſas vuas collegerit aſportando caneſtrum, ciſtam, vel bigonem, puniatur pœna duplicata. Et ſi quis ex vineis, vel botticellis deportauerit, vel abſtulerit cannas, vel palos, puniatur in libris duabus pro qualibet vice: Et ſi quis in Syluis inciderit quercus, cerros groſſas, & Caſtaneas groſſas domeſticas, puniatur in libris ſeptem pro qualibet arbore: Et ſi quis querciuolos, cerrachiolos, puniatur in ſolidis viginti, & ſi caſtaneolos inciderit, puniatur in libris duabus: Et ſi quis damnum daret in Syluis faciendo vimina, ſeu incidendo Syluam remittentem, puniatur in libris tribus: Et ſi in faciendo fraſcas, ſeu ſcopas in ſolidis viginti. Et ſi in Syluis decepparet, ſeu eradicaret, puniatur in libris tribus: Et ſi quis varcos in bonis alterius aperiret, puniatur in ſolidis viginti. Et ſi varcos in bonis alterius ageret deuaſtando, ſeu explanando, puniatur in libris duabus. Et ſi quis tragettam faceret trauerſando bona alterius, puniatur in libris duabus: Et ſi quis damnum daret colligendo glandes, vel caſtaneas in Syluis alterius caniſtro, ſacco, vel ſimilibus, puniatur in ſolidis viginti, & ſi alio modo collegerit, in ſolidis decem pro qualibet vice: Et ſi quis in horto alterius damnum daret, puniatur in libris duabus: Et ſi inhoneſtè hortum deuaſtaret, ſeu incidendo, ſeu eradicando, pœna duplicetur. Et ſi quis damnum daret in prato alterius ſecando fœnum, puniatur pœna ſolidorum viginti. Et ſi quis depopularet, vel reuerſaret bladum alterius in herba, ſeu ante maturationem eius, puniatur in libris decem pro qualibet vice, & idem obſeruetur contra auferentes granum, & quodlibet genus bladi meſſi alterius, puniatur in libris decem pro qualibet vice: Et ſi quis damnum daret colligendo legumina, puniatur pœna ſolidorum viginti. Et ſi contigerit in aliqua ex prædictis cauſis, accuſatorem ſuam accuſationem probare per vnum teſtem de viſu, vel per duos teſtes de publica voce, & fama deponentes, tunc pœna duplicetur: Eodem modo duplicetur quoties accuſatio, inquiſitio, ſeu inuentio nominatim, & ſpecialiter de damnum dante fuerit propoſita: Duplicentur etiã pœnæ, & expenſę in omnibus damnis datis de nocte. Item quando damnum datum eſſet ab aliquo forenſe, quibus forenſibus, & etiam habitatoribus dictarum Campariarum, & Cortynarum nullo modo liceat extrahere, ſeu extrahi facere de dictis Campariis,

riis,vel Cortynis reſpectiuè ligna natura ſui apta ad ignem, ſeu pro igne, niſi dictorum lignorum domini ſint, & ea ad Ciuitatem Arretij dumtaxat ducere, ſeu duci facere intendant,& duxerint,ſeu duci fecerint ſub pœna librarum decem pro qualibet beſtia,& qualibet vice; & quas beſtias,vt ſupra,portãtes dicta ligna liceat vnicuiq; eas inuenienti ducere ad dictũ officialem Damnorũ datorũ, qui officialis certiotatus ſtatim eas vendi facere ad ſonũ tubæ; & plus offerenti dare teneatur,& aſſignare partem pœnę ſupradictarum librarum decem cuicumque,tertiam ſcilicet Communi Arretij,tertiam inuentori, & tertiam ipſi officiali, qui omne reſiduum precij ſolutis expenſis immediatè dominis dictarum beſtiarum reſtitui faciat; & id, quod ſub dicta pœna prohibitum eſt forenſibus,& permiſſum, vt ſupra,intelligatur, & prohibitum, & permiſſum etiam habitantibus Camparias, & Cortynas reſpectiuè ligna, vt ſupra, extrahentibus. Item in omnibus damnis datis in Ciuitate Arretij. Item ſi quis non eſſet ſoluendo, puniatur pœna corporali per ſupradictum D. Capitaneum, ſi fuerit requiſitus; attenta maximè qualitate delicti, & perſonæ.

DE DAMNIS DATIS CVM BESTIIS. XIII.

NEMINI etiam ibi continuè habitanti à prima die menſis Martij ad decimam quintam menſis Iulij liceat in Campariis retinere beſtias bouinas ad paſturandum, niſi cùm funibus ligatas, & in manibus retentis ſub pœna ſolidorum viginti pro qualibet beſtia, & qualibet vice, & caſu quo aliquis retineret ipſas ligatas, & funem præ manibus haberet, & nihilominus beſtiæ damnum darent, incidat dicto caſu in pœnam dupli pœnæ à ſtatutis ordinatę: Et ſi cùm aliquo genere beſtiarum damnum datum eſſet in Campariis, Cortynis, vel in Ciuitate Arretij, puniatur dominus beſtiarum, ſi damnum datum eſſet plantonibus oliuarum, ſeu oliuis remittentibus in libris duabus den. pro qualibet arbore. Item ſi quis cùm beſtiis à Kal. menſis Martij, vſque ad medium menſem Octobris in vineis, vel botticellis alterius, aut vitibus cuiuſcumque generis damnum daret,ſi beſtiæ fuerint porcinæ,aſininæ,gaballinę,mulinę, bouinæ,vel caprinæ puniatur dominus beſtiarum in ſolidis decem pro qualibet,& pro qualibet alia beſtia in ſolidis duobus: ſi verò à medio menſe Octobris vſque ad menſẽ Martij excluſiuè in dictis vineis, vel botticellis cùm beſtiis damnum daret, puniatur dominus beſtiarum pro qualibet beſtia in medietate dictarum pœnatum. Item ſi quis in canneto à Kal. menſis Martij, vſque ad menſem Iulij cùm beſtiis cuiuſcumque generis exceptis ouinis damnum daret,puniatur dominus beſtiarum in ſolidis decem pro qualibet beſtia,& pro quacumque beſtia ouina ſolido vno,& in aliis temporibus in medietate dictarum pœnarum. Si quis cùm aliquo genere beſtiarum damnum daret in aliquo horto, puniatur dominus beſtiarum in ſolidis decem pro qualibet beſtia: ſi verò in croco damnum datum fuerit, ſi fuerint beſtiæ porcinæ, puniatur dominus beſtiarum in libra vna denariorum pro qualibet beſtia; ſi verò fuerint groſſæ beſtię puniatur in ſolidis decem pro qualibet beſtia: ſi verò fuerint minutę beſtiæ, puniatur in ſolido vno: ſi aliquis in aliquo prato à Kal. menſis Martij vſque ad ſecaturam damnum daret,ſi fuerint beſtiæ groſſę,in ſolidis quatuor; ſi porcinę,puniatur dominus beſtiarũ in ſolidis ſex pro qualibet beſtia, & pro qualibet die: ſi verò fuerint beſtiæ minutæ, puniatur in ſolido vno pro qualibet beſtia: In aliis verò menſibus ſi damnum datum eſſet cùm beſtiis porcinis,puniatur dominus beſtiarum in ſolidis tribus pro qualibet beſtia porcina: Et ſi quis vſque ad menſem Martij cùm beſtiis damnum daret in granis, puniatur dominus beſtiarum in ſolidis quinque pro qualibet beſtia groſſa, & in ſolido

vno

vno pro qualibet beſtia minuta: Si verò in aliis bladis, vel paſturis, in medietate dictę pœnæ: Si verò à Kal.menſis Martij vltra, talia damna data eſſent, puniatur dominus beſtiarum pœna duplicata pro qualibet beſtia: Et ſi quis à kal. menſis Nouembris vſque ad menſem Ianuarij incluſiuè cùm beſtiis paſturaret in oliuetis, puniatur in ſolidis ſeptem pro qualibet beſtia,& ſi cùm beſtiis ouinis, vel alterius generis minutis,puniatur in ſolido vno pro qualibet beſtia: Et ſi cùm beſtiis, damnum datum eſſet glandibus, vel caſtaneis in Syluis, puniatur dominus beſtiarum in ſolidis duobus pro qualibet beſtia. Liceat ſemper damnum paſſo, vel alteri de cōnſenſu eius beſtias repertas damnum dare, eas apprehendĕre,& ducere ad officialē Damnorum datorum, & ei conſignare; qui officialis immediatè eas Maſſariis Ciuitatis conſignare debeat, ſi adducens iurauerit dictas beſtias inueniſſe damnum dare; & ſi per aduerſarium contrarium probaretur, puniatur adducens pœna falſi, & ad expenſas dupli domino beſtiarum, & fiſco: Si verò beſtiarum dominus in probando defecerit, puniatur in expenſis dupli adducenti de facto dandis. Liceat etiam dumtaxat, vltra ſupradicta Syndico in Cortynis, & Campario in Campariis, & non alteri vllo modo permittimus, beſtias damnificantes repertas adducere ad Curiam, & conſignare officiali Damnorum datorum,vt ſupra; & qui eas adduceret, conſequi poſſit, & debeat à domino beſtiarum ſolidos tres pro qualibet beſtia groſſa, & pro ouinis, vel caprinis ſolidum vnum pro qualibet beſtia, & pro quacumque beſtia porcina ſolidum vnum conſequi debeat, & officialis,ſeu Maſſarij dictas beſtias ſic ipſis aſſignatas reſtituere non poſſint ſub pœna librarum vigintiquinque den. pro medietate Communi Arretij applicanda,& pro alia officiali integram pœnam ſoluere facienti,niſi prius ſatisfacto damnum paſſo, vel de eius expreſſa licentia, vel dato fideiuſſore de ſatisfaciendo domino,& fiſco:& caſu quo infra octo dies dominus beſtiarum non præſentauerit apotiſſam damnum paſſi, compellantur tàm reus,quàm fideiuſſor diebus etiam in honorem Dei feriatis non obſtantibus renuttere dictas beſtias in manibus Maſſarij ſub pœna librarum decem à quolibet eorum auferenda, &, vt ſupra, applicanda, & de facto, ac ſummariè ad executionem prędictorum procedatur: Pro tempore autem, quo dictas beſtias retinuerit Maſſarius antedictus, debeat ſatisfieri ſecundum ordinem hactenus obſeruatum. Et ſi contigerit in aliqua accuſatione accuſantem accuſationem ſuam probare per vnum teſtem de viſu,vel per duos teſtes de publica voce, & fama deponentes, tunc pœna talis damni duplicetur; non autem duplicetur emendatio quando accuſatio, inquiſitio, ſeu inuentio nominatim, & ſpecialiter fuerit propoſita de domino beſtiarum damnificantium. Item quando damnum fuerit datum de nocte, & ſimiliter quando fuerit datum ab aliquo forenſe. Item quando damnum fit in Ciuitate. Inſuper ſi beſtię fuerint inuentæ ſine paſtore in bonis alterius, licèt damnum non dederint, puniatur dominus beſtiarum in ſolidis tribus pro qualibet beſtia groſſa; & pro qualibet beſtia minuta in ſolido vno; & poſſint beſtiæ capi, vt ſupra, & conſignari officiali Damnorum datorum, & medietas pœnæ ſit ducentis beſtias,& alia medietas ſit Communis Arretij. Inſuper nulla perſona poſſit beſtias cuiuſcumque generis paſturare, ſeu paſcere in Ciuitate Arretij, niſi circùm muros Ciuitatis,nec alibi,licèt damnum non dederit,ſub pœna ſolidorum quadraginta pro qualibet beſtia groſſa, & ſolidorum decem pro qualibet beſtia minuta: caprę autem in plano propè Ciuitatem ad quatuor milliaria retineri non poſſint:in podiis pariter non concedimus ſine licentia Dominorum Priorum dictæ Ciuitatis Arretij, qui habeant auctoritatem, ſi eis viſum fuerit non eſſe damnoſum, & ſi dictæ beſtiæ inuentę fuerint per quamcumque perſonam capi, & conſignari officiali Damnorum datorum poſſint. Inſuper ſi quis in quocumque caſu impedierit capientes, vel ad

ducentes beſtias ad officialem, incidat ipſo facto pœnam librarum decem den. pro tertia parte conducenti applicanda, pro tertia Communi Arretij, & pro alia tertia officiali integram pœnam ſoluere facienti; & de impedimento ſtetur iuramento adducentis ipſas beſtias adiuncto vno teſte de viſu, vel duobus teſtibus de publica voce; & fama. Cęterum qui non haberet vnam beſtiam bouinam, cùm qua laboraret, & ſeminaret, aut non ſeminaret decem ſtaria grani ad minus, non poſſit, nec ei modo aliquo liceat retinere in Cortynis Ciuitatis Arretij, neque in aliquo Communi, & Curia dictarum Cortynatum, niſi vnam, vel duas beſtias aptas ad vehendum ſalmas v3. caballinas, mulinas, & aſininas cùm eorum fœtibus, duasq; porcinas; ouinas verò decem & non vltra ſub pœna librarum vigintiquinque, niſi obtinuerit licentiam à Magnificis Dominis Prioribus dictæ Ciuitatis Arretij; & teneantur Syndici Cortynarum ſub dicta pœna notificare curiæ D. Capitanei huic ſtatuto contrafacientes: Teneaturq; inſuper D. Capitaneus inquiſitionem facere, punire, & condemnare, & huius ſtatuti verſiculus quolibet anno de menſe Octobris publicè banniatur.

DE POENA PASTORVM PORTANTIVM ARMA. XIIII.

NVLLVS paſtor audeat, vel præſumat ferre arma offenſibilia cuiuſcumque generis, nec etiam apta ad incidendum, & qui contrafecerit, puniatur per officialem Damnorum datorum in libris decem pro qualibet vice, & de prędictis ſtetur denunciationi damnificati, vel alterius accuſantis, dummodo iuramentum pręſtiterit; & non aliter ſibi credatur, & ſi probabitur contrarium pœna falſi plectatur accuſans, & vlterius ad damna, & expenſas duplas accuſato reficiendas: ſi verò accuſatus ſuccubuerit, incidat in pœnam dupli accuſanti præſtandam; & intelligatur eſſe paſtor, quicumque inuentus fuerit parare beſtias, vel beſtiam.

QVOD LICEAT CVILIBET OCCIDERE BESTIAS DAMNVM DARE REPERTAS. XV.

SI quis inuenerit captas, Hircos, beſtias quaſcumque porcinas, vel canes paſturare in ſuis vineis, vel hortis clauſis, vel de guardia, vel in cannetis, poſſit ipſas beſtias ſupraſcriptas interficere ſine aliqua pœna, & banno, & emendatione, neminiq; liceat accuſare pro damnis datis occaſione ſupraſcriptarum beſtiarum, niſi domino bonorum, vel de eius conſenſu, vel Syndico in Cortynis, vel Campario in Camparijs.

DE POENA VENANTIVM, ET AVCVPANTIVM IN BONIS ALTERIVS. XVI.

NEMO aucupandi cauſa, vel venandi pedeſter, vel equeſter intrare audeat, vel debeat vineas clauſas, terras bladatas, vel hortos, vel Canneta alterius; Et qui contrafecerit, puniatur illa pœna, qua puniri deberent damnificantes bona alterius in ipſo loco.

DE POENA MITTENTIS AGRESTVM IN CIVITATEM ARRETII. XVII.

SI quis agreſtum de vuis acerbis miſerit in Ciuitatem Arretij ſine licentia officialis Damnorum datorum, vel Campariarum puniatur, ac ſi furtum feciſſet, ipſum emens ſimiliter puniatur, teneatur officialis Damnorum datorum, & Campariarum de prędictis inquirere ad petitionem cuiuslibet petentis,& hoc capitulum de menſe Iunij publicè banniatur, & hoc non habeat locum in dominis rerum.

DE POENA TENENTIS CANEM NON LIGATVM. XVIII.

HABENTES, vel tenentes canes in Campariis, vel Cortynis Arretij teneantur illos tenere ligatos à medio menſe Auguſti ad medium menſem Octobris: quod ſi non fecerint, per officialem Damnorum datorum condemnentur pro quolibet in pœnam ſolidorum quadraginta qualibet die, qua eos ligatos non tenuerint, & etiam ad damnum per eos datum emendandum damnum paſſo; & cuſtodes,& etiam Syndicus teneatur celatè denunciare tales, vt ſupra,non ligatos canes habentes, vel tenentes dicto tempore: quod ſi non fecerit, & de prædictis notitiam habuiſſe legitimè conuictus ſit,incidat dictus Syndicus in eamdem pœnam,qua tenerentur tales, vt ſupra, habentes, & tenentes canes non ligatos dicto tempore: & cuicumque habenti bona in dicto Communi liceat accuſare dictum Syndicum, qui ſciens tales, vt ſupra non denunciauerit: qui quidem, vt ſupra, habentes, & tenentes canes non ligatos accuſari poſſint etiam per quemlibet bona poſſidentem in dicto Commune: & de prędictis ſolus officialis Damnorum datorum, vel Campariarum ſit cognitor; Et nullus alius officialis Ciuitatis Arretij poſſit cognoſcere, vel in dictis cauſis ſe intromittere: Et hoc capitulum à medio menſe Auguſti per Ciuitatem Arretij publicè banniatur:liceat tamen dictis temporibus habentibus canes ducere cùm beſtiis ad paſturas; retinendo tamen eos ſemper ligatos excepto,quod ſi viderint feram syluestrem,liceat ſine pœna eos diſſoluere pro capiendo ipſam feram syluestrem, ad illumque dumtaxat effectum: Et iſtud capitulum non intelligatur in canibus paruis habentibus vncinum ad collum, & etiam in Ciuibus ducentibus catulos paruos,; & ſi de nocte fuerit contrauentum, vel contrafactum præſenti ſtatuto, pœna debeat duplicari.

DE POENA REDVCENTIVM VVAS ACERBAS, ET AMIGDALAS, ET QVOD POSSIT RIMARI. XIX.

PRAEDICTI officiales Damnorum datorum, & Campariarum,& eorum familia poſſint,quãdo voluerint,rimari,& ſcrutari facere omnes homines,& perſonas magnas,& paruas Ciuitatis Arretij,& in Campariis,& in viis publicis pro vuis,& amigdalis viridibus,antequam amigdalę ipſę coſtringãtur,non tamen dominũ,vel eius filios,vel familiares in poſſeſſione ſua,vel ante poſſeſſionem ſuã, & ſi aliquẽ inuenerint habentẽ vuas,vel amigdalas,inquirant diligenter,ſi fuerint de ſuis bonis,vel alterius;& ſi fuerint de alterius bonis, ſecundum conſcientiam dicti officialis puniatur deferens,

ac ſi inuentus eſſet damnum dare: Prędicti verò Officiales, vel Familiares non poſſint, nec debeant rimari, vel ſcrutari facere vllo modo mulieres, domicellas, vel puellas ſubter pro vuis, & amigdalis; & ſi contrafecerit, puniatur officialis in libris vigintiquinque denariorum pro qualibet vice.

DE POENA ARBITRARIA. XX.

SI pro aliquo damno dato prouiſum non eſſet de pœna per aliquod particulare ſtatutum, liceat damnum paſſo conſequi eius emendationem, quę per ipſum fuerit probata ex probationibus faciendis ſecundum ordinamenta pręſentium ſtatutorum; & tantundem nomine pœnæ accuſatus, denunciatus, inquiſitus, ſeu inuentus Communi Arretij condemnetur: ſi verò damnum paſſus liquidare ceſſauerit, ſeu noluerit officialis ipſe Damnorum datorum, & Campariarum habeat arbitrium, & poteſtatem condemnandi, & puniendi talem accuſatum, denunciatum, inquiſitum, ſeu inuentum vſque ad ſummam, & quantitatem ſolummodo librarum trium den. nomine pœnæ, conſiderata qualitate delicti, & quantitate damni.

DE POENA NON PERMITTENTIS SE DVCI AD CVRIAM. XXI.

SI quis inuentus à dictis Notariis, vel familia, vel à domino damnum paſſo delinquere, non fuerit paſſus ſe duci ad Curiam, & in fortiam Communis Arretij, aut fugerit ante eos nolendo cùm eis ire, condemnetur in libris decem, & credatur dicto, & denunciationi dicti Notarij, vel duorum ex dicta familia ſua in ſingulis caſibus; & ſi captus fuerit in dicta fuga, & duci ſe permiſerit, ad dictam pœnam decem librarum minimè teneatur.

DE VINDEMIIS, ET DE POENA DEFERENTIVM, VVAS IN SALMIS. XXII.

VINDEMIAE fieri non poſſint à quolibet à medio menſe Septembris in antea, & muſtum, & vuę deferri in ſalmis non poſſint à dicto termino in antea ſub pœna librarum quinque; quod tamen ſtatutum ſeruari volumus, vt ſupra in ſtatuto de feriis diſponitur.

DE ACCVSATIS PERSONALITER, ET TESTIBVS CONVICTIS, ET EORVM POENA. XXIII.

COGNOSCENTES damna perſonaliter facta fore cęteris grauiora, ac Iuſtitię, & ęquitati conuenire pœnis maioribus cohercere deberi, ſtatuimus, quòd quicumque perſonaliter fuerit accuſatus, ac duobus teſtibus conuictus, vel ſponte confeſſus, vel contumax, Notarius Damnorum datorum teneatur ipſum condemnare, & incamerare in pœnam hiſce noſtris ſtatutis ordinatam, etiam quod licentiam à damnum paſſo habuerit, quæ prodeſſe volumus accuſato, quo ad emendam tantùm damnum paſſi: ſi verò damnum paſſus vno teſte probauerit accuſam ſuam, & licentiã fecerit, in dimidiam pœnæ condemnetur, ac inſuper emendam ſoluat, ſi in licentiam

expreſſè

expreſsè reſeruauerit, aliàs autem Notario apotiſſam grauandi dare non permittimus ſub pœna librarum decem ab eo auferenda, & Fiſco applicanda vltra damna, & intereſſe accuſato reficienda; & in omnibus ſupradictis caſibus, qui non poterit ſoluere in ęre, debeat D. Capitaneus à parte requiſitus punire pœna corporali attenta qualitate perſonę; omnesq́;, & ſingulę accuſationes, denunciationes, vel inquiſitiones contra quaſcumque perſonas hucusq́; factas, quę non ſunt apotiſſa damnum paſſi cancellatæ, debeant decidi, cancellari, terminari, ac incamerari ſecundum diſpoſitionem præſentium ſtatutorum.

QVOD CASSA, ET IRRITA SINT ALIA STATVTA. XXIIII.

CASSA, & irrita ſint, & eſſe intelligantur omnia ſtatuta, & ordinamenta hactenus facta, & ordinata, eaq́; in iudicio, vel extra quouis modo allegari poſſe prohibemus, & ſolum hoc noſtro Codice ſcripta, & contenta in his quatuor libris inuiolabiliter ſeruari mandamus.

DE NOVIS LEGIBVS COMPONENDIS. XXV.

IMPOSSIBILE enim eſt tales condere leges, quę numquam indigeant ſupplectione, & aliquãdo neceſſe eſt propter diuerſitatem temporum, & caſuum exigentiam nouas condere leges. Nouas igitur leges, & ſtatuta componi, conſtitui, atq́; corrigi ſolum poſſe per Conſilium dictæ Ciuitatis ſeruatis ſeruandis ſubſequenti approbatione, ac confirmatione Sereniſſimi Magni Ducis Noſtri, & quicquid aliter fieret ipſo iure, & omnino irritum eſſe decernimus.

DE REGVLIS STATVTORVM. XXVI.

MAIOR, & grauior pœna imponatur, & impoſita intelligatur in alternatiuis, vel vbi diuerſa pœna dicetur impoſita, & quilibet ea pœna condemnetur, quã iudicans magis timendam eſſe, & timeri debere iudicabit.

Vbi de aliquo fit mentio, idem de hæredibus intelligatur, præterquam in pœnalibus.

Vbi commodè, vel congruè fieri poteſt, vel diſcretiuè non dicitur, vel ratio eadem militat, ſemper maſculinum concipiat fœmininum.

Pluralis locutio etiam ſingularem comprehendat, & è contra.

Campariæ veniant appellatione Arretinæ Ciuitatis, ſi commodè, vel congruè adaptari poteſt.

Computatio graduum fiat ſecundum ius canonicum.

Nullus diuiſim poſſidens, qui ſuas grauedines, vel datia integraliter ſoluerit, pro alio ſoluere teneatur.

Poſſidens bona pro rata bonorum, & temporis grauedines, ac datia ſoluat.

Omnium, & quorumcumque tàm Capitanei, quàm etiam Communis Arretij Magiſtratuum, & officialium omnium officiales legum Ciuitatis Arretij Syndicos, & Syndicatores eſſe decreuimus, ac ſtatuimus, eisq́; plenam auctoritatem inquirendi, cognoſcendi, & vbi opus fuerit abſoluendi, atque condemnandi concedimus.

Prohibitio alienationis immobilium etiam ad locationes, vbi congruè, & commodè fieri poteſt, extendatur.

Conductores quoſcumque alteri locare prohibemus ſine expreſſo conſenſu domini, vel etiam poſſeſſoris, & vltra nullitatem locationis pœna librarum vigintiquinque pro medietate Communi Arretij, & pro alia domino, vel poſſeſſori ſoluatur.

Locatorem præſtitiſſe patientiã rei locatę conductori ipſi præſumi debere decreuimus.

Non poſſidentem rem immobilem ab alio poſſeſſam non poſſe alienare ordinamus, alienatioq; non valeat, alienanſq; de facto ſoluat pro pœna libras vigintiquinque Communi Arretij, & tantumdem illi, in cuius præiudicium veneris alienatio.

Alienantem à die alienationis infra annum non requiſitum ab acquirente, vel emente prẹſumi volumus adimpleuiſſe omnia, ad quæ obligatus erat.

Quoſcumque fructus, vel eorum valorem bonorum maritum etiam conſtante matrimonio, & vltra dotes vxoris ſuæ, vel ad eum peruentos, pereumùe perceptos, ac conſumptos feciſſe ſuos, & ad reſtitutionem non teneri ordinamus.

Libri biadaiolorum Ciuitatis Arretij, aut Camerariorum Fraternitatis dictæ Ciuitatis fidem plenam faciant de valore grani, vel bladi.

DE STATVTORVM INTERPRETATIONE. XXVII.

QVIA in magno Conſtitutionum cumulo ſæpe aliqua videntur inuicem contraria, & vbi in hiſce ſtatutis, ac legibus vlli videbitur contrarietas, ſi poterit, per diſtinctionem concordetur, & quodlibet in ſuo caſu ſeruetur; quod ſi concordari non poterit, illud ſeruetur, & in quo maior ratio ſpecialitatis, vel fauor reperietur, & maior, vel euidentior vtilitas apparebit: quod ſi benè intelligi, vel comprehendi etiam nequierit, iudicantis arbitrio relinquimus, & ſeruetur quod ſibi conuenientius ſeruari videbitur, & in quo maior æquitas cognoſcetur.

QVOD STATVTA FACTA CONTRA ECCLESIASTICAM LIBERTATEM NON VALEANT. XXVIII.

IMPERIALIS auctoritas non valere decreuit ſtatuta facta contra eccleſiaſticam libertatem, ideo ſi quę talia per incuriam facta ſunt, inſerta hoc volumine ſtatutorum, ipſo facto non valeant, omniq; careant firmitate.

DE MODO SVSPENDENDI, ET INTERPRETANDI STATVTA, ET REFORMATIONES COMMVNIS ARRETII. XXIX.

QVIA multis falſis, & coloribus exquiſitis faciunt fieri ſuper tollendo, ſuſpendendo ſtatuta, interpretando, derogando, ac arrogando præpoſitas; ex quo cõtingit, quòd Conſiliarij Communis Arretij fictis allegationibus circumuenti interpretationi, ſuſpenſioni, & derogationi conſentiunt; ex quo Iuſtitia ipſa plurimũ læditur, & charitas vulneratur, & Commune Arretij ſubſtinet non modica detrimenta. Ideo non poſſit fieri propoſita aliqua de ſtatutis, legibus, ordinamentis, vel reformationibus Communis Arretij tollendis, ſuſpendendis, interpretandis, derogandis,

vel

vel abderogandis particulariter, vel in totum, vel aliquod de dictis ſtatutis, niſi in Conſilio tali, in quo contingeret, præpoſitam fieri, preſentes tres partes ad minus eſſent de quatuor partibus dicti Conſilij: Et partitum obtineri debeat per tres partes ipſorum præſentium,& contra prædictam formam nullum de ſtatutis, vel ordinamentis prædictis poſſit tolli, ſuſpendi, interpretari, derogari, vel etiam abrogari; & Magnifici Domini Priores, qui contra prędictam præpoſitam facerent, puniantur, v3. quilibet, qui conſenſerit, pœna centum librarum, & Cancellarius, qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum præpoſitam legeret, vel etiã recitauerit, pœna centum librarum, vel qui contra prędicta conſuleret, vel arrengaret in centum libris pro ipſorum quolibet puniatur, eiſdem, & cuilibet ipſorum per Syndicatores, & Syndicum Communis Arretij auferenda; & nihilominus quicquid diceretur, arrengaretur, vel ordinaretur contra formam præſentium ſtatutorum, vel alicuius eorum, vel contra ipſa ſtatuta aliqui ipſorum, niſi prius ſecundum formam dictam ſuſpenſio, vel derogatio facta eſſet, non valeat ipſo iure, ſalua ſemper auctoritate, & balia Conſilij dictæ Ciuitatis; cui Conſilio, & auctoritati ipſius per prædicta non intelligatur in aliquo derogari.

QVOD BENEFICIA STATVTORVM PRO SINT CVILIBET, ET CLERICIS ARRETINIS. XXX.

STATVTVM eſt, quòd beneficia ſtatutorum, & ordinamentorum Communis Arretij, & ipſa ſtatuta, & ordinamenta omnia proſint, & adminiculentur ſolum Ciuibus Arretinis, & diſtrictualibus Ciuitatis Arretij, vel Cortynis datia, & collectas ſoluentibus, & facientibus cęteras factiones, & Capitulo, & Canonicis Arretinis, & omnibus Clericis, & eccleſiaſticis perſonis, & locis Ciuitatis, & diſtrictus Arretij, & fidelibus epiſcopatus; & non aliis vllo modo, nec etiam prędictis; niſi faciant cùm effectu, quòd ſtatuta, & ordinamenta ipſorum proſint, & ſeruentur ſicut eis, & contra eos Ciuibus, & diſtrictualibus Arretinis, & niſi eaſdem exactiones, executiones, guarantigiæ, & omnia alia in hoc volumine ſtatutorum contenta cùm effectu ſeruentur in epiſcopali Curia Arretina, etiã contra eccleſiaſticas perſonas, & eccleſiaſtica bona, & fideles epiſcopatus: Teneantur tamen dicti fideles epiſcopatus ſoluere datia, & collectas pro poſſeſſionibus, quas habent in Ciuitate, Cortynis, & Capitaneatu Arretij in illis locis, vbi ſunt dictæ poſſeſſiones, & Syndici locorum poſſint accipere fructus ipſarum poſſeſſionum etiam eorum auctoritate pro datiis ſupradictis, & collectis integrè exſoluendis: Tamen dicta beneficia competant Fraternitati Beatæ MARIAE Miſericordię, & aliis locis Mendicantibus, & Hoſpitalibus Ciuitatis, & Comitatus Arretij.

DE OBSERVATIONE STATVTORVM. XXXI.

OMNES, & quæcumque cauſæ, lites, quæſtiones, controuerſiæ tàm Ciuiles, quàm criminales, & etiam mixtę, quę, quomodocumque, & qualitatercumque coram D. Capitaneo, vel eius Iudice, vel alio quocumque officio, vel officiale ex quacumque auctoritate inter quoſcumque, vel contra quoſcumque in Ciuitate Arretij agitabuntur, aut quomodocumque fierent, tractentur, & omnino tra-

ctari

ctari debeant, & regulari, & demum decidi, ac terminari, prout hiſce ſtatutis quomodolibet diſponitur, ipſaq; ſtatuta in omnibus, & ſingulis in eis quomodocumque diſpoſitis inuiolabiter obſeruentur, & obſeruari debeant, & aliter fieri poſſe omnino prohibetur, & prohibitum ſit. Et in quibus dicta ſtatuta, vt ſupra, non prouiderent, ad ius Ciuile, quod Romanorum appellatur, recurratur, & recurri debeat. Ad laudem, & gloriam Omnipotentis DEI; Statumq; pacificum, ac fęlicitatem Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ FRANCISCI Medices Domini, Domini Noſtri Perpetui, quietem, atque tranquillitatem Arretinæ Vrbis.

FINIS VOLVMINIS STATVTORVM.

TABVLA

TABVLA RVBRICARVM TOTIVS VOLVMINIS.

Rubricæ Primi Libri.

DE ſolemnitate, ac Feſtiuitate Beati Donati pag. 1.
De ſolemnitate celebranda in Feſto Sanctorum Laurentini, & Pergentini 4
De ordinariis oblationibus 5
De officio Domini Capitanei 6
De officio Poteſtate, & immunitate Dominorum Priorum ead.
De officio, & immunitate Collegarum 11
De Conſilio generali, & modo congregandi 13
De petitionibus in Conſilio proponendis 15
De partitu reddendo in Conſilio, & aliis congregationibus 16
Quod nullus partitus poſſit obtineri, niſi per duas partes præſentes ead.
De abſentia Collegarum, Conſiliariorum, & aliorũ officialium ead.
De officio Cancellarij, & Notarij Palatij 17
De officio Capitanei familiæ 19
De officio Promiſſoris, et Syndici Comm. Arretij ea.
De Viariis, & eorum officio ead.
De Arretina Ciuitate reaptanda, & munda retinenda 23
De officio Diffinitorum 24
De officio officialium Graſciæ 27
De officio, & electione officialiũ extraordinariorum 29
De Conſulibus mercatorum, & eorum officio 32
De datiis vẽdendis, et officio Camerarij datiorũ 33
De reddendis rationibus, & officio rationeriorũ 36
De Conſeruatoribus pignorum, & eorũ officio 38
De Conſeruatoribus legum, & eorum officio 39
De cõdemnationibus exigẽdis, et modo exigẽdi 40
De reformationibus officiorum, & reformatorum officio 41
De oratoribus, & eorum officio 43
De Priuilegio, et immunitate Fraternitatis Beatæ Mariæ Miſericordiæ, & Hoſpitalis Totis 44
De Rectoribus Fraternitatis Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, & eorum officio ead.
De Domo Beati Lazzari, & eius regimine 47
De operariis Epiſcopatus, & eorum officio 48
De operariis Domus 49
De officio Militis Domini Capitanei ead.
De Notariis Banci 53
De Nunciis 54
De ſalariis inſtrumentorum, & mercede Domini Iudicis 57
Quod dantes aliquid officialibus in Syndicatu poſſint repetere ſine pœna 59
Quod habentes ſalarium à Commune non poſſint aliud percipere ratione ſui officij ead.
De prohibita ſubſtitutione officiorum 60
De fideiuſſoribus in officiis præſtandis, & filiis familias officia acceptantibus ead.
Quod non ſupportantes onera non poſſint habere officia 61
Quod non habitantes in Ciuitate Arretij per duodecim annos nõ poſſint habere officia ead.
De deſcriptis in libro ſpeculi ead.
De bonis alibrandis 62
De pluribus alibratis in vna libra 63
Quod libra patris proſit filio quantumcumque emancipato 64
Quod qui per quinque annos habitauerit in Ciuitate Arretij in ea accataſtari debeat ead.
De artificibus onera non ſupportantibus 65
De Breuibus artium ead.
De prohibita alienatione bonorũ immobiliũ 67
De Domibus non deſtruendis per Rectores occaſione alicuius maleficij 68
Quod valor floreni ſit librarum quatuor, & ſolidorum quinque ead.
Quomodo tabula, canna, & brachia intelligantur in mercantiis, & aliis ead.
Qui intelligantur forenſes 69
Quod Cortyna Arretij ſint quinq; miliaria ead.

De

De cuſtodibus carcerum Communis ead.
De cuſtodibus Portarum 70
De ponderibus, & menſuris ſignatis, & officio ſigillatoris 71
De molendinariis grani ead.
De vaſariis, & vaſibus forenſibus non vendendis in Ciuitate, vel Cortynis Arretij 72
De non apportando Vinum forenſe ad Ciuitatem, vel Cortynas Arretij 73
Quod ſcripturæ Communis exhibeantur ſine precio legere volentibus ead.
Quod nullus officialis forenſis eligatur ad aliquod officium in Comitatu Arretij ead.
De præfectis nundinarum, & eorũ officio ead.
De officialibus honeſtatis, & eorum officio 74

Rubricæ Secundi Libri.

DE in ius vocando 75
De cauſis ciuilibus, & earũ cognitione 76
De cauſis maioribus, & modo, & ordine procedendi 77
De executione inſtrumentorum 80
De cauſis librorum Ciuium, Mercatorum, & Artificum 83
De feriis 87
De confeſſis, & termino ad calculandum 90
De poſitionibus, & earum reſponſionibus ead.
De teſtibus 91
De ſapientis conſilij petitione ead.
De inſtantiis cauſarum 92
De excommunicatis, & exbannitis ead.
De non deſcriptis in cataſto, vel immobilia nõ poſſidentibus ead.
De aduocatis, & his, qui alieno nomine interueniunt 93
De curatoribus 94
Quod Syndici Communis poſſint conſtituere Procuratorem ead.
De Compromiſſis faciendis 95
Quod victus victori in expenſis condemnetur 96
De ſententiis, & laudis 97
De Appellationibus, & nullitatibus ead.
De contumacia, & primo decreto 102
De Tenuta auctoritate Curiæ habita 103
De Tenuta, & aliis Proceſſibus nõ vitiãdis 104
De ſequeſtris ead.
De ſuſpectis, ac fugitiuis 106
De pignoribus vendendis ead.
De ſecundo decreto 107
De turbata tenuta, & poſſeſſione 109
De nominando dominum in iudicio ead.
Quod decennalis poſſeſſio ſufficiat reiecta excuſſione 110
De praſcriptionibus ead.
De noui operis nunciatione ead.
De fideiuſſoribus 111
De iure reddendo contra Tutores, & alios 112
De iure reddendo contra Procuratores ead.
De iure reddendo contra Depoſitarios 113
De contractibus ſimulatis ead.
De Tutoribus, & eorum officio, & rerum pupillorum alienatione prohibita ead.
De prodigis 114
De filiorum familias, & minorũ obligatione 115
De obligatione mulierum ead.
De obligatione ſociorum ead.
De rebus Communibus, & earum diuiſione 116
De ſocciis Animalium 117
Quod habens murum Communem reficere, & communicare teneatur 119
De bonis non vendendis inrequiſitis vicinis ead.
De Arboribus exiſtentibus in bonis alterius 121
De Arboribus vggiam facientibus ead.
De terris circundatis, ſeu confinatis ead.
Quod propinquior ad viam debeat dare non habentibus 122
De poſſeſſionibus occupatis ſine titulo ead.
De terris locandis, tabulandis, & tenuta non danda ead.
De cauſis laboratorum, & conductorum 123
De laboratoribus non colentibus vineas 124
De rebus libellariis in bono ſtatu manutenendis 126
De laboratoribus conducentibus ab aliis ead.
De interdicentibus ne poſſeſſiones colantur 127
De inſtrumentis libellariis ead.
De executione inſtrumentorum libellariorũ ead.
De reaſſignatione bonorum facienda 129
De renouatione libelli 130
De probationibus circa libellariam ead.
De alienatione rei libellariæ 131
De conueniendis affictuariis, & aliis 134
De ſucceſſione libellaria ead.
De ſucceſſionibus ab inteſtato 135
Quod maritus vxorem expellens eam alere teneatur.

tur, niſi pro adulterio 136
De abſtinenda, vel repudianda hæreditate 137
De dotis promiſsione, ac reſtitutione ead.
De inſtrumentis rogandis 140
Quod Forenſes poſsint conueniri coram Iudice Domini Capitanei ead.
De priuilegiatis exactionibus 141
De His, qui bonis cedunt ead.

Rubricę Tertij Libri.

De modo procedendi in criminalibus 142
De copia Actorum mittenda, & proteſtatione recipienda 143
Quod Mulieres poſsint cauſas criminales per procuratorem agere, & defendere 144
De nõ cognoſcẽdo de maleficiis poſt decenniũ ead.
De Arbitrio Domini Capitanei ead.
De Tormentis 145
De Teſtibus ead.
De Teſtibus denegantibus teſtificari ead.
Quod nullus poſsit accuſare de iniuria alterius ea.
De proceſsibus infra duos menſes terminandis, & condemnationibus faciendis, & non cancellandis 146
De pœna non probantis accuſationem 147
De pace, concordia, & remiſsione facienda ead.
De pœna mulieribus mitiganda ead.
De non condemnando minores 148
De pœna minuenda maleficium confitenti ead.
De pœna duplicanda ead.
De pœna aduocantis contra Commune 149
De reuelantibus credentiam, vel ſecretum ead.
De priuato carcere ead.
De Syndicis non denunciantibus maleficia 150
Quod vniuerſitas teneatur ad emendationem damni, & robbaria ead.
De pœna vniuerſitatis retinentis exbannitum pro debito ead.
De pœna portantium arma 151
De pœna blaſphemantis Deum, vel Sanctos 152
De pœna ludentis ad azardum ead.
De ſodomitis ead.
De pœna adulterij ead.
De pœna Homicidij 153
De pœna offendentis Patrem, vel matrem ead.
De maleficiis perſonalibus in Ciuitate, vel Comitatu cõmiſsis, & de ſecuritate non danda 154
De pœna forenſis offendentis Ciuem 155
De pœna non ſeruantis præcepta D. Capitanei ead.
De debitoribus non venientibus in Palatium ead.
De pœna non permittentis ſe pignorari 156
De pœna auferentis aliquem, qui duceretur ad curiam ead.
De pœna offendentis officiales ead.
De incipientibus rixam ead.
De pœna inſultantis aliquem cùm armis 157
De pœna percutientis cùm armis 158
De pœna percutientis ſine armis ead.
De pœna offẽdentis aliquẽ in rumore ignis 159
De pœna proiicientis lapides 160
De verbis iniurioſis ead.
De pœna improperantis iniuriam ead.
De offenſis amouendis ead.
De pœna derobbantis 161
De pœna furti ead.
De non aſsignantibus res perditas ead.
De vendentibus argentum niſi de certa liga 162
De pœna falſi ead.
De pœna accuſantis, vel dicentis falſum instrumentum, vel teſtem ead.
De pœna offendentis aliquem viuente primo offenſore 163
De pœna intrantis, vel frangentis domum alterius etiam quod eſſet Nuncius ead.
De intrantibus ad habitandũ domos alterius ead.
De pœna mittentis ignem 164
De inuadentibus poſſeſsiones alterius ead.
De pœna extrahentis terminos ead.
De pœna occupantis viam, vel ſemitas ead.
De pœna contradicentis alicui ne laboret terram alterius 165
De negantibus aliquem eſſe Notarium, filiationem, matrimonium, vel mortem alicuius, vel aliquem fuiſſe officialem ead.
De petentibus debitum ſolutum ead.
De tutoribus maritantibus Pupillas abſque licentia proximorum 166
De pœna facientis Douanam ead.
De pœna ementium victuaria 167
De artificibus denegantibus vendere ead.
De artificibus fraudem committentibus, vel dolum in eorum arte 168
De pœna non habentis menſuras adæquatas ead.
De furnariis 169

Tabula.

De pondere, & precio panis ead.
De Aromatariis 170
De fornaciariis ead.
De carnificibus 171
De pœna vendentium piſces 172
De Macinatoribus oliuarum ead.
De pœna Meretricum euntium per Ciuitatem 173
De pœna ponentis aliquod turpe ad domum alterius ead.
De pœna lauantis pannos, vel habentis neceſſaria propè puteos ead.
De pœna proiicientis aquam à feneſtris 174
De pœna non claudentis claſſarias ead.
De pœna euntium poſt ſonum Campanæ ead.
De pœna vendentium poſt tertium ſonum Campanæ 175
De pœna proiicientis carnatum in flumine, vel viis ead.
De pœna guazzantis Beſtiam morboſam ead.
De mittentibus linum in flumen caſtri ead.
De facientibus cineres ead.
De currentibus per Ciuitatem ead.
Quod nullus poſſit toſſicare piſces 176
De damno dato per incendium, vel excoriationem ead.
De forenſibus tenentibus beſtias propè Ciuitatem & receptantibus eas 177
De pœna vcellantis ad perdices 178
De pœna vcellantis ad columbas ead.
De ſecuritate danda exbannitis 179
Quod liceat offendere exbannitum, vel condemnatum ead.
De pœna receptantis pro maleficio exbannitum pag. 180
De pœna dantis auxilium, Conſilium, vel fauorem ead.
De executione ſententiæ corporalis ead.
De modo exigendi pecunias ſolutas pro executionibus perſonalibus 181
De pœnis, & earum cognitione ead.
De applicatione pœnarum 182
De pœna non permutanda ead.
De officialibus non ſeruantibus ſtatuta ead.

Rubricæ Quarti Libri.

De damno dato 183
De modo, & ordine procedendi in cauſis damnorum datorum ead.
De officio Syndicorum 185
De officio Campary 186
De extimationibus faciendis 187
Quod habentes licentiam 188
De modo, & ordine condemnandi, & incamerandi ead.
De modo emendandi damna 189
De exactionibus faciendis per officialem ead.
De inquirendo cōtra diffamatos damnū dare 190
De diffinitione, & termino Campariarum ead.
De damnis datis perſonaliter 191
De damnis datis cùm beſtiis 192
De pœna paſtorum portantium arma 194
Quod liceat cuilibet occidere beſtias damnum dare repertas ead.
De pœna venantium, & aucupantium in bonis alterius ead.
De pœna mittentis agreſtum in Ciuitatem Arretij 195
De pœna tenentis canem non ligatum ead.
De pœna reducentium vuas acerbas, & amigdalas, & quod poſſit rimari ead.
De pœna arbitraria 196
De pœna non permittentis ſe duci ad curiā ead.
De vindemiis, & de pœna deferentium vuas in ſalmis ead.
De accuſatis perſonaliter, & teſtibus conuictis, & eorum pœna ead.
Quod caſſa, & irrita ſint alia ſtatuta 197
De nouis legibus componendis ead.
De Regulis ſtatutorum ead.
De ſtatutorum interpretatione 198
Quod ſtatuta facta contra eccleſiaſticam libertatem non valeant ead.
De modo ſuſpendendi, & interpretandi ſtatuta, & reformationes Communis Arretij ead.
Quod beneficia ſtatutorum proſint cuilibet, & Clericis Arretinis. 199
De obſeruatione Statutorum ead.

FINIS.